13372/B

54 / 12 –

FROM THE COLLECTION OF
EDWARD MORRELL HOLMES

57815

MATERIA MEDICA

E

REGNO VEGETABILI,

SISTENS

SIMPLICIA OFFICINALIA,

PARITER ATQUE

CULINARIA.

SECUNDUM SYSTEMA SEXUALE,
EX AUTOPSIA & EXPERIENTIA,

FIDELITER DIGESSIT

PETRUS JONAS BERGIUS,

M. D. Hiſt. Nat. & Pharm. Profeſſor Stockh., R. Colleg. Med. Aſſeſſor, Acad. & Societ. ſcient. Imper. Petropol., Imp. N. Cur., R. Londin., Stockh., Upſal., Philadelph., Haarlem., Nidroſ., Helvet., Zell., Roterod., Zeeland., Berolin. Nat. Cur., & Lund. Membrum, ut & Monſpel. Correſp.

TOMUS II.

Cum privilegio S. R. M:tis Sveciæ, & Elect. Saxon.

STOCKHOLMIÆ, Typis PETRI HESSELBERG 1778.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Je ne vois de ſi difficile que de faire une bonne Hiſtoire des Drogues, c'eſt à dire de décrire non ſeulement tout ce qui compoſe la Matiere médecinale, mais encore de faire la deſcription des plantes, des animaux & des mineraux, d'où l'on les tire. - - - - Après cela je ne ſuis pas ſurpris, ſi ceux qui ſe melent d'écrire l'hiſtoire des Drogues, font tant de beveües, & moi le premier. On ne rapporte que des faits incertains & des deſcriptions imparfaites.

PITTON de TOURNEFORT.

CLASSIS XIII.

CLASSIS XIII.
POLYANDRIA.
ORDO
MONOGYNIA.

284. CAPPARIS ſpinoſa. LINN. *Sp. pl.* 720. *Mat. m.* 259.

Capparis ſpinoſa fructu minore, folio ſubrotundo. DUHAM. *Arbr. 1. p.* 119. *t.* 47.

Capparis. BLACKW. *Herb. t.* 417. DALECH. *Hiſt.* 155. DODON. *Pempt.* 734.

Culinis CAPPARIDIS Cortex, Flores conditi.

Locus. Europa auſtralis. *Arbor.*

FORMA. ſicc. Cortex radicis convolutus, in fruſtis digitalibus, cinereus, ſubrugoſus, annulis notatus transverſalibus, parallelis, craſſitie lineæ vel ſupra. *Flores* ſemierupti, calyce tetraphyllo & corolla tetrapetala conniventibus, ovati, magnitudine ſeminis Piſi, virides, nebuloſi. *Stamina & Piſtillum* incluſa.

PROPR. corticis: Odor nullus; *ſapor* amarus, acerbiuſculus. *Florum* conditor. *odor* fragrans, non ingratus; *ſapor* odori congruens, aceſcens.

VIRTUS: cort. tonica.

USUS: flor. culinaris.

OBS. 1. *Infuſum corticis* aquoſum colore infuſi Theæ, ſapore amaro; vitriolo martis non demutatum. Infuſum *florum* limpidum, odore & ſapore florum, vitriolo martis fuſceſcit.

OBS. 2.

OBS. 2. Flores nondum erupti condiuntur ſale & aceto. Quo teneriores leguntur, eo firmiores fiunt conditi, ſapidioresque. In culinis incoquuntur embammatibus.

285. ACTÆA racemoſa. LINN. *Sp. pl.* 722. *M. m.* 253.
Chriſtophoriana americana procerior & longius ſpicata. DILLEN. *Eltham. p.* 79. *t.* 67. *f.* 78.
Chriſtophorianæ facie herba ſpicata. PLUK. *Amalth.* 54. *t.* 383. *f.* 3.
Pharm. ACTÆÆ Radix.
Locus. Florida, Canada. *Perennis.* Facile perfert noſtrum clima.

FORMA. rec. Radix majuſcula, lata, ramoſa: ramis brevibus adſcendentibus, fuſco-ferruginea, cincta annulis elevatis, remotis; inferiore parte inſtructa fibris plurimis deſcendentibus, filiformibus, craſſitie pennæ anſerinæ, inferne ramoſis. *Parencyma radicis* albidum, carnoſo-firmum, poſt ſectionem transverſalem diſco medullari; peripheria ſtriis abruptis, radiantibus, annulum conſtituente; *fibrarum* vero ſigno ſtellæ notatum: radiis 4, obovatis, obtuſis.

PROPR. rec. radic. Odor fœtidiuſculus; *ſapor* amaricans. *Siccata* radix fortior, ſapore & odore narcotico.

VIRTUS: ſubvenenata.

USUS.

OBS. Planta hæc apud nos officinalis non eſt, nec a propria experientia certi quidquam de illa ſtatuere posſum. Cl. COLDEN (*) docet, radicem in forma cataplaſmatis tumores ſcirrhoſos ſolvere; additque, tincturam radicis propinatam ægroto cuidam maximam induxiſſe ægritudinem, cum ſudoribus frigidis, ſine tamen ulteriori malo. Radic. ſicc. gran. I, bis de die propinatum, initio emeſin moviſſe, obſervavi.

286.

(*) *Act. Upſal, a.* 1743. *p.* 132.

286. CHELIDONIUM majus. LINN. *Sp. pl.* 723. *Mat. m.* 252. MILL. *Figur. t.* 92. *f.* 1. OEDER *Icon. t.* 542. BLACKW. *Herb. t.* 91. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 8. ZANNICH. *Venez. t.* 212. DOD. *Pempt.* 48.

Pharm. CHELIDONII MAJORIS Radix, Herba.

Locus. Europa, locis ſubruderatis. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, deſcendens, palmaris, fibrilloſa, ſubramoſa, ſuperne bifida, extus rubicunda, pelliculis nigricantibus, emortuis, laxe tecta; *parencymate* ſubcarnoſo, luteo; transverſaliter ſecto lacteſcente, centro medullari orbiculato, circumdato diſco corticali. *Caules* plures ex una radice, erecti, ſubtetragoni, ſcabridi, minutim pubeſcentes, inferne ſimplices, nudi, ſuperne ramoſo-dichotomi, folioſi. *Rami* divaricati, teretiuſculi, ſubangulati, pubeſcentes. *Folia* pinnata, ſupra glabra, ſubtus villoſa: foliolis ſuboppoſitis, petiolatis, ovatis, obtuſis, venoſis, lobatis: ſinubus obtuſo-rotundatis; lobis obtuſis, obtuſe ſerratis; terminali foliolo obovato, e pinnis confluentibus nato, apice trifido; radicalia longius petiolata; ſuperiora ſeſſilia, ramis oppoſita. *Petiolelli* baſi ſurſum ala triangulari. *Petioli* ad axillas pubeſcentes, ſubtus convexi, ſupra concavi, baſi axilla lanati. *Axillæ* nodoſæ. *Flores* umbellati. *Umbella* pedunculata, ſimplex, nuda, quadrifida. *CAL. Per.* diphyllum: foliolis ovatis, obtuſis, concavis, luteo-virideſcentibus, ſubmembranaceis, glabris, deciduis. *COR.* 4-petala, lutea: *petalis* ſeſſilibus, obovatis, obtuſis, patenti-erectis. *STAM.* lutea. *Filam.* plurima, longitudine corollæ, tetragona, ſuperne ſenſim

 cras-

craſſiora. *Anth.* ovatæ, obtuſæ, ſulco utrinque longitudinali didymæ. *PIST.* *Germen* lineare, longitudine fere ſtaminum, glabrum, tetragono-compreſſum: lateribus oppoſitis duplo latioribus. *Stylus* breviſſimus. *Stigma* obtuſum, emarginatum.

PROPR. rec. radic. Odor graviuſculus; *ſapor* amarus, acris; *maſticata* ſalivam croceo tingit; *herbæ odor* ſubgraviuſculus; *ſapor* leniter amaricans, acris. Tota planta, utpote rami, caules, petioli & foliorum nervi, lacteſcens; *lacte* croceo, quod, cuti ſ. papyro illinitum, maculas croceas facit, aqua facile eluendas; vaſculo exceptum hoc lac, ſicceſcit, & abit in maſſam penitus fuſco-nigricantem, intenſius amaram. *Sicc.* planta magis amara, minus acris, ingrata, faucibus inhæret.

VIRTUS herb. rec. acris, purgans; *ſicc.* diuretica.

USUS. Hydrops, Cachexia, Herpes.

OBS. *Infuſum* aquoſ. *herbæ* ſicc. rubrum, odore ſubnauſeoſo, ſapore amaricante, acriuſculo; vitriolo martis fuſceſcit. Infuſum *radicis* ſicc. luteum, odore debili, ſapore amaricante; vitriolo martis leviter fuſceſcit.

287. PAPAVER ſomniferum. LINN. *Sp. pl.* 726. *Mat. m.* 250.

α). Papaver hortenſe ſemine nigro. BAUH. *Pin.* 170.

Papaver nigrum ſativum. DODON. *Pempt.* 442. BLACKW. *Herb. t.* 482.

β). Papaver hortenſe ſemine albo. BAUH. *Pin.* 170.

Papaver ſativum alb. DOD. *Pempt.* 441.

Pharm.

Pharm. PAPAVERIS NIGRI Herba, Capita, Semina.

——— *ALBI* Semina.

OPIUM crudum.

Locus. Europa auſtralis, Oriens, in agris. *Annuum.*

FORMA. rec. Radix alba, fuſiformis, ramoſa, deſcendens. *Caulis* ſubbipedalis, erectus, teres, minutim angulatus, glaber, rore glauco obductus, ramoſus. *Rami* alterni, erecti, teretes, vix angulati. *Folia* alterna, ſeſſilia, amplexicaulia, ſpithamæa, ovato-oblonga, obtuſa, margine inciſa ſ. groſſe crenata, utrinque glabra, ſupra virideſcentia, ſubtus glauca, venoſa, venulis reticulata. *Pedunc.* terminales in ramis, ſubſolitarii, elongati, erecti, hiſpidi, ceterum nudi, uniflori. *CAL. Perianth.* diphyllum: foliolis oppoſitis, ovatis, bifidis, concavis, glabris, caducis. *COR.* 4-petala, ſæpius plena, *petalis* obovatis, latis, apice rotundatis, venoſis, colore variantibus, ſæpius incarnatis, patentibus, ſubſeſſilibus, baſi macula violacea, nitida. *STAM. Fil.* plurima, filiformia, longitudine fere piſtilli. *Anth.* oblongæ. *PIST. Germen* magnum, globoſum, virideſcens, glabrum. *Stylus* nullus. *Stigma* maximum, latitudine germinis, peltatum, explanatum, planum, cartilagineum, tenue, margine undique inciſo-10-fido: laciniis ovato-rotundatis, ſuperne ſerratis, ſupra notatum radiis linearibus elevatis, adnatis, villoſis, ſingulis laciniis ſtigmatis reſpondentibus ſingulis. *Capſula* (ſ. *caput*) globoſa, magnitudine fere Pruni fructus, glabra, rore glauco-cæruleſcente tincta, coronata ſtigmate perſiſtente, ſubdecemlocularis, apice ſub ſtigmate decemfariam hians: laciniis totidem ovato-obtuſis, ſubrevolutis; diſſepimentis utrinque

planis, dorſo incraſſatis, undique rugoſis, ad centrum capſulæ non attingentibus. *Semina* millena, parviuſcula, fuſca, ſubrotundo-reniformia, punctis excavatis undique rugoſa. *Albi* ſemina conformia, colore albo. *Opium* crudum: *gummi-reſina* in fruſtis majoribus, ponderoſa, æqualis, pura, extus rufo-fuſca, ſubſplendens, fractura intus virideſcens, vel nigricans, pro gradu ſiccitatis, opaca, plaſtica, digitis ſubadhærens.

PROPR. rec. herbæ: Odor debilius narcoticus, opio congruens. *Folia* odore ſunt debiliore; rami fortiore; pedunculorum vero apices & capſulæ juniores adhuc validiore. *Sapor* herbaceus. Pedunculorum apices & capſulæ juniores, dum ſauciantur, e corticali parte *lac* ſtillant album, cremori lactis ſimillimum; caulis tenerior, rami & coſtæ atque nervi foliorum lac fundunt dilutius. Capita ætate provectiora parum lacteſcunt, matura autem nihil. Hoc lac (ex noſtro Papavere nigro), collectum & vaſculis immiſſum, validius ſpirat Opium, dum recens; in aëre ſiccatum abit in gummi-reſinam rubicundam, ſubpellucidam, quæ, inter digitos tractata, plaſtica deprehenditur, digitis ſubadhæret, odore Opii remiſſiore; in candelæ flamma accenſa flagrat: flamma vivida, lucida, fuliginoſa, odore non narcotico, relicto carbone atro, ſubſplendente. *Opii orientalis odor* validus Papaveris; *ſapor* nauſeoſus, amaricans, acris, calidiuſculus. In ignis flamma accenſum opium flagrat: flamma vivida, odore minime narcotico. Solvitur digeſtione, vel etiam via frigida, ſi agitatur, in aqua, aceto, ſucco citri, vino, atque ſpiritu vini; ſed ſemper multum non ſoluti remanet in fundo vaſis; *Tinctura* fit lutea vel brunnea, pro

pro diverſo pondere Opii adhibiti, narcotica, viribus cum opio conveniens. Aqua calida emolliri poteſt opium crudum, & cum illa in pulpæ tenuioris formam redigi; ſic ſubſequente expreſſione a ſordibus immixtis facile purgatur; quo facto denuo in conſiſtentiam priſtinam evaporatione redigi poteſt, atque tunc *Extractum thebaicum* dicitur. Opii crudi drachmæ 12 continent partis gummoſæ drachm. 5, & reſinoſæ unc. ß, atque magmatis, neque in aqua nec in Spiritu vini ſolubilis, drachm. 3 (*).

VIRTUS: herbæ & capit. anodyna; *opii* anodyna (parca doſi), ſoporifera (majori doſi), antiſpaſmodica, ſiſtens, diaphoretica; nimia doſi narcotica, viroſa, letalis.

USUS Opii: Agrypnia, Irritabilitas, Hyſteria, Spaſmus, Dolor, Profluvium, Tuſſis catarrhalis, Abortus.

OBS. I. *Infuſ.* aquoſ. ſeminum Papav. nigr. ſubemulſivum; cum alcohole vini ſpiſſeſcit; a vitr. martis nil demutatur. Infuſum capit. Papav. rubrum, odore fatuo, ſapore debili, ſubfatuo; vitr. martis ſubobſcurum fit. *Extract.* Papaveris, ad placitum cl. Thom. Arnot (**) paratum, valde activum eſt. Scilicet reſecanda capita adulta, nondum vero matura, una cum ſummitatibus pedunculorum lacteſcentium, & in vaſe reponenda ad ſiccandum. Tum contundantur & coquantur in aqua pura per 4 horas; colatura, expreſſione facta, ſubſidat per diem unum alterumve, & cum albumine ovi clarificetur; tandem vaporet in conſiſtentiam melliginis. Deprehendit Arnot, hoc extractum, dupla doſi datum, opio reſpondere, ſed mitius agere, nec ſtu-

(*) Cfr. Alston in *Medical Eſſays abridg. vol.* 1. *p.* 141.
(**) *Medic. Eſſays vol.* 5. *art.* 11. Cfr. *Med. Eſſ. abridg. p.* 159.

porem, delirium, nauſeamque excitare. Ex capit. libr. 6 obtinuit Extr. libr. 1. Cl. GUETTARD (*) extracti ſolidi unc. 4 ß paravit ex capit. papav. libr. 3, quod tam validum fuit, ut grana 2, propinata, 6 horarum ſomnum induxerint; ſed granum 1 vix ſoporiferum fuit.

OBS. 2. Opium indiſcriminatim ex utraque Papaveris ſomniferi varietate, alba nimirum & nigra, deſumitur. Turcis, Arabibus, Perſis & Indis maxime familiare pharmacon, uſui diætetico præcipue dicatum. Hinc integri vaſtique agri Papavere conſeruntur, cujus capita immatura, ſauciata, lac ſtillant, quod, poſteaquam ſiccatum eſt, *Opium* audit. Præſtantiſſimum eſt opium album, *Maſlac* dictum, albido-luteſcens, puriſſimum, natum ex ſucco, e capitibus papaveris inciſis profluente, & in aëre, ſuper ipſa capita, ſiccato, eſtque id cariſſimum, & ab ipſis magnatibus in patria expetitum, unde raro ad nos fertur. Ex ſingulo capite papaverino vix ultra pauca grana Opii haberi poſſunt. *Thebaicum* opium, nobis officinale, vulgatiſſimum in Oriente eſt, plebis uſui imprimis inſerviens. Paratur id ſola contuſione & expreſſione capitum Papaveris, ſubſequente inſpiſſatione ſpontanea in aëre libero. *Meconium* vero, quod ad nos nunquam venit, paratur vel e foliis Papaveris, vel e capitibus, a collectione opii albi ſuperſtitibus, infuſione in aqua calida, vel etiam ebullitione abrupta, ſubſequente percolatione & inſpiſſatione. Optimas *notas*, quibus Opium officinale melioris ſpeciei in Oriente diſtingvitur, affert DU MONT (**); ſc. quod erit colore obſcure fuſco, ſapore amaro, odore tetro, valde inflammabile & combuſtibile; quando fruſtum frangitur, debet intus ſplendere, fere tanquam pix nautica, & poſt ſolutionem debet dare tincturam brunneam. Atque ad haſce notas cum Turcæ, tum mercatores Europæi, in ſelectu faciendo ſe conformant. *OBS.*

(*) *Memoir. des ſciences & arts, p.* 113. Cfr. ARNOT, *l. cit.*
(**) *L. c. tom. 4. p.* 52.

OBS. 3. Opium, *externe* cuti applicatum, *agit* ſtimulando & inſimul ſopiendo. Si diutius ſupra cutem manet, rubedinem vel veſiculas excitat, ubi nimirum cutis tenera eſt opiumque recens. Dolorem ſedat, ſi loco dolenti imponitur, ſed ſomnum inſimul inducit; quod nec priſci ævi medicis ignotum fuit, ſiquidem DIOSCORIDES ſuppoſitoria ex opio dormire feciſſe obſervavit. Inflammatoriis in morbis, ſive deglutitum fuerit opium, ſeu extus applicitum, gangrænam excitare, aſſeverat cl. TISSOT (*). Opium, denudatis muſculis abdominalibus, inteſtinis &c. ſiphone injectum, apud Ranas ſubito tollit omnem motum, & fere citius illas enecat quam vel decollatio, ut obſervavit ROB. WHYTT, qui curioſa experimenta in animalibus vivis cum opio inſtituit (**). Ex quibus, collatis cum aliis ab ALSTON (***) factis, patet, ſolutionem opii, ſi in anum, abdomen vulneratum, vel thoracem inciſum injiciatur, vel etiam ſi per os largiore doſi ſumatur & deglutiatur, partes omnes, quas tangit, totumque corpus ſenſatione motuque privare, & immediate in partes affectas agere, muſculorum denique vim motricem infringere ſopiendo, h. e. irritabilitatem & ſenſibilitatem tollendo. Ex inſtillata Opii ſolutione ventriculo Ranæ nulla obſervabatur mutatio in conſiſtentia & colore ſangvinis rubri & ſeri; ſed velocitas motus ſangvinis per vaſa ita diminuebatur, ut duplo tardius ſangvis circularetur. Poſt horæ dimidium ſenſim increſcebat motus ſangvinis. Opium, *interne* ſumtum, in plerisque *agit* uti ſpirituoſa; etenim nervos conſopit, illosque ad irritationem inſenſuales reddit, ſenſum ſic doloris tollit, & animum exhilarat; præterea evacuationes reſtringit, diapho-

(*) *Epiſt. ad* HALLERUM *de variolis*, in cl. SANDIFORT *Theſauro Diſſert. vol.* 2. *p.* 5.
(**) *Eſſays and obſerv. phyſ. and litter. v.* 2. *p.* 280 - 316.
(***) *Med. Eſſays abridg. v.* 1. *p.* 148.

phoreſin ſublevat, ſiccitatem oris inducit, ſtuporem excitat, facit dormire cum rubore faciei, ſubſequente laſſitudine, gravitate capitis, & ſiccitate faucium; ſed pulſum retardat & pleniorem facit, quamdiu ejus actio durat; relinquitur autem pulſus debilis, cum triſtitia, poſt agentem cauſſam opii. *Doſis* opii apud nos eſt a quadrante grani ad dimidium, vel ad ſummum gran. I, urgentibus ſic ſymptomatibus. Ceterum apud aſſvetos doſis in altum adſcendere poteſt; ſic multi Turcæ, Perſæ &c. interdum ſumunt opium ad drachm. I, immo ad unc. I, idque nyćthemeri ſpatio. Apud illos, qui opio ita aſſveti ſunt, agit opium alio fere modo ac apud nos; etenim non facit illos obdormire, niſi in majori doſi manducetur, ſed inducit ſtuporem cum gravitate capitis, & ſemivigiles illos reddit. Prout doſis major minorve fuerit, illos exhilarat, inebriat, animoſos facit in bello, agiles in currendo, aptos labori ſuſtinendo, intrepidos in adverſis, jocoſos, ſubdeliros, ſubfuribundos. *Incommoda* ex abuſu opii ſunt: appetitus deperditus, corporis emaciatio, langvor, melancholia (in qua unicum ſolatium eſt opium), ſtupor, ſomnolentia, taciturnitas, memoriæ abolitio, facultates intellectus labantes, ſenium præcox, mors præmatura. Hydropem non generat opii abuſus, prout communiter accidit ex abuſu ſpirituoſorum.

OBS. 4. *Uſus* Opii apud anteriores medicos frequentiſſimus fuit, noſtro vero tempore multum decrevit. Sic nunc raro damus opium in febre variolarum ſecundaria, nec in ulla ſpecie febris, niſi ſumma cum circumſpicientia. In febribus criticis identidem turbat criſin, & in bilioſis putridisque febribus, evacuationibus artificialibus obicem ponit, & congeſtionem ad caput promovet. In omni inflammatione opium nocet, & podagricus dolor mitigatur quidem per nonnullas horas, ſed repetitæ doſes opii nonniſi cum damno ægri ple-

plerumque propinantur. Fuere qui maniam opio curare tentarunt, ſiquidem largas opii doſes communiter ferunt maniaci; ſed eventu utplurimum ſiniſtro, & nullam curam perfectam in eo caſu ex opii uſu proveniſſe novi. In ſpaſmis vero & doloribus absque febre, in hyſteria & irritabilitate generis nervoſi, in colica nephritica, in abortu imminente, in diarrhœis, aliisque evacuationibus profluentibus, ſæpe mira præſtat opium. At in dyſenteria cum reſtrictione dandum; mitigat quidem ſymptomata, ſed absque ſtabilitate, & effectum evacuantium valde retardat. Certe pleræque dyſenteriæ, minori cum diſcrimine, remediis antimonialibus ſine opio curantur. Ceterum tuſſes catarrhales recentes opio, in prima quaſi herba, intercipiuntur. Immo tuſſes etiam protractæ opio levantur, &, ut bene monuit cl. S. Th. De Meza (*), tuſſis illa titillatoria, hora ſomni veſperi rediens, phthiſi obnoxiis imprimis familiaris, opio eleganter ſopitur, & eruptio phthiſeos inde præcavetur, modo uſus continuetur per 2 vel 3 ſeptimanas, & vena ſecetur, quando pectoris dolor moleſtus urget.

OBS. 5. Larvis inſectorum devaſtatur ſæpe Papaver, quod, quoniam planta permultum narcotica eſt, a priori haud ſtatueres; capita vero nunquam ab iis eroſa obſervavi.

OBS. 6. *Semina* Papaveris minime narcotica ſunt, idque exinde concludas, quod lac narcoticum nonniſi e corticali parte capſulæ ſtillat. Cruda eduntur innoxie a gallinis, & a Polonis, Italis, aliisque gentibus ad cibum adhibentur. Sunt qui, errore populari decepti, hæc ſemina, uti anodyna, emulſionibus immiſcent, ſed absque effectu. Sem. Pap. alb. libra 1 expreſſione dat olei unc. 4. Hoc oleum mite eſt, & in frigore non cogitur, quare facileranceſcit.

OBS. 7.

(*) *Societ. med. Havn. collect tom.* 2. *p.* 309. *ſequ.*

OBS. 7. De Papavere ſcripſit M. FR. LOCHNERUS (*), ſed philologice. De *Opio* bene ſcripſerunt plures, inter quos eminent cl. G. YOUNG (**) & B. L. TRALLES (***). Inter compilatores primas tenet M. TILINGIUS (†), qui librum craſſum corraſit de Opio, ſola compilatione innixum. Quæ ipſe adjicit, plerumque falſa ſunt. Dicit e. gr. folia Sennæ per ſe vix purgare, niſi exacuta fuerint aliis purgantibus.

288. PAPAVER Rhoeas. LINN. *Sp. pl.* 726. *Mat. m.* 251. KNIPH. *Botan. orig. cent.* 5. LUDW. *Ectyp. p.* 8. *t.* 17.

Coquelicot. BULLIARD *Flor. pariſ. t.* 5.

Papaver rubrum. BLACKW. *Herb. t.* 2.

Papaver erraticum. DOD. *Pempt.* 444.

Pharm. PAPAVERIS RHOEADIS Flores.

Locus. Europa, in agris. *Annuum.*

FORMA. rec. Flores longius pedunculati. *CAL. Perianth.* diphyllum: foliolis æqualibus, ovatis, obtuſis, concavis, conniventibus, extus adſperſis tuberculis ſetiferis, ſcabro-hiſpidis, corollam nondum eruptam includentibus, ſub eruptione corollæ deciduis. *COR.* phœnicea, pulcherrima, ſæpius plena. *Petala* ſemiorbiculata, obtuſo-rotundata, ſeſſilia, baſi venoſa, erecto-patentia. *STAM.* purpuraſcentia. *Filam.* plurima, ſubulata, corolla longe breviora, erecta. *Anth.* lineares, truncatæ, utrinque planæ, purpureæ, ſulco longitudinali lu-

---

(*) *Meconopaignion ſ. Papaver ex omni antiquitate crutum.* Norimb. 1719.

(**) G. YOUNG *Treatiſe on Opium.* Lond. 1753.

(***) B. L. TRALLES *Uſus Opii ſalubris & noxius.* Vratisl. 1757-1762. vol. 2.

(†) *Anchora-ſalutis ſacra ſ. de Laudano opiato, &c.* Francof. 1671.

luteo. *PIST. Germen* ovato-globoſum, glabrum, longitudine ſtaminum, glaucum. *Stylus* nullus. *Stigma* hemiſphæricum, ſeſſile, latitudine germinis, undique ſtriatum: ſtriis radiantibus, elevatis, purpureis, minutim pubeſcentibus.

PROPR. rec. Odor ſatis fortis, papaverinus; *ſapor* debilis, vix ullus; *maſticata* petala tenera, lubrica, mucilaginoſa: ſaliva violacea. *Siccati* flores purpuraſcentes, inodori fere.

VIRTUS rec. narcotica; *ſicc.* anodyna.

USUS.

OBS. Infuſum flor. rec. aquoſum rubro-purpureum, odore papaverino, ſapore debiliore, papaverino, ſubamaricante; cum ſpiritu vitrioli pulchre ſangvineum fit; cum vitriolo martis ſubito nigreſcit; hujus infuſi guttæ 10, inſtillatæ aquæ puræ unciæ ß, addito vitriolo martis, colorem cæruleum ſtiterunt. Sub infuſione petala prorſus fere decolorantur. Infuſum florum, cum ebullitione paratum, rubro-purpureum eſt, mucilaginoſum; ſed ſi ſolummodo tepide paratur, parum mucilaginoſum evadit, & addito ſaccharo fit *Syrupus* pulcherrimus, leniter anodynus, ad tingendas mixturas idoneus.

OBS. 2. *Capita* immatura hujus ſpeciei pariter lacteſcunt: lacte luteo, odore Opii.

289. CAMBOGIA Gutta. LINN. *Sp. pl.* 728. *Mat. m.* 257.

Coddam-pulli. RHEED. *Malab.* 1. *p.* 41. *t.* 24. BLACKW. *Herb. t.* 392.

Groſſularia arborea gummifera, flore albo, intus tomentoſa. BARRER. *Æquin.* 56.

Caopia arbor. PIS. *Braſ. p.* 60. *t.* 60. MARCGR. *Braſil. p.* 96.

Pharm. GUTTA (Cambogiæ) Gummi.

Locus. India. *Arbor.* *FOR-*

295. CARYOPHYLLUS aromaticus. LINN. *Sp. pl.* 735. *Mat. m.* 265. BLACKW. *Herb. t.* 338.
Le Geroflier. SONNERAT *Nouv. Guin. p.* 196. *t.* 119.
Caryophyllus aromaticus Indiæ orientalis, fructu clavato monopyreno. PLUK. *Alm.* 88. *t.* 155. *f.* 1.
Caryophyllus. CLUS. *Exot. p.* 16. 181. 267. 376.
Arbor caryophyllorum. DE JAGER *ſtatut. p.* 449. *t.* 2. *fig.*
Pharm. CARYOPHYLLI AROMATICI. ANTHOPHYLLI Fructus.
Locus. Colitur in Amboina, in peninſulis Oma, Honimoa, Nuſſalauta. In inſulis reliquis Moluccis hodie penitus exſtirpatæ arbores. RUMPHIUS. Sed creſcit ſponte in Nova Guinea pluribusque inſulis adjacentibus. SONNERAT (*). Amat ſolum humidum. *Arbuſcula.*

FORMA. *Caryophyll.* ſicc. *Flores* inexplicati, ferruginei, ungviculares vel ultra, *germine* infero cylindrico, teretiuſculo, ſubtetragono, minutim rugoſo, terminato *Perianthio* fructus 4-partito: laciniis lanceolatis, acutis, concavis, erectis, germine multum brevioribus. Perianthium floris & *Corolla*, nondum explicata, in ſphærulam imbricata, longitudine calycis fructus. *STAM.* plura, intra corollam latentia. *Fructus* (*Anthophylli*): *Capſula* ovali-cylindrica, apice umbilicata: calycis laciniis perſiſtentibus; minutim rugoſa, magnitudine glandis quercinæ, unilocularis, monoſperma, continens *Nucleum* magnitudine fere & figura capſulæ, fuſcum, bipartibilem: ſutura anfractuoſa; *ſiccatum* ſolidum, duriſſimum. *PRO-*

(*) *Voyage à la Nouv. Guinée, p.* 199.

PROPR. Caryophyll. Odor fragrans, validus, aromaticus, ſvavis. *Sapor* aromaticus, fortis, calidus, acriuſculus, ſubamaricans; *maſticati* fauces lingvamque calefaciunt, halitu fragrantiſſimo. *Anthophyllor. odor* debilis caryophyllorum; *ſapor* ſubſtypticus, aromatico-caryophyllæus, debilior.

VIRTUS Caryophyll. calefaciens, tonica, ſtomachica, emmenagoga, confortans. *Anthophyll.* magis adſtringens.

USUS: culinaris; Caries dentium, Odontalgia, Paralyſis.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. Caryophyllorum rubrum, fragrantiſſimum, ſapore aromatico, calido; ex vitr. martis nigreſcit. Infuſum *Anthophyll.* rubrum, ſaturatum, odore caryophyllorum, ſapore conſimili, amaricante, minus calido; vitr. martis ſubito nigreſcit. *Oleum ſtill.* caryophyll. liquidum, rubrum, ſapore ſubdulci, omnium calidiſſimo, forti ex aromate caryophyllorum, odore graviuſculo caryophyllæo, in aqua ſubſidens. Caryophyllos aromaticos multum olei eſſentialis continere, peculiari methodo demonſtravit cl. Müller (*); obſervavit enim, poſtquam caryophyll. aromat. unc. ß per triduum digeſſerat in Naphtha vitrioli, parata e ſpiritu vini rectificatiſſimo & acido vitrioli concentratiſſimo, anarica portione mixtis & deſtillatis, & cum tincturæ huic aquam frigidam deinde affunderet, oleum ſponte ſecedere, flavo-virideſcens, innatans, ſapore & odore caryophyllorum, in Naphtham ſimul incidente, pondere ſcrupul. 7. Quod a Batavis emitur, oleum caryophyllorum, in ſolo natali deſtillatum, non æque purum eſt atque illud, quod cura & diligentia ipſi deſtillamus. Caryophylli olei ſtill. unam ſeptimam partem ponderis ſui dant. Hoc oleum omnium fragrantiſſi-

 mum

(*) *Diſſ. de Oleis eſſentialibus vegetabilium absque deſtillatione parandis.* Giſſæ 1756. p. 10.

Locus. Europa, Virginia, ſub aqua dulci. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix magna, longa, craſſitie brachii vel ultra, diametro 2 pollicum, cylindrica, extus fuſca, tomentoſa, undique adſperſa mammillis convexis, glabris, ſingulis inſtructis fibris teretibus, craſſitie pennæ anſerinæ; *parencymate* ſubcarnoſo, albido-luteſcente; poſt ſectionem transverſalem centro medullari amplo undulato, ſerie punctorum annulari in ambitu centri; peripheria parencymatis undique obſeſſa glandulis ſubdiaphanis, magnitudine fabæ ſeminis, ſpongioſis, h. e. undique pertuſis poris approximatis. *Flores* pedunculati, ſpecioſi: *pedunculis* longiſſimis, 2 vel 3 cubitorum longitudine varia, pro diverſa profunditate aquæ; teretibus, glabris, nudis, erectis, unifloris. *CAL. Perianth.* 4-phyllum: foliis lanceolatis, obtuſis, glabris, extus viridibus, intus albis, ſtriis parallelis, erecto-patentibus. *COR.* nivea, longitudine calycis, polypetala. *Petala* ultra 12, lanceolata, obtuſa, ſeſſilia, 5-ſtriata, erecto-patentia, germinis lateri undique inſidentia. *STAM. Filam.* numeroſa, erecta, ſupera, ſerie triplici diſpoſita, corolla duplo breviora; quorum exteriora lata, lanceolata, albida; interiora autem paullo anguſtiora, lutea, breviora. *Anth.* lineares, erectæ, ſulco longitudinali. *PIST. Germen* intra receptaculum. *Stylus* nullus. *Stigma* maximum, ſtaminibus duplo brevius, peltatum, ſeſſile, concavum, multipartitum: laciniis parallelis, carnoſis, ſubtus planis, ſupra convexis, apice luteis, glabris, lævibus, inflexis; *tuberculum* ovale, glabrum, in centro cavi ſtigmatis.

PRO-

PROPR. rec. radic. Odor nullus; *ſapor* ſtypticus; *maſticata* radix ſicciuſcula. Radix recens, cultro ferreo conciſa, ferrum ſolvit, & obducitur tandem culter pulvere nigro-cæruleſcente, inquinante. *Florum: odor* vix ullus; *ſapor* nullus; *maſticati* ſubglutinoſi.

VIRTUS: adſtringens; *rec.* leviter rubefaciens.

USUS.

OBS. 1. *Infuſ.* aquoſ. *radicis* rec. aqueum, ſublutefcens, odore debili, paludoſo, ſapore amaricante, leniter ſtyptico; vitr. martis ſubito cæruleo-nigreſcit; hujus infuſi guttæ 20, inſtillatæ aquæ puræ unciæ ß, addito vitr. martis, colorem violaceo-virideſcentem exhibuerunt; guttæ vero 40 cæruleo-violaceum. Infuſ. *florum* rec. luteſcens, limpidum, odore radicis, ſapore longe debiliore; vitr. martis derepente nigreſcit; hujus infuſi guttæ 10, cum aquæ unc. ß dilutæ, addito vitr. martis, colorem cæruleo-nigrum ſtiterunt. Alcohol vini, infuſo inſtillatum, nihil mucilaginoſi ſeparavit.

OBS. 2. Radix Nymphææ luteæ in officinis promiſcue ſumi ſolet cum albæ radice; ſed prior radix recens cultrum non afficit ut poſterior, niſi perquam leviter; valde tamen ſtyptica eſt, adeo ut infuſi radicis luteæ ſicc. guttæ 8, aquæ unciæ ß inſtillatæ, una cum vitr. martis, colorem violaceum fecerint.

291. BIXA Orellana. LINN. *Sp. pl.* 730. *Mat. m.* 266.
Urucu. PIS. *Braſ.* 65. MARCGR. *Braſ.* 61. SLOAN. *Jam.* 2. *p.* 52. *t.* 181. *f.* 1.
Orleana ſ. Orellana folliculis lappaceis. PLUK. *Almag. p.* 272. *t.* 209. *f.* 4. COMMEL. *Hort.* 1. *p.* 65. *t.* 33.
Pigmentaria. RUMPH. *Amb.* 2. *p.* 79. *t.* 19.
Oviedi Bixa. CLUS. *Exot.* 74. *t.* 74.

Le Rocu. Merian. *Surin. p. 44. t. 44.* Sonnerat *Voy. à la Nouv. Guinée, p. 29. t. 18.*
Achiotl. Hernand. *Mex. p. 74.*
Arnotta. Bancr. *Gvian. p. 27.* *
Pharm. *ORLEANA* terra.
Locus. Braſilia, Mexico. *Arbor.*
FORMA. *Maſſa* coccinea in fruſtis majoribus, ſolida, æqualis, pura, fragiliuſcula, ſubinquinans.
PROPR. *Odor* ingratus, etiam recenter paratæ Orleanæ, cum tota arbor ingratum ſpargat odorem; ea vero, quæ apud nos venditur, ſæpe Tabacum redolet, forte a præparatione. *Sapor* debilis, obſcure ſalſus; *maſticata* in ore ſolubilis, ſalivam coccineo colore tingens.
VIRTUS.
USUS: tinctorius.

OBS. 1. Orleana terra in America ab incolis paratur ex ſeminibus Bixæ maturis, in aqua calida maceratis, tum colatis, & tinctura quieti reddita, ut fæculæ ſubſidant, quæ ſervandæ. Terra hæc Orleana, cum aqua pura vel ſaliva trita, ſolvitur: ſolutione coccinea. Digeſtione in aqua tepida non penitus ſolvitur; tincturam tamen dat phœniceam, ſubſalſam, vitriolo martis prorſus nil demutatam. Mulierculis *fuci* loco inſervit, unde *Bezetta rubra.* In lixivio cocta, ſericum, lanas & lintea colore rubro-aurantio tingit; ſed colorem perſiſtentem non dat, niſi ſerico. Pars colorans reſidet in reſinoſo, quare alcali ope ſolvenda, ut tinctoria evadat; ſi enim acidis ſolvitur, nimis luteſcit. Apportatur hæc terra in fruſtis, pondere librar. 2 vel 3, foliis obtectis. Præſtantiſſima ea eſt, quæ pulchro colore carneo-rubro eſt, absque venis nigris.

OBS. 2. In America cibo, loco Croci, ſemina arboris admiſcent incolæ. Colitur hæc arbor imprimis

a barbaris Americæ, ob fucum Americanum, quem parant maceratione ſeminum recentium in ſucco Limonum, addito gummi ex arbore *Mauna*, quo totum corpus rubro-kermeſinum pingunt; Edv. Bancroft.

292. TILIA europæa. Linn. *Sp. pl.* 733. *Mat. m.* 262. Oeder *Icon. t.* 553. Kniph. *Bot. orig. cent.* 10.

Tilia. Blackw. *Herb. t.* 469. Dod. *Pempt.* 826. Merian. *Eruc. ort. p.* 31. *t.* 76.

Tilia femina. Dalech. *Hiſt.* 89.

Tilia fœmina folio minore. Duham. *Arbr.* 2. *p.* 334. *t.* 95.

Pharm. *TILIÆ* Cortex, Flores.

Locus. Europa. *Arbor.*

FORMA. rec. Cortex (ramulorum) tenuiuſculus, cinereo-luteſcens, fibris retiformibus conſtans, interſtitiis repletis fibris transverſalibus, parallelis, ſubpulpoſis; extus veſtitus epidermide fuſco-cinerea. *Corymbi* florum ſimplices, axillares e foliis, prope gemmam futuri anni, longius pedunculati, patentes, ſolitarii, glabri, ſubſexflori. *Pedunculi* proprii verſus baſin cingulo notati, e punctis circiter tribus conſtante. *Bractea* linearis, ſolitaria, membranacea, albido-ſubvirideſcens, glabra, venulis reticulata, apice obtuſo-rotundata, inferne attenuata, baſi ſæpe dimidiata, palmaris, longitudine corymbi, a medio inferne pedunculo adnata, ſuperne libera. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, 5-partitum: laciniis albidis, ovato-lanceolatis, acutis, concavis, extus glabris, intus villoſis, reflexo-patentibus. *COR. Petala* 5, oblongo-cuneiformia, obtuſa, interne in ungves lineares breves attenuata, calyce paullo longiora, patentiſſima, concaviuſcu-

la, albida. *STAM. Filam.* plurima ſubulata, albida, corolla longiora, erecta. *Anth.* luteæ, cordatæ, erectæ. *PIST. Germen* ſuperum, ſubrotundum, tomentoſum. *Stylus* cylindricus, albus, ſtaminibus paullo brevior. *Stigma* ſubcapitató-truncatum, rugoſum.

PROPR. rec. Cortic. ſicc. *Odor* debiliſſimus; *ſapor* debilis, vix amaricans. *Florum*: *Odor* ſvaveolens, præcipue tempore veſpertino, in flores Naphæ incidens. *Sapor* debilis, ſubglutinoſus; *maſticati* flores recentes lubrici ſentiuntur, mucilaginoſi. Petala, peracta antheſi, rubeſcunt; decerpta etiam rubeſcunt inter ſiccandum. *Siccati* flores fere inodori, ſapore pariter ſubglutinoſo.

VIRTUS: *flor. rec.* ſubanodyna.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum *cortic. ſicc.* aurantium, odore debili, ingrato, ſapore odori congruente; vitr. martis fuſceſcit; *florum rec.* infuſum ſvaveolens, ſapore debiliter amaricante; cum vitriolo martis nigreſcit. Infuſum ſaturatiſſimum florum *recenter ſiccator.* mucilaginoſum, ſpiſſum, adſpectu tamen limpidum, diaphanum, citrinum, in fila ductile, odore florum paullo debiliore, ſapore debilius amaricante, odori congruente; in ore detentum ſpiſſum, haud aliter ac oleum, ſentitur; vitriolo martis nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 20, aquæ unciæ ℥ inſtillatæ, addito vitr. martis, colorem fuſco-virideſcentem ſtiterunt. Alcohol vini, infuſo additum, mucilaginem præcipitavit. *Aqua* ſtillat. florum Tiliæ ex ipſis floribus parari debet, ſepoſitis bracteis. Si ex floribus recentibus, integris & non contuſis deſtilletur, juſto calore, fragrans evadit & gratum excipiens in mixturis.

293. THEA bohea. LINN. *Sp. pl.* 734. *Mat. m.* 264. *Amœn. acad.* v. 7. *p.* 237. *t.* 4.

Frutex Theæ. LETTSOM *Diſſert. p.* 25. *t.* 1. *f.* 1. 2.

Thea frutex Bontii. BLACKW. *Herb. t.* 352.

Tſia, Thea, Frutex folio Ceraſi, flore Roſæ ſylveſtris, fructu unicocco, bicocco & utplurimum tricocco. KÆMPF. *Amœn.* 605.* *t.* 606.

Evonymo affinis arbor orientalis nucifera, flore roſeo. PLUK. *Alm.* 139. *t.* 88. *f.* 6.

Thee Sinenſium ſive Tſia Japonenſibus. BREYN. *Icon.* 17. *t.* 3.

Frutex Thée. CLYERS in BARTHOL. *Act. med.* vol. 4. *p.* 1. *t.* 1.

Thea. PETIT. *carm. t.* 1.

Culinis THEÆ BOHEÆ Folia.

Locus. China, Siam, Japonia. *Arbuſcula.*

FORMA. Folia ſubadulta, alterna, breviter petiolata, ovali-oblonga, obtuſa, pollicaria vel ultra, venoſa, margine ſerrata: ſerraturis acutis, fuſcis, adpreſſiuſculis; utrinque glabra, ſæpe ſubtus pubeſcentia: pilis raris, tenuibus.

PROPR. ſicc. Odor gratus. *Sapor* amaricans, acerbus, non ingratus tamen. Folia e China ad nos apportantur convoluta, ſicciſſima, fuſca, rariſſime integra, ſæpius extremitatibus diffractis.

VIRTUS: diuretica.

USUS: diæteticus ſanis pariter ac ægrotis.

OBS. 1. *Infuſ.* aquoſ. ſaturatum rubicundum, odore & ſapore Theæ, vitr. martis adjecto nigreſcit; hujus infuſi guttæ 10, aquæ puræ unciæ ß inſtillatæ, addito vitr. martis, colorem fuſco-virideſcentem effecerunt; guttæ vero 16 colorem opacum, nigricantem.

OBS. 2. *Extractum* Theæ ad nos fertur e China, in maſſa ſicca, ſolida, nigricante, ſplendente, perfragi-

gili, friabili, odore debiliſſimo, & ſapore Theæ, ſed inſimul ſtyptico; quod extractum, *maſticatum*, inter dentes friabile eſt, facile ſolvitur, ſaliva viridi. In aqua fervida cito ſolvitur: ſolutione viridi-brunnea, odore ſubnauſeoſo, ſapore Theæ rudi & ſtyptico, cum vitr. martis ſubito nigreſcente, cujus guttæ 6, cum aquæ unc. ß dilutæ, addito vitr. martis, colorem fuſco-virideſcentem ſtiterunt.

OBS. 3. Colitur hic frutex in China, & caute decerpuntur folia tenella, unde Thea melioris notæ paratur, ſed vilior Thea ex foliis adultioribus fit. Super laminam ferream torrentur deinde hæc folia; toſta vero, dum adhuc fervent, inter manus convolvuntur, idque crebro, quoad criſpa penitusque ſiccata reddantur. Ante toſtionem communiter citiſſime infundunt hæcce folia aquæ fervidæ. Poſtquam ita ſiccata ſunt, vaſis probe obturatis immittuntur, & annuo ſpatio linquuntur, non guſtanda. Sic mitigatur, torrefactione & ætate, ea, quæ in Thea ineſt, virulentia, quam botanicus alias facile reformidaret.

OBS. 4. Thea Chinenſis paullo ante medium ſeculi 17. Europæis innotuit, nec finitum ante erat ſeculum, quam per totam Europam increbuerat. Nunc vulgatiſſimi uſus ubique eſt. Nos, Chinenſium morem ſequentes, Theæ infuſum adhibemus; Japonenſes vero pulverem foliorum aquæ immiſcent, unde fit quaſi pulmentum tenuius, quod ſorbillant. Credunt Japonenſes, Theæ uſum nocere colica vel ophthalmia laborantibus, prodeſſe vero calculoſis; Chinenſes rurſus maximis encomiis Theam ubique proſequuntur. Qui apud nos Thea abutuntur, pallidi fiunt, tremuli, langvido ventre, inſomnes.

OBS. 5. Experimenta inſtituit cl. Coakley Lettsom (*) cum Thea viridi & bohea. Deſtillavit Theæ viridis

(*) *Diſſ. inaug. ſiſtens obſervationes ad vires Theæ pertinentes.* Lugd. Batav. 1769.

ridis libr. ℥ cum aqua ſimplici, & elicuit unc. 1 aquæ ſtill. fragrantis. Reſiduum dedit unc. 5 & drachm. 5 extracti aquoſi, leviter fragrantis, ſapore valde amaro & ſtyptico. Hanc aquam ſtillat. nervis Ranæ iſchiaticis denudatis & cavitati abdominis applicuit, unde extremitates poſteriores intra dimidium horæ prorſus paralyticæ & inſenſuales factæ, & poſt horam exſpiravit Rana. Id vero non accidebat ab extracto Theæ injecto. Unde concludit, fragrantiam Theæ deleterias poſſidere vires, ſicque nocere, dum potus Theæ in largiori quantitate hauritur. Quoniam Thea viridis fragrantior eſt Thea bohea, eam magis nocivam arbitratur.

294. THEA viridis. LINN. *Sp. pl.* 735. HILL. *Exot.* *t.* 22.

Thea ſinenſis. BLACKW. *Herb. t.* 351.

Culinis THEÆ VIRIDIS Folia.

Locus. China *Arbuſcula.*

FORMA. Folia ſubadulta, alterna, breviter petiolata, ovato-lanceolata, apice attenuata, obtuſiuſcula, pollicaria, ſæpe ſubbipollicaria, utrinque glabra, viridia, tenuiuſcula, margine acute ſerrata: ſerraturis incurvatis, puncto fuſco ſ. mucrone acuto adpreſſiuſculo terminatis.

PROPR. ſicc. Odor gratus; *ſapor* grate acerbus, odori congruens. Folia pari modo contorta, ac in Thea bohea.

VIRTUS præcedentis.

USUS præcedentis.

OBS. Infuſum aquoſum ſaturatum rubro-luteum, odore fragrante, ſapore intenſius acerbiuſculo, odori congruente; cum vitriolo martis ſubito nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 8, aquæ puræ unciæ ℥ inſtillatæ, addito vitriolo martis, colorem cæruleum, ſubvirideſcentem, exacte ut color ex Indigo; guttæ vero 20 nigrum, ſtiterunt.

295. CARYOPHYLLUS aromaticus. Linn. *Sp. pl.* 735. *Mat. m.* 265. Blackw. *Herb. t.* 338.

Le Geroflier. Sonnerat *Nouv. Guin. p.* 196. *t.* 119.

Caryophyllus aromaticus Indiæ orientalis, fructu clavato monopyreno. Pluk. *Alm.* 88. *t.* 155. *f.* 1.

Caryophyllus. Clus. *Exot. p.* 16. 181. 267. 376.

Arbor caryophyllorum. De Jager *ſtatut. p.* 449. *t.* 2. *fig.*

Pharm. *CARYOPHYLLI AROMATICI. ANTHOPHYLLI* Fructus.

Locus. Colitur in Amboina, in peninſulis Oma, Honimoa, Nuſſalaura. In inſulis reliquis Moluccis hodie penitus exſtirpatæ arbores. Rumphius. Sed creſcit ſponte, in Nova Guinea pluribusque inſulis adjacentibus. Sonnerat (*). Amat ſolum humidum. *Arbuſcula.*

FORMA. *Caryophyll.* ſicc. *Flores* inexplicati, ferruginei, ungviculares vel ultra, *germine* infero cylindrico, teretiuſculo, ſubtetragono, minutim rugoſo, terminato *Perianthio* fructus 4-partito: laciniis lanceolatis, acutis, concavis, erectis, germine multum brevioribus. Perianthium floris & *Corolla*, nondum explicata, in ſphærulam imbricata, longitudine calycis fructus. *STAM.* plura, intra corollam latentia. *Fructus* (*Anthophylli*): *Capſula* ovali-cylindrica, apice umbilicata: calycis laciniis perſiſtentibus; minutim rugoſa, magnitudine glandis quercinæ, unilocularis, monoſperma, continens *Nucleum* magnitudine fere & figura capſulæ, fuſcum, bipartibilem: ſutura anfractuoſa; *ſiccatum* ſolidum, duriſſimum. *PRO-*

(*) *Voyage à la Nouv. Guinée, p.* 199.

PROPR. Caryophyll. Odor fragrans, validus, aromaticus, ſvavis. *Sapor* aromaticus, fortis, calidus, acriuſculus, ſubamaricans; *maſticati* fauces lingvamque calefaciunt, halitu fragrantiſſimo. *Anthophyllor. odor* debilis caryophyllorum; *ſapor* ſubſtypticus, aromatico-caryophyllæus, debilior.

VIRTUS Caryophyll. calefaciens, tonica, ſtomachica, emmenagoga, confortans. *Anthophyll.* magis adſtringens.

USUS: culinaris; Caries dentium, Odontalgia, Paralyſis.

OBS. I. *Infuſum* aquoſ. Caryophyllorum rubrum, fragrantiſſimum, ſapore aromatico, calido; ex vitr. martis nigreſcit. Infuſum *Anthophyll.* rubrum, ſaturatum, odore caryophyllorum, ſapore conſimili, amaricante, minus calido; vitr. martis ſubito nigreſcit. *Oleum ſtill.* caryophyll. liquidum, rubrum, ſapore ſubdulci, omnium calidiſſimo, forti ex aromate caryophyllorum, odore graviuſculo caryophyllæo, in aqua ſubſidens. Caryophyllos aromaticos multum olei eſſentialis continere, peculiari methodo demonſtravit cl. MÜLLER (*); obſervavit enim, poſtquam caryophyll. aromat. unc. ß per triduum digeſſerat in Naphtha vitrioli, parata e ſpiritu vini rectificatiſſimo & acido vitrioli concentratiſſimo, anarica portione mixtis & deſtillatis, & cum tincturæ huic aquam frigidam deinde affunderet, oleum ſponte ſecedere, flavo-värideſcens, innatans, ſapore & odore caryophyllorum, in Naphtham ſimul incidente, pondere ſcrupul. 7. Quod a Batavis emitur, oleum caryophyllorum, in ſolo natali deſtillatum, non æque purum eſt atque illud, quod cura & diligentia ipſi deſtillamus. Caryophylli olei ſtill. unam ſeptimam partem ponderis ſui dant. Hoc oleum omnium fragrantiſſimum

(*) *Diſſ. de Oleis eſſentialibus vegetabilium absque deſtillatione parandis.* Giſſæ 1756. *p.* 10.

mum eſt, acerrimi ſaporis, in Spiritu vini ſolubile, in aqua ſubſidens, recenter paratum colore aqueo, ætate primum luteſcens, deinde rubicundum. *Aqua ſtill.* fragrans. *Extractum* ſpirituoſ. acerrimum, minus odoratum. Spiritus vini minus odorati, plus ſapidi, quam aqua, extrahit, ut docet cl. Lewis. Anthophylli fructus recens *oleum expreſſum* dat.

OBS. 2. Ubi validum aromaticum indicatur, caryophylli aromatici propinantur; ſed valde calefaciunt. Oleum Caryophyll. dentibus immittitur, ad ſedandam cariem ſiccam.

OBS. 3. Coluntur arbores Caryophylli ſolo pingviuſculo, locis umbroſis quamdiu teneræ ſunt; octavo vel duodecimo ætatis anno fructiferæ evadunt, & deinde quovis quadriennio copioſam meſſem proferunt. Simulac flores in corymbis rubri apparent, tempus incidit illos colligendi. Eum in finem terra ſub arboribus depurgatur, atque ſcopis verritur, quo facto nonnemo arborem conſcendit, ramulos proximos manibus, remotos vero baculis hamatis attrahit, corymboſque decerptos in terram dejicit. Virentes hos caryophyllos primum aquæ fervidæ immergunt, deinde amplis obtegunt foliis, tigillisque imponunt, ut fumo imprægnentur, quare etiam ſub his fumans locatur ignis, atque ita per aliquot dies in fumigio relinquuntur, quoad rufum acquirant colorem. Tum ſolis calori Caryophylli exponuntur ad ſiccandum, unde ulterius nigreſcunt. Siccationem vero rite peractam eſſe, exinde cognoſcitur, quod tunc ungvibus abraſa quædam portio intus læte purpureum præbet colorem, tanquam Ceraſi fructus diſſectus. Plerique immerſionem caryophyllorum in aquam fervidam minus curant, non tamen fumigium negligunt, quatenus eos bonos eſſe cupiunt, quoniam rugoſi, leves & ſordidi evadunt caryophylli, ſi tale fumigium non adhibetur. Ex abuſu caryophyllorum maxima plerum-

rumque noxa emergit. Incolæ Arraco ſuo caryophyllos ſæpe àdjiciunt, undé fit potus inſalubris, ingentem cephalæam excitans, atque tenebricoſum viſum efficiens, quod etiam illis accidit, qui caryophyllos quotidie tabaco immiſcent. Odor ex acervo Caryophyllorum congeſto tam nocivus eſt, ut ſi per unicam ſolum noctem in camera quis dormiverit, in vel ſub qua acervus collocatus eſt, nauſeabundus usque ad vomitum anxiusque fit, & ingenti capitis dolore corripitur. RUMPHIUS.

OBS. 4. *Corticem* arboris Caryophylli aromatici ex inſula Philippin. Manilla apportavit cl. CAR. H. WÅNMAN, qui eum a Pharmacopola JOSEPHO DEL ROSARIO, ibidem habitante, acceperat. Hic cortex in fruſtis erat pedalibus, convolutus, extus cinereus, rugoſus, ſed epidermide ſæpius abſciſſa, unde læviuſculus apparebat; craſſitie lineæ 1 vel 2, ſolidus, difficulter fragilis: fractura glabriuſcula, albicante; *odore* fragrante, fere caryophyllorum aromaticorum, ſed paullo graviore; *ſapore* aromatico, odori congruente, calido, acuto. *Maſticatus* inter dentes durus, difficilius comminuitur, calet in ore & faucibus, halitu fragrante. Eodem odore inſtructæ ſunt omnes partes arboris, utpote radix, folia, flores, fructus. Binæ ſpecies hujus generis cognitæ ſunt; 1. *Caryophyllus aromaticus* foliis ſubſeſſilibus acutis; hæc eſt arbor officinalis. 2. *Caryophyllus ſpurius* foliis petiolatis obtuſis; Le faux Geroflier, SONNERAT *Nouv. Gvin. p. 197. t. 120.* Habitat in Nova Gvinea, omni aromate carens arbor.

OBS. 5. Statuta, circa caryophyllorum mercaturam obſervanda, recenſuit, & e codice legum Amboinenſium extraxit H. DE JAGER (*).

296.

(*) Recuſa exſtant in VALENTINI *India literata*, p. 447. *ſeq.*

296. CISTUS creticus. Linn. *Sp. pl.* 738. *Mat. m.* 263.

Ladanum creticum. Alpin. *Exot.* 89. *t.* 88.

Pharm. LADANI Gummi.

Locus. Creta. *Arbuſcula.*

FORMA. *Reſina* in maſſa ſubcylindrica, craſſitie pollicis, ſæpe in ſpiram torta, ſolida, dura, ſublapidea, ponderoſa, homogenea, ſicca, opaca, fuſca, in fruſta ſecta & luci expoſita ſubſplendens atomis micantibus, ſparſis.

PROPR. *Odor* balſamicus, gratus; *ſapor* debilis, balſamicus; *maſticata* hæc reſina inter dentes dura, friabilis, comminuitur, arenuloſa ſentitur, non ſolvitur. Ignis flammæ admota accenditur, ſubdeſtillat, flagrat: flamma vivida, fumante, fuliginoſa, grato & balſamico odore, relictis carbonibus, non inquinantibus. In cochleari ferreo ſuper ignem liqueſcit, & odorem ſpargit gratum. *Solvitur* in ſpiritu vini, nequicquam in aqua. Simplici aquæ infuſa hæc reſina cum digeſtione, odorem aquæ communicat, idque præcipue ſi deſtilletur, unde fit aqua ſtillatitia fragrans, cui ſupernatat oleum eſſentiale fragrans, reſiduo remanente ſub forma reſinæ pæne inodoræ. In oleis non ſolvitur, ſive ſint expreſſa ſeu ſtillatitia, verum tingit olea hæc ſub digeſtione colore rubro-brunneo.

VIRTUS: roborans, ſtomachica, reſolvens.

USUS: externus.

OBS. Ladanum multum arenuloſi immixtum habet, partim fraude, partim ventorum injuria. Exſudat hæc reſina præcipue e foliis fruticis, & ab incolis, teſte Bellonio, colligitur diebus canicularibus, ardente ſole, unde mollefcit. Utuntur vero hi ad collectionem lingulis coriaceis, quibus vibratis adhæret dicta reſina, cul-

cultris poſtmodum abradenda. Pura reſina ad nos rariſſime fertur. Illa minus dura, plaſtica, agitatione inter digitos ſenſim mollior fit, colore eſt nigricante, odore validiore.

ORDO
DIGYNIA.

297. PÆONIA officinalis. LINN. *Sp. pl.* 747. *Mat. m.* 267. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 6.

Pæonia mas. LOBEL. *Icon.* 602. BLACKW. *Herb. t.* 245.

Pœonia femina. BLACKW. *Herb. t.* 65. LOB. *Hiſt.* 391.

Pæonia promiſcua ſ. neutra. LOB. *Hiſt.* 390.

Pharm. *PÆONIÆ* Radix, Flores, Semina.

Locus. Alpes Helvetiæ. Colitur ubique in hortis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix majuſcula, informis, ſubramoſa, breviuſcula, extus rubra, *parencymate* incarnato, ſtriis radiantibus; tuberoſa: *tuberibus* e radice exeuntibus, pedunculatis, fuſiformibus, palmaribus vel ultra, ſæpe ſpithamæis, ſimplicibus vel proliferis, ſæpe moniliformibus, extus dilute rubicundis, læviuſculis, *parencymate* albo, carnoſo, ſolido. *Flores* pleni. *Bracteæ* 2, foliaceæ, calyci ſubjectæ & approximatæ. *CAL. Perianth.* 5-phyllum: foliolis ovatis, obtuſis, nervoſis, minutim villoſis, concavis, patentibus, inæqualibus. *COROLLA* plena, hemiſphærica, magnitudine pugni, kermeſina: *petalis* ſeſſilibus, numeroſis, cuneiformibus, obtuſis, ſubinciſis. *STAMINA* in petala mutata. *PIST. Germina* 2 vel 3, ovato-oblonga, tomentoſo-ſericea, alba,

alba, angulata. *Styli* nulli. *Stigm.* lanceolata, compreſſa, ſubcarnoſa, kermeſina. *Semina* ovata, magnitudine ſeminis Piſi, cincta cortice nigro-fuſco, nitido; *parencymate* cotyledoneo, ſolido, extus villoſo, poſt ſectionem transverſalem notato puncto centrali.

PROPR. radicis rec. *Odor* gravis, narcoticus, floribus congruens; *ſapor* acriuſculus; *tuberum* rec. *odor* fortis, fere Raphani, ſed ſimul graviuſculus, hircino-narcoticus, cum floribus conveniens. *Sapor* dulceſcens, acris inſtar Raphani: acrimonia fugaci. Sub reſectione tuberum rec. in taleolas; culter corripitur, uti ſolet ex reſectis malis citreis. Tubera *cocta* molleſcunt, *maſticata* tenera, ſed inſimul firmiuſcula, odore alimentari, aliquantum tamen hircino, ſapore dulceſcente, ex Naſturtio participante. *Florum* recent. *odor* narcoticus; *ſapor* narcoticus, amaricans; *maſticati* teneri, ſaliva rubro-violacea.

VIRTUS: anodyna, antiſpasmodica.

USUS. Epilepſia, Ecclampſia, Convulſiones.

OBS. 1. *Infuſ.* aquoſ. tuber. *radicis* rubicundum, odore narcotico, ſapore dulceſcente, ſtyptico; vitr. martis fuſco-violaceum. Infuſ. *florum* pulchre rubro-kermeſinum, leniter ſtypticum, gratum tamen, odore florum; cum vitr. martis nigreſcit; cum ſpiritu vitrioli, ſucco citri congelato atque aceto vini color ſangvineus exſurgit; cum oleo Tartari viridi-luteſcit, nempe infuſum e floribus rec., ex ſiccatis vero fuſceſcit. Infuſum *ſeminum* ſiccat. limpidiuſculum, ſubfatuum; vitr. martis ſubobſcurum.

OBS. 2. Ex tuberibus Pæoniæ recentibus, eadem encheireſi ac cum tuberibus Solani tuberoſi, obtinetur *Amylum* album, mite, ſub elixatione in aqua gelatineſcens, bene glutinans.

OBS. 3.

OBS. 3. De Pæonia ſcripſit JOH. AUG. HÜNERWOLFF. (*). Is radicis Pæon. libr. 1 deſtillavit, & obtinuit aquæ ſpirituoſ. unc 6, & olei drachm. 3. Sal fixum in capite mortuo accepit. Laudat radicem Pæoniæ, præcipue in epilepſia, ecclampſia infantili, tuſſi convulſiva.

ORDO
TRIGYNIA.

298. DELPHINIUM Conſolida. LINN. *Sp. pl.* 748. *Mat. m.* 268.
Conſolida regalis. CAMER. *Epit.* 521.
Flos regius. DODON. *Pempt.* 252.
Pharm. CONSOLIDÆ REGALIS Herba, Flores.
Locus. Europa, in agris. *Annuum.*

FORMA. rec. Radix filiformis, fibrilloſa. *Caulis* teres, pubeſcens, ſubbipedalis, erectus, ſuperne ramoſus. *Rami* alterni, patentes. *Folia* alterna, pinnato-multifida: laciniis linearibus, acutis, minutim pubeſcentibus; inferioribus petiolatis; ſuperioribus ſubſeſſilibus. *Racemus* terminalis, nudus. *Bracteæ* ſolitariæ, lineari-ſubulatæ, ad exitum pedunculorum ſolitariæ, ſed in pedunculis oppoſitæ. *CALYX* nullus. *COROLLA* violacea. *Petala* 5, ovata, acutiuſcula, patentia, æqualia, ſubtus minutim pubeſcentia, linea longitudinali; ſupremum baſi productum in cornu filiforme, rectum, obtuſum, cineraſcens, patens. *Nectarium* monophyllum, dilutius violaceum, concavum, compreſſiuſculum, antice margine utrinque auriculato, rotundatum, apice ere-

(*) *Anatomia Pæoniæ.* Arnſtedi 1680.

erectum, obtuſum, bifidum, fauce ſtriata, baſi cornutum: cornu petali ſupremi cornu intruſo. *STAMIN. Filam.* plurima, alba, inferne plana, ciliata, ſuperne ſubulata, longitudine nectarii, conniventia, erecta. *Antheræ* luteæ, ſubrotundæ, erectæ, obtuſæ, compreſſæ, didymæ, margine pubeſcentes. *PIST. Germen* cylindricum, glabrum, virideſcens. *Stylus* cylindricus, albus, ſtaminibus brevior. *Stigma* obtuſum.

PROPRIET. rec. Odor debilis, aphrodiſiacus. *Sapor* amarus.

VIRTUS.

USUS.

OBS. *Infuſ.* aquoſ. corollæ recentis pulcherrime cæruleo-ſapphirinum, amaricans; cum ſpiritu vitrioli & ſucco citri congelato rubro-purpuraſcens; cum oleo tartari p. d. purpureo-virideſcens; cum aceto vini gall. non demutatum, verum colore dilutum; cum vitr. martis nigreſcens. Sub infuſione petala non decolorabantur. Si infuſum cito paratur, brevi infuſione, color cæruleus ab acidis fere omnibus deletur.

299. DELPHINIUM Staphiſagria. LINN. *Sp. pl.* 750. *Mat. m.* 269.

Staphiſagria. DOD. *Pempt.* 362. BAUH. *Hiſt.* 3. *p.* 641. BLACKW. *Herb. t.* 265.

Pharm. STAPHISAGRIÆ Semina.

Locus. Europa auſtralis, Virginia. *Bienne.*

FORMA. Semina majuſcula, angulata, tetragona, ſæpe trigona, baſi truncata, apice acutiuſcula, incurvata, dorſo plano-convexa, antice carinata, undique rugoſa punctis excavatis; *parencymate* conſtante ex nucleo albido.

PRO-

PROPR. ſicc. Odor fœtidus; *ſapor* intenſe amarus, acris, nauſeoſus, diu inhærens; *maſticata* fauces rodunt.

VIRTUS: vomitoria, draſtica, inflammans, venenata, phthiriaca.

USUS: externus; Pediculi, Scabies, Ulcera fungoſa.

OBS. Infuſum aquoſ. rubrum, odore fœtido, ſapore intenſe amaro, nauſeoſo; vitr. martis adjecto color ſibi conſtat.

300. ACONITUM Napellus. LINN. *Sp. pl.* 751. SCHREB. *Mat. m.* 291. SCHWENCK. *Gewaſſ.* 308. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 5.

Aconitum. GARID. *Aix.* 7. *t.* 2.

Napellus. DODON. *Pempt.* 439.

Pharm. ACONITI Herba, Extractum.

Locus. Virginia, Helvetia, Svecia, Gallia. Conſeritur in hortis. *Perenne.*

FORMA. rec. Caules plures ex una radice, tripedales vel ultra, erecti, teretiuſculi, ſubangulati: angulis ſolitariis, obſoletis, e dorſo petioli decurrentibus, inferne glabri, ſuperne minutim pubeſcentes, ſimplices. *Folia* alterna, petiolata, utrinque glabra, ſupra obſcure viridia, lineata, ſubtus pallidiora, circumſcriptione rotunda, 5-partita: lobis cuneiformibus, bitrifidis, inciſis, laciniis mucronatis. *Petioli* glabri, ſubtus teretes, ſupra concavi. *Racemus* terminalis, elongatus, erectus, inferne compoſitus, folioſus, floribus pedunculatis, erectis. *Bracteæ* lineari-lanceolatæ, acutæ, minutim ciliatæ, ad pedunculos ſolitariæ, illisque longiores, glabriuſculæ, ad flores vero oppoſitæ. *Pedunculi* teretes, pubeſcentes, clavati. *CALYX* nullus. *CO-*

ROLLA cærulea, pubeſcens. *Petala* 5, ſecunda, ſubimbricata; quorum *ſupremum* galeatum, triangulare, dorſo obtuſo-rotundatum, erectum, apice obtuſiuſculum, patens, antrorſum ſpectans, latere utrinque compreſſum, notatum nervis 4 arcuatis; *lateralia* 2 oppoſita, obovata, plana, ſuperne venoſa, ſubconniventia, galeæ intruſa, latere interiore hirta; *infima* 2 approximata, imbricata, minora, ovali-oblonga, obtuſa, deorſum ſpectantia. *Nectaria* 2, in galea recondita, cærulea, æqualia, filiformia, antice canaliculata, apice tubuloſa, incurvata, obtuſa, deorſum hiantia: ore obliquo, biloculari, labio producto, ſublineari, emarginato, recurvato. *STAM. Filam.* plurima, inferne linearia, albida, carinata, glabra; ſuperne ſubulata, purpurea, reflexiuſcula, piloſa, corolla duplo breviora. *Anth.* ſubrotundæ, erectæ. *PIST. Germina* 3, viridia, glabra, ſubcylindrica, longitudine fere ſtaminum, deſinentia in *Stylos* breviuſculos purpureos. *Stigmata* obtuſa, compreſſa, recurvata.

PROPRIET. recent. *Odor* fortis, herbaceus; *Sapor* herbaceus.

VIRTUS; pellens, ſudorifera, diuretica, ſubvertiginoſa; *recens* venenata.

USUS: Rheumatiſmus, Arthritis, Malum iſchiadicum.

OBS. 1. *Succus expreſſus* foliorum colore obſcure rufo, ingrato odore, ſapore acri leniterque ſtyptico. Hic ſuccus, caute inſpiſſatus in melliginis conſiſtentiam, odore & ſapore convenit cum ſucco expreſſo, ſed ſubſalſus inſimul eſt. Hoc *Extractum* ſolvitur in aqua, ſolutione brunnea, & addito vitriolo martis fuſceſcit.

OBS. 2.

OBS. 2. Plurima experimenta cum Extracto Aconiti in Svecia inſtituta ſunt. Bonum ſane effectum ſæpius experti ſumus in rheumatiſmis, febribus intermittentibus protractis cum ſtatu leucophlegmatico, malo iſchiadico, hæmorrhagia uteri chronica, &c., doſi a gr. I ad ſcrup. ß, bis vel ſæpius de die propinata. In quartanis compluries præſcripſi hujus extracti gran. 5 quovis bihorio, & cl. Henr. Jos. Collin (*) ad drachmam ß illud exhibuit quotidie. Sed quod etiam in parca doſi effectum præſtiterit, docuit cl. C. M. Blom (**). Conſultum ſemper eſt, a doſi parca incipere, ubi recordamur, quam funeſtos effectus edidit planta recens manducata, cujus rei exempla adduxerunt auctores (***).

OBS. 3. De Aconito eleganter egit ill. Ant. Störck (†), pluribus caſibus uſum ejus declarans, & confirmavit cl. S. A. Reinhold (††). Plantæ figura, a laudato Störck adjecta, ſatis indicat, hunc virum experimenta ſua inſtituiſſe cum Aconito Cammaro Linn., quæ planta, dum ſpontanea colligitur, videtur acrior eſſe Napello, pulvis enim foliorum Cammari lingvæ imprimit ardorem inhærentem cum dolore, prout ſcribit Störck, quem effectum ex Napello non obſervavi.

OBS. 4. Radicis ſicc. Aconiti Napelli grana 15, cani data, ſtrangulationem induxerunt, purgationem alvi, ſummam debilitatem, ſubſequente vomitu copioſo, quem exceperunt convulſiones totius corporis & ſingultus;

 tan-

(*) *Obſervat. p. 2. p. 160.*

(**) *K. Vetenſk. Acad. handl. 1773. p. 258.*

(***) Cfr. Dodon. *Pempt. l. c.* Moræus in *Vetenſk. Acad. handl. 1739. v. 1. p. 41.*

(†) *Libell. p. 69. ſeq.*

(††) *Diſſ. inaug. de Aconito Napello*, Argentor. 1769.

tandem tamen convaluit. Folia & ſemina recentia alium canem non moverunt; WILL. COURTEN (*).

301. ACONITUM Anthora. LINN. *Sp. pl.* 751. *Mat. m.* 270. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 4.
Anthora. MILLER *Figur. t.* 12. CAMER. *Epit.* 837. DOD. *Pempt.* 440.
Pharm. ANTHORÆ Radix.
Locus. Alpes Europææ. *Perenne.*
FORMA. rec. Radix carnoſa, cylindrico-fuſiformis, angulata, cinerea, digitalis, undique adſperſa fibris; *parencymate* albo, poſt ſectionem transverſalem notato punctis 12, in circulum amplum diſpoſitis. *Siccata* radix duriuſcula.
PROPR. rec. Odor vix ullus; *ſapor* amarus, acris; *maſticata* fauces corrodit, diuque inhæret; *ſicc. odor* debilis; *ſapor* acriuſculus, amaricans, faucibus inhærens, tandem nauſeoſo-dulceſcens.
VIRTUS: ſuſpecta.
USUS.
OBS. Infuſum aquoſum luteſcens, ſapore amaricanti-dulceſcente; cum vitriolo martis fuſceſcit.

ORDO
PENTAGYNIA.

302. AQUILEGIA vulgaris. LINN. *Sp. pl.* 752. *Mat. m.* 272. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 5.
Aquilegia ſylveſtris. GARID. *Aix. t.* 8.
Aquilegia. BLACKW. *Herb. t.* 409.
Aquileja. DODON. *Pempt.* 181.

Pharm.

(*) *Philoſoph. Tranſact. vol.* 27. *p.* 499.

Pharm. *AQUILEGIÆ* Herba, Flores, Semina.

Locus. Europa. Colitur in hortis. *Perennis.*

FORMA. rec. Caulis erectus, teres, obſolete digonus, glaber, ſuperne ramoſus, pedalis vel ultra. *Rami* alterni, erecti. *Folia* alterna; *radicalia* longius petiolata, triternata; *caulina* vaginis petiolata, ternata: foliolis ovatis, petiolellatis, tripartitis: laciniis cuneiformibus, venoſis, ſupra glabris, ſubtus glaucis, glabris, trifidis ſ. lobatis, obtuſis; *ſuprema* ternato-palmata, ſeſſilia; lobis ovato-lanceolatis, acutis, integris. *Panicula* florum terminalis, ſimpliciſſima, pedunculis alternis, unifloris, pubeſcentibus, cernuis. *CAL.* nullus. *COR.* dilute violacea, minutim pubeſcens. *Petala* 5, ovata, acuta, æqualia, patentia, minutim ciliata, pubeſcentia, plana, baſi ſubtus concava. *Nectaria* 5, æqualia, tubulata, turbinata, baſi ſenſim attenuata in cornu incurvato-hamatum, obtuſum, dependens, ſuperne oris labio erecto, concavo, obtuſo, petalis breviore; margine axis receptaculo annexa. *STAM. Filam.* plurima, membranacea, alba, ſubulata, baſi linearia, longitudine Nectarii. *Anth.* lineari-ovales, obtuſæ, compreſſæ, erectæ, bruneæ. *PIST. Germina* 5, ſupera, cylindrica, parallela, conniventia, villoſa, deſinentia in *Stylos* ſubulatos, erectos, ſtaminibus paullo longiores, glabros. *Stigmata* obtuſa. *Receptac.* globoſum, ſtriatum: ſtriis longitudinalibus, e punctis conſtantibus. *Capſulæ* 5, conico-cylindricæ, conniventes, erectæ, mucronatæ, cineraſcentes, pubeſcentes, bivalves, uniloculares. *SEM* parviuſcula, nigra, nitida, ovata, dorſo convexa, verſus apicem bicarinata, antice marginata.

PROPR. rec. herbæ: Odor validiuſculus, ſubingratus; *ſapor* ſubamaricans, ingratus, nauſeoſus. *Florum: odor* debilis; *ſapor* mitis, ſubmucilaginoſus, ſubdulceſcens. *Seminum: odor* vix ullus; *ſapor* ſubmucilaginoſus.

VIRTUS.

USUS.

OBS. Infuſ. aquoſum *herbæ* tamquam potus Theæ ſubamaricans, herbaceo ſapore; vitr. martis parum fuſceſcit, præcipitatur. Infuſ. *florum* e petalis violaceis recentib. pulcherrime cæruleum, odore debili, ſed grato, ſapore ſubdulceſcente; cum ſucco citri congel. rubro-violaceum; cum Spiritu vitrioli pulchre rubrum; cum oleo tart. p. d. viride; cum vitr. martis obſcuratur. Si ſaccharum l. a. huic infuſo additur, fit *Syrupus* pulcherrimus, atque idem gratus. In hunc finem ſeligantur corollæ cæruleæ, petala & nectaria integra infundantur, non contuſa, quia tunc color virideſcit; recentia erunt, non ſiccata, color enim a ſiccatis deturpatur; infuſio erit citior, nec protracta, namque color a protracta infuſione alteratur, nimis violaceus fit, & non cæruleus, ut oportet. Infuſum *ſeminum* colore aqueo eſt, odore ſubfatuo, ſapore debili; cum vitriolo martis color perſiſtit.

303. NIGELLA ſativa. LINN. *Sp. pl. 753. Mat. m. 271.* MILL. *Figur. t. 187. f. 1.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 7.*

Melanthium ſativum. CAMER. *Epit. 551.* DOD. *Pempt. 301.*

Melanthium ſ. Nigella romana odora. LOB. *Icon. 740.*

Pharm. NIGELLÆ Semina.

Locus. Oriens. *Annua.*

FOR-

FORMA. Semina trigona, compreſſiuſcula, apice obtuſa, baſi obliqua, undique rugoſo-ſcabra, nigra.

PROPR. Odor fragrans; *ſapor* aromaticus, in Saſſafras incidens.

VIRTUS: errhina, emmenagoga, lac provocans.

USUS.

OBS. 1. *Infuſ.* aquoſ. rubicundum, odore & ſapore ſeminum; vitriolum martis colorem non alterat.

OBS. 2. In Oriente hæc ſemina pani inſperguntur domeſtico, uti umbellatorum ſemina apud nos; FORSSKÅL.

ORDO
POLYGYNIA.

304. ILLICIUM aniſatum. LINN. *Sp. pl. 664. Mantiſſ. 2. 167.*

Badianifera. LINN. *Mat. med. 510.*

Skimmi. KÆMPF. *Amœn. 880. t. 881.*

Pharm. ANISI STELLATI Fructus.

Locus. Tartaria, China. *Arbor.*

FORMA. ſicc. Fructus pollicaris, infra rugoſus, ſupra glaber, 8-partitus: *Capſulis* ſtellæ inſtar in orbem diſpoſitis, ovatis, compreſſis, rigidis, duriuſculis, fragilibus, unilocularibus, ſuperne hiantibus, monoſpermis. *Semina* majuſcula, ovata, compreſſiuſcula, utrinque obtuſa, hilo in apice, dorſo convexa, antice carinata, undique nitida, duriuſcula, fragilia; *nucleo* cotyledoneo, ſordide albido.

PROPR. ſicc. Capſulæ: Odor Aniſi, fortis; ſa-

ſapor Aniſi, dulceſcens, gratus; *ſeminum* cortex aniſatus, capſulis debilior. *Nucleus* oleoſus, odore & ſapore valido Aniſi; *maſticatus* pingviuſculus.

VIRTUS: pectoralis, carminativa, diuretica.

USUS. Tuſſis.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. limpidum, fragrans, aromaticum, ſapore Aniſi fortiore, calidiore; a vitr. martis obſcuratur. *Decoctum* ſeminum turbidum, odore aniſato, ſapore conſimili. *Aquam ſtill.* fragrantem dat hic fructus, cum oleo eſſentiali liquido, fragrantisſimo, Aniſum ſpirante. Nuclei, frigide expreſſi, *oleum expreſſum* dant, grate fragrans. Cum ſpiritu vini deſtillatus hic fructus, ſpiritum gratum, dulceſcentem largitur.

OBS. 2. Illicium Floridanum FORSTER *Flor. Amer. ſeptentr. p.* 22. cum Chinenſi in fragrantia convenit. Creſcit ſua ſponte in utraque Florida, locis depreſſis, uliginoſis, vel ad ripas fluviorum. Vim hiemis bene ſustinet. Folia grate amaricantia ſunt, & cortex mucilaginoſus; ELLIS (*).

305. ANEMONE Hepatica. LINN. *Sp. pl.* 758. *Mat. m.* 277. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 6. OEDER *Icon. t.* 610.

Trifolium aureum. DOD *Pempt.* 569.

Hepatica nobilis. BLACKW. *Herb. t.* 207.

Hepaticum trifolium. LOB. *Hiſt.* 496.

Pharm. *HEPATICÆ NOBILIS* Herba, Flores.

Locus. Europa, Virginia, in nemoribus. *Perennis.*

FORMA. rec. Folia radicalia, annotina, petiolata, cordato-trilobata, utrinque glabra, ſupra lucidiuſcula, margine piloſa, pollicaria, magis la-

(*) *Philoſ. tranſact. v.* 60. *p.* 528.

lata quam longa: lobis ovatis, obtuſis. *Scapi* radicales, erecti, teretes, lanuginoſi, nudi, longitudine petiolorum, uniflori. *CAL. Involucrum* triphyllum: foliolis ovatis, acutiuſculis, villoſis, virideſcentibus, a corolla paullulum remotis. *COR. Petala* 6 ſ. 8, ovalia, obtuſa, patentia, ſupra cærulea, ſubtus albido-cæruleſcentia. *STAM. Filam.* plurima, albida, erecta, corolla duplo breviora, receptaculo inſêrta. *Antheræ* ovatæ, tetragonæ. *PIST. Germina* plurima, cylindrica, villoſa, pilis adpreſſis nitentia, ſtaminibus breviora. *Styli* nulli. *Stigmata* obtuſa, planiuſcula, obliqua, ſulco longitudinali.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* debilis. Planta recens, maſticata, acrimoniam levem prodit.

VIRTUS: adſtringens.

USUS.

OBS 1. *Infuſ.* aquoſ. *florum* ſicc. rubrum, odore & ſapore debili; vitr. martis fuſco-nigreſcit; hujus infuſi guttæ 25, cum aquæ puræ unc. ß & vitr. martis, colorem dilute violaceum ſtiterunt.

OBS. 2. Ex omnibus hujus generis ſpeciebus Hepatica mitiſſima eſt.

306. ANEMONE pratenſis. LINN. *Sp. pl.* 760. OEDER *Icon. t.* 611.

Pulſatilla nigricans. STÖRCK *Libell. p.* 1. *t.* 1.

Pulſatilla vulgaris ſaturatiore flore. CLUS. *Hiſt.* 1. *p.* 246.

Pulſatilla altera. DOD. *Pempt.* 430.

Pharm. PULSATILLÆ NIGRICANTIS Herba, Extractum.

Locus. Europa, in campis apricis. *Perennis.*

FORMA. Caulis ſolitarius, (vel etiam plures ex una radice) ſimpliciſſimus, erectus, dodranta-

 lis

lis, ſtriatus, ſubangulatus, hirſutus, ſubnudus. *Folia* compoſita, ſubtus piloſa; laciniis linearibus, acutis; radicalia bipinnata, longius petiolata; caulina ſeſſilia, oppoſita, in medio caulis ſita, magis hirſuta. *Pedunc.* terminalis, hirſutus, nudus, uniflorus. *Flos* nutans. *CAL.* nullus. *COR.* campanulata, polypetala, ſordide rubro violacea, extus hirſuta, intus glabra: petalis ovato-oblongis, obtuſis, venis pictis. *STAM.* *Filam.* plurima, ſetacea, corolla breviora. *Anth.* didymæ, erectæ, luteæ. *PIST.* *Germ.* plurima, ſubulata, albido-hirſuta. *Styli* ſetacei, erecti, purpuraſcentes, pubeſcentes, longitudine corollæ. *Stigmata* obtuſa, ſubcapitata, fuſca.

PROPR. rec. *Odor* vix ullus. *Sapor* acris, inhærens. *Maſticata* fauces & lingvam corrodit. *Siccat.* *ſapor* primum herbaceus, *maſticata* tandem acris, acrimonia diu inhærente, etiamſi fauces aqua frigida eluantur.

VIRTUS: diuretica, ſtimulans.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum colore ſaturato, rubicundo, ſapore herbaceo, leviter acriuſculo; vitriolo martis fuſco-nigreſcit. *Extractum* e ſucco inſpiſſato paratur. Sub inſpiſſatione ſucci in extractum, vapor, qui exſurgit, perquam acris eſt; cujus rei exemplum mecum communicavit cl. CAROL. SAUR (*), in puero quodam, cui, inter agitandum cum ſpathula ſuccum ſub evaporatione, palpebræ ita ex vapore corripiebantur, ut tumerent atque rubeſcerent, cum obnubilatione viſus; quæ tamen mala poſt nonnullos dies ſponte evaneſcebant. *Aqua ſtillat.* acris.

OBS. 2.

(*) In *Litteris.*

OBS. 2. Ill. STÖRCK Pulſatillam nigricantem in oculorum affectibus commendat, pluribusque caſibus utilitatem ejus adſtruit. Extractum copioſe dedi ægrotis, oculorum morbis, imprimis amauroſi & panno laborantibus, ſed ingenue profiteor, me nullum effectum inde obſervaſſe. A parva doſi ſemper incepi, & aſcendi ad doſin ſatis magnam, ſed nec hæc infirmos movit vel juvit.

307. ANEMONE nemoroſa. LINN. *Sp. pl.* 762. *Mat. m.* 275. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 1. OEDER *Icon. t.* 549.
Ranunculus ſylvarum. CLUS. *Hiſt.* 247.
Anemone 5. DOD. *Pempt.* 432.
Pharm. RANUNCULI ALBI Herba.
Locus. Europa in nemoribus, locis elevatis. *Perennis.*

FORMA. rec. Caulis palmaris, ſæpe ſpithamæus, erectus, teres, ſubpubeſcens, nudus, apice folioſus. *Folia* terna, petiolata, tripartita: lobis lanceolatis, acutiuſculis, ſuperne inciſis, utrinque glabriuſculis, pilis raris adſperſis, venoſis, margine ciliatis: pilis adpreſſiuſculis, baſi glanduloſis; exterioribus bifidis; intermedio 3-fido, petiolellato. *Petioli* concavi, purpuraſcentes, pubeſcentes, marginibus ciliatis. *Pedunc.* terminalis, intra folia enatus, longitudine foliorum, teres, pilis adpreſſis villoſus, uniflorus, cernuus. *CAL.* nullus. *COR.* nivea, extus baſi macula cæruleſcente. *Petala* 6 vel 7, ovali-oblonga, obtuſa, patentia; 3 exteriora extus ſordide ſubcæruleſcentia. *STAMINA. Filam.* plurima, albida, erecta, corolla duplo breviora. *Anth.* ovatæ, obtuſæ, retuſæ, compreſſæ, didymæ, erectæ, luteæ. *PIST. Germina* plura, oblonga, villoſa. *Styli* conici, gla-

glabri, ſtaminibus paullo breviores. *Stigm.* acuta, fuſca.

PROPR. rec. Odor debilior; *ſapor* herbaceus, acris, fauces lingvamque ſtimulans; *ſiccat odor* nullus; *ſapor* herbaceus, acris, recente debilior.

VIRTUS: ſiccat. rubefaciens; *recent.* veſicans.

USUS: epiſpaſticus; Tertiana vernalis.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum rubicundum, amaricans, ingratum, acriuſculum; cum vitriolo martis fuſco-nigreſcit. *Aqua ſtillat.* acris, ſubnauſeoſa, quod ſingulare eſt in hujus generis ſpeciebus plurimis.

OBS. 2. Radix & folia recentia deglutita ſummam anguſtiam pectoris faciunt; & 30 plantæ, comeſtæ, letales dicuntur; GMELIN (*). Tertianæ vernales ſæpe curantur ex epiſpaſtico, parato e foliis ſ. floribus recentibus hujus plantæ contuſis, & brachio impoſito. Si debito tempore ſupra cutem remanet, rubeſcit cutis, & convexiuſculus fit locus impoſitus ex affluentibus humoribus. Tum epiſpaſticum removendum, alias adeo inflammatur cutis, ut poſt diem unum alterumve in veſicam elevetur, unde ulcus manans, dolorificum, tardiſſimæ ſanationis. Sed ſi opem ferant hæc epiſpaſtica, debent ita dirigi, ut agant dum frigus febrile inceperit. Succus inſpiſſatus herbæ menſes pellit.

308. CLEMATIS recta. LINN. *Sp. pl.* 767.

Flammula recta. ZANNICH. *Venez. t.* 159.

Flammula Matthioli. CAMER. *Epit.* 698. CLUS. *Hiſt.* 1. *p.* 124.

Pharm. FLAMMULÆ JOVIS Herba, Flores.

Locus. Auſtria, Monſpelium, in collibus. *Perennis.*

FOR-

(*) *Flor. Sibir.* 4. *p.* 155.

FORMA. Caulis erectus, altior, teres, undique ſtriatus, glaber, ſuperne ramoſus. *Folia* oppoſita, petiolata, pinnata: foliolis oppoſitis, ovato-lanceolatis, integerrimis, acutis, ſubbipollicaribus, ſupra glabris, ſubtus nervoſis, groſſius reticulatis, pube rara adſperſis, ſuberectis. *Umbellæ* florum plures, terminales, ſubfaſtigiatæ, ſtrictæ, erectæ, ſtriatæ, glabriuſculæ; quarum univerſales veſtitæ ſunt involucro foliaceo: foliolis pinnatis ſeu ſimplicibus; partiales vero nudæ. *CAL.* nullus. *COROLLA* ochroleuca. *Petala* 5, lineari-cuneiformia, obtuſa, vix ſemiungvicularia, minutim villoſa, nervoſo-venoſa, patenti-reflexa. *STAM. Filam.* plurima, ſubulata, erecta, corolla paullo breviora. *Antheræ* lineares, utrinque canaliculatæ, erectæ. *PIST. Germina* plura, ſubrotunda, villoſa. *Styli* barbati, ſtaminibus fere breviores, erecti. *Stigmata* cylindrica, glabra, obtuſiuſcula.

PROPR. ſicc. herbæ: Odor debilis; *ſapor* herbaceus, acriuſculus, diu inhærens. *Recens* acris; folia recentia *maſticata* fauces lingvamque rodunt, & diutius in ore retenta, fauces ſubinflammant.

VIRTUS: pellens, diuretica, ſudorifera, ſæpe alvum movens, (doſi fol. gran. 4 ad ſcrup. ß, bis de die); *rec.* veſicans.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum rubicundum, amaricans, nauſeoſum; vitriolo martis nigricans.

OBS. 2. De experimentis, quæ cum hac herba inſtituerunt Vindobonenſes, conſuli poteſt ill. A. STÖRCK libellus *de Flammula Jovis* &c. Laudat folia *externe* in ulceribus ſordidis, ichoroſis, fungoſis, cancroſis, hyperſarcoſi, carie oſſium; *interne* in cephalæa, do-

doloribus oſſium nocturnis, lue venerea, ſcabie, melancholia (*).

309. RANUNCULUS Ficaria. LINN. *Sp. pl.* 774. *Mat. m.* 274. KNIPH. *Bot. orig. cent* 1.

Chelidonium minus. DODON. *Pempt.* 261. LOB. *Hiſt.* 325. BLACKW. *Herb. t.* 51. BAUH. *Hiſt.* 3. *p.* 468.

Pharm. CHELIDONII MINORIS Radix, Herba.

Locus. Europa, in umbroſis, ſolo pingviore. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix bulboſa: bulbis faſciculatis, ſubcylindricis, extrorſum paullulum incraſſatis, ſubpollicaribus, albis, fibris filiformibus, deſcendentibus interjectis. *Parencyma* carnoſum, poſt ſectionem transverſalem puncto medullari rubicundo. Tota planta ſubſucculenta. *Caulis* teres, erectus, glaber, ramoſus: ramis oppoſitis. *Folia* oppoſita, petiolata, cordata, obtuſa, angulata, utrinque glabra, ſupra venoſo-lineata, luciduiſcula. *Petioli* foliis longiores, glabri, ſupra planiuſculi, canaliculati, ſubtus convexi, baſi vaginati, concavi; radicales vagina plana. *Pedunculi* terminales, ex axilla ſuperiori, teretiuſculi, undique ſtriato-angulati, elongati, glabri, uniflori, nudi. *CAL. Perianth.* triphyllum: foliolis ovatis, obtuſis, concavis, ſubmembranaceis, ſordide luteſcentibus, adnatis, patentibus. *COR.* lutea, polypetala: *petalis* 8 vel 10, lanceolatis, obtuſis, utrinque attenuatis, calyce duplo longioribus, ſupra nitidis, patentibus; ſquama ungvis nectarea ovata, obtuſa, parva. *STAM. Filam.* plu-

(*) Cfr. STÖRCK *libell. de Pulſatilla nigra &c.* p. 57.

plurima, ſubulata, lutea, corolla duplo breviora, erecta. *Antheræ* ſubcylindricæ. *PIST.* *Germina* plurima, ſubrotunda, in capitulum digeſta. *Styli* nulli. *Stigmata* ſubrotunda.

PROPR. *rec. radic.* *Odor* nullus; *ſapor* debilis Naſturtii; *maſticata* tenera, acriuſcula, fauces irritat & iis inhæret; *herbæ:* folia recentia contuſa debiliter Naſturtium redolent; *ſapor* herbaceus, ſed fortior, Naſturtii, radice acrior. Herba cocta miteſcit. Bulbi cocti molles fiunt inſtar paſtæ. *Siccat.* radix parencymate eſt farinaceo, albo, fragili, ſubfriabili; quæ, *maſticata*, in ore fere ſolvitur, ſapore farinaceo; herba ſicc. acriuſcula, ſapore herbaceo, ſubamaricante.

VIRTUS: rec. *herbæ:* mundificans, antiſcorbutica, diuretica. *radic.* nutriens.

USUS: culinaris, Scorbutus.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum *radicis* ſicc. turbidiuſculum; vitriolo martis non alteratur. Infuſum *herbæ* ſicc. rubicundum, turbidiuſculum, aceſcens, acriuſculum; vitriolo martis fuſceſcit.

OBS. 2. Inter Ranunculos hæc ſpecies minus acris, forte quia planta vernalis; attamen omnis acrimoniæ expers non eſt, quod quidem ſapor acriuſculus Naſturtii indicat, itemque aqua ſtillatitia primaria, quæ, prout obſervat Geoffroy, ſaporem Sinapios habet, ſive folia virentia, ſive bulbi deſtillentur. Coctione itaque miteſcit, acri avolante, quare etiam primo vere culinaris eſt apud pauperes, & in mixtione cum aliis oleraceis, ad juſcula oleracea paranda adhibetur.

OBS. 3. Ex obſervatione auctorum, Ficaria præſtans eſt ad hæmorrhoides cæcas, interne ſumta & externe applicata. Tota planta virens, contuſa, coquatur in axungia, quoad ſicceſcat, quod ter repetatur, unde fiat ungventum. Sæpius præſcripſi ſerum lactis, in quo fo-

folia recentia infuſa fuere, cum ungvento nominato; ſed nullum effectum laudabilem inde vidi.

OBS. 4. Cum Ranunculo Ficaria pluribusque Ranunculi ſpeciebus curioſa experimenta in ſe ipſe inſtituit cl. CAROL. KRAPF (*).

310. HELLEBORUS niger. LINN. *Sp. pl. 783. Mat. m. 273.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 1.* LOBEL. *Hiſt. 388.*

Elleborus niger legitimus. CLUS. *Hiſt. 1. p. 274.*

Veratrum nigrum 1. DOD. *Pempt. 381.*

Pharm. HELLEBORI NIGRI Radix.

Locus. Auſtria, Hetruria, in alpinis. *Perennis.*

FORMA. ſicc. Radix nigro-fuſca, ſubcylindrica, ſubtoruloſa, ſubramoſa, undique obſeſſa fibris filiformibus nigris; *parencymate* albido.

PROPR. Tota radix (una cum fibris) acris, nauſeoſa, leviter amaricans, inhærens. *Recens* acrior; maſticata lingvam acrimonia obſtupefacit; *Siccata* mitior; in pharmacopoliis *diu aſſervata* vix acris, niſi diutius maſticata.

VIRTUS: rec. venenata, rubefaciens, veſicans; *recenter ſiccatæ:* emetica, purgans, emmenagoga, antiphthiriaca, ſternutatoria; *diu conſervatæ:* vix purgans, alterans, diuretica.

USUS: Obſtructio menſium; Setaceum pecoribus.

OBS. 1. *Infuſum* radicis rubrum, ſaturatum, ſapore amaro; vitriolo martis fuſceſcit. *Aqua ſtillatitia* acris, purgans. *Extractum* aquoſum propinatur doſi gr 8-12-20; emeſin plerumque movet, in majori doſi ſumtum, ſæpe violentam. E radic. ſicc. libr. 6 ob-

(*) *Experimenta de Ranunculorum nonnullor. venenata qualitate, horumque externo & interno uſu,* Vindob. 1766.

obtinentur Extr. aquoſi circiter libræ 2. Inter pulverandum radicem, narium irritantur fibræ adusque ſternutationem, quare cautelis opus erit.

OBS. 2. Sectionem cadaveris viri, a ſumto extracto Hellebori nigri enecati, ubi ventriculus & inteſtina inflammata erant, deſcribit J. B. MORGAGNI (*).

OBS. 3. Radices Adonidis vernalis LINN. Helleboro nigro ſæpius ſubſtituuntur, præcipue apud mercatores Francofurtenſes & Hamburgenſes, qui e Thuringia & Erfordia eas afferri curant; RUD. AUG. VOGEL (**).

311. HELLEBORUS fœtidus. LINN. *Sp. pl.* 784. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 12.

Helleborus niger fœtidus. GARID. *Aix. t.* 48.

Veratrum nigrum 3. DOD. *Pempt.* 382.

Helleboraſter maximus. LOBEL. *Icon.* 679. *Hiſt.* 387.

Pharm. *HELLEBORI FOETIDI* Herba.

Locus. Europa auſtralis, Virginia. *Perennis.*

FORMA. Caulis breviuſculus, perennans, inferne nudus, cicatriſatus vel glabriuſculus, ſuperne folioſus; ſupra folia deſinens in *Scapum* ſubangulatum, atomis adſperſum, ſpithamæum, ramoſum, ſquamoſum. *Rami* ſcapi alterni, erecti. *Folia* congeſta, longius petiolata, pedata: foliolis lineari-lanceolatis, digitalibus vel palmaribus, ſuperne ſerratis, utrinque glabris, ſupra viridibus, minutim ſubrugoſis, lucidiuſculis, venis alternis, obliquis, depreſſis, lineatis, ſubtus pallidioribus. *Petioli* lineares, concavi. *Squamæ* ſcapi alternæ, ovato-lanceolatæ, coloratæ, glabræ, acutæ, ſæpe fiſſæ in foliola, pollicares vel ultra, erecto-patentes, ad ramos & in pedunculis ſitæ. *Pedun-*

(*) *De ſedibus & cauſſis morborum, t. 2. p.* 381.

(**) *Mater. med.* 197.

culi in ramis alterni, elongati, pubeſcenti-ſcabriuſculi, ſuperne tuberculato-rugoſi, erecti, uniflori, bracteis veſtiti. *Flores* nutantes. *CAL.* nullus. *COR.* ſquamis concolor, campanulata, atomis ſcabriuſcula, pentapetala, perſiſtens. *PIST.* 3, pubeſcentia. *Obſ.* Planta, quam deſcripſi, e ſolo natali, e Caſtilia veteri, depromta fuit.

PROPR. Odor fœtidus, præſertim plantæ recentis; *ſapor* rec. & ſicc. acerrimus, amaricans; *maſticata* totum os faucesque corrodit, effectu inhærente, quamvis fauces ſedulo eluantur. Siccatione acrimoniam vix deponit.

VIRTUS: emetica, purgans, anthelminthica.

USUS.

OBS. Fide cl. CAROLI BISSET hanc plantam excito. Periculum ipſe nunquam feci, laudatus autem vir Helleborum hunc, in vermibus expellendis, nunquam fefelliſſe tradit. Doſis erit folior. recent. drachma 1, in decocto; ſed ſi folia ſiccata ſumantur, grana 15 ſufficere poſſunt pueris 5 vel 6 annorum. In majori doſi emeticam & purgantem vim exercet. Uſus per nonnullos dies conſecutivos continuandus. Succus expreſſus, ope ſacchari in ſyrupum redactus, commodum erit remedium, ſi cochleare unum mane & veſperi propinetur; BISSET (*). Sed ob ingentem plantæ acrimoniam cum illa caute agendum. A parca doſi incipere juvat, ne ſenſibiliora ſubjecta nimis moveat.

CLAS-

(*) *Eſſay on the medical conſtitution of great Britain, p.* 329.

CLASSIS XIV.

DIDYNAMIA.

ORDO GYMNOSPERMIA.

312. AJUGA pyramidalis. LINN. *Sp. pl. 785. Mat. m. 306.*

Bugula. DODON. *Pempt. 135.*

Bugula Conſolida media. BLACKW. *Herb. t. 64.*

Phyllochnois. RENEALM. *Specim. 125.*

Bugula quibusdam Prunella. LOBEL. *Hiſt. 252.*

Conſolida media. LUDW. *Ectyp. p. 4. t. 8.*

Pharm. CONSOLIDÆ MEDIÆ Herba.

Locus. Europa, in pratis. *Biennis.*

FORMA. rec. Caulis digitalis, ſimplex, erectus, tetragonus, a baſi ad apicem undique obſeſſus foliis & calycibus floriferis ſ. fructiferis. *Ramus* teres, procumbens, ab ima baſi exiens, inferne nudus, ſuperne folioſus & florifer, caule duplo brevior. *Folia* oppoſita, ovata, obtuſa, villoſa; infima majora, petiolata, crenata, nervoſo-lineata, petiolis latis, linearibus; ſuperiora ſubæqualia, ſeſſilia, alternatim oppoſita, ſuperne tricrenata, a medio revoluta; ſuprema purpurea. *Flores* verticillati, ſeni, ſeſſiles; tota planta ab imo ad ſummitatem florifera. *CAL. Perianth.* monophyllum, ſubturbinatum, 5-fidum: laciniis lanceolatis, acutis, ciliato-piloſis, erectis, æqualibus. *COR.* ringens. *Tubus* cylindricus, glaber, albus, calyce longior, ſuperne ſtriis cæruleis. *Labium*

ſuperius breviſſimum, album, bifidum, piloſo-ciliatum; *inferius* cæruleum, ſtriis albidis pictum, trifidum: laciniis 2 lateralibus ovatis, obtuſis, erectis, extus piloſis; intermedia obcordata, patente, ſubtus piloſa. *STAM. Fil.* 4, ſubulata, alba; quorum 2 breviora, longitudine labii ſuperioris. *Anth.* ovatæ, purpureæ. *PIST. Germen* 4-fidum, obtuſum, glabrum. *Stylus* ſubulatus, albidus, longitudine ſtaminum. *Stigma* cernuum, acutum, bifidum.

PROPR. rec. *Odor* debilis, graviuſculus; *ſapor* debilis, ſubingratus, tum amaricans.

VIRTUS: leniter adſtringens.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum colorem habet potus Theæ; cum vitriolo martis fuſceſcit.

OBS. 2. Non magna foret jactura, ſi ex officinis prorſus abeſſet hæc planta, quæ dudum obſolevit.

313. TEUCRIUM Chamæpitys. LINN. *Sp. pl.* 787. *Mat. m.* 287. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 8.
Chamæpitys prima. DOD. *Pempt.* 46.
Pharm. *CHAMÆPITYOS* Herba.
Locus. Europa auſtralis, Virginia, Oriens. *Annuum.*

FORMA. Radix cylindrica, deſcendens, ſubramoſa, fibrilloſa. *Caules* plures ex una radice, erecti, ſæpe ſubprocumbentes, tetragoni, pilis albis hirſuti (in ſpontanea magis quam in culta), ſpithamæi vel ultra, ramoſi. *Rami* pauciores, oppoſiti, cauli conformes. *Folia* ad genicula, oppoſita, ſeſſilia, linearia, hirſuta (in culta ſubglabriuſcula, exceptis ſummitatibus), pollicaria, in medio fiſſa in 3 lacinias lineares, acutiuſculas, foliis conformes; ſuprema congeſta, erecta. *Flores* axil-

a-

lares, bini, oppoſiti, ſubſeſſiles. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, ovato-turbinatum, piloſum, 5-fidum: laciniis lineari-lanceolatis, acutis, erectis. *COR.* ringens. *Tubus* calyce longior, pubeſcens, ſubcylindricus, erectus. *Labium ſuperius* parvum, bifidum, obtuſum, venis cæruleis pictum; *inferius* elongatum, bifidum, obtuſum. *STAM.* didynama, verſus labium ſuperius flexa. *PIST. Germen* 4-fidum. *Stylus* ſetaceus, ſtaminibus longior. *Stigma* acutum.

PROPR. ſicc. *Odor* fragrans, debilior, cephalicus; *ſapor* amarus, aromaticus, in Roſmarinum incidens.

VIRTUS: tonica, ſtomachica, emmenagoga, diuretica, reſolvens.

USUS. Arthritis, Podagra.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. rubicundum, amarum; ex addito vitriolo martis fuſceſcit.

OBS. 2. Cl. John Clephane (*), inquirens in originem & antiquitatem pulveris illius amari, quo Dux Portland utebatur contra arthritidem, oſtendit, praxin fuiſſe, antiquiſſimam, & inde a Galeni temporibus moris fuiſſe, arthritidi podagræque amaris occurrere. Formula Pulveris Portlandici hæc eſt: Rc. Rad. Ariſtoloch. rotundæ, & Gentianæ, Herb. Chamæpityos, Chamædryos & Centaur. min. ana p. æ. Mr. f. pulvis, cujus drachma 1 quovis mane ſumenda per primum trimeſtre; poſtinde diminuenda doſis, ita ut $\frac{3}{4}$ drachmæ per ſecundum propinentur; ſed per bina inſequentia trimeſtria non amplius opus erit quam drachma ß quovis mane. Exantlato ſic anno uno, expediet drachmam ß quovis altero die, per integrum ſubſequentem annum, dare. Agit hic pulvis lente, ſed ſecure, & ex mente cl. Clephane curam perficit intra biennium.

(*) *Medical Obſervat. and Inquir. Vol. 1. p. 126. ſeq.*

314. TEUCRIUM creticum. LINN. *Sp. pl. 788. Mat. m. 286.*

Roſmarinum Stœchadis facie. ALPIN. *Exot. 103. t. 102.*

Pharm. POLII CRETICI Herba.

Locus. Creta, Ægyptus. *Suffrutex.*

FORMA. Caulis fruticoſus. *Rami* ſimplices, tetragoni, albo-tomentoſi, erecti. *Folia* ad genicula, oppoſita, linearia, ſubſeſſilia, pollicaria, integerrima, ſupra viridia, glabra, ſubtus albo-tomentoſa, patentia; inferiora obtuſa; ſuperiora anguſtiora, acutiuſcula. *Racemus* ſubſpicatus, terminalis, nudiuſculus, floribus ternis, breviter pedicellatis, erectis. *Foliola* racemi linearia, oppoſita, floribus breviora. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, turbinatum, albo-tomentoſum, 5 fidum: laciniis lanceolatis, acutis. *COROLLA* Teucrii, calyce paullo longior. *STAMINA* didynama, filiformia, corolla longiora, exſtantia. *PIST. Germen* 4-fidum. *Stylus* filiformis, ſtaminum vix longitudine. *Stigma* bifidum, acutum.

PROPR. ſicc. Odor fragrans, cephalicus; *ſapor* amarus, leniter aromaticus.

VIRTUS: tonica, ſtomachica.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſ. rubicundum, amarum; vitriolo martis fuſco-nigreſcit.

315. TEUCRIUM Marum. LINN. *Sp. pl. 788. Mat. m. 285.* KNIPHOF *Bot. orig. cent.* 3.

Marum ſyriacum vel creticum. PARKINS. *Theatr. 13.* BLACKW. *Herb t. 47.*

Marum Cortuſi. BAUH. *Hiſt. 3. p. 242.*

Marum verum. LUDW. *Ectyp. p. 7. t. 14.*

Pharm. MARI VERI Herba.

Lo-

Locus. Valentia. Colitur in frigidario apud nos. *Suffrutex.*

FORMA. rec. Caulis fruticoſus, ſpithamæus, pedalis, teretiuſculus, ſubdiſtortus, ramoſus. *Ramuli* oppoſiti, minutim tomentoſi, albidi, erecti, geniculati. *Folia* oppoſita, ad genicula, petiolata, ovata, acuta, integerrima, ſubcarnoſa, ſupra viridia, vix pubeſcentia, ſubtus minutim tomentoſa, vix ſemiungvicularia, perſiſtentia. *Racemi* florum in ramulis terminales, ſubſecundi, floribus brevius pedicellatis, oppoſitis, axillaribus. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, tubulatum, ſubincurvatum, ſupra baſi gibbum, hirſutum, 5-fidum: laciniis ovato-acutis, erectis, ſubæqualibus. *COR.* 1-petala; *Tubus* calyce paullo longior, pallidus, incurvus, utrinque compreſſus; *Limbus* ringens, hirſutus, unilabiatus, deflexus, 5-fidus, violaceus: laciniis 2 inferioribus lanceolatis, acutis, erectis, ciliatis, pubeſcentibus; 2 intermediis ovalibus, obtuſiuſculis, patentibus; terminali longe majore, obovata, ſubtruncata, concava, glabra, patente, ſubtus pubeſcente. *STAM. Filam.* 4, ſubulata, erecta; quorum 2 paullo longiora. *Anth.* ovatæ, cernuæ. *PIST. Germina* 4, conniventia, minutim pubeſcentia. *Stylus* filiformis, longitudine ſtaminum. *Stigma* bifidum, acutum.

PROPR. ſicc. Odor fragrans, cephalicus, fortis, balſamicus, bituminoſus; *rec.* fortior; *Fricata* folia nares ſtimulant, & ſternutationem movent. *Sapor* intenſius amarus, bituminoſo-aromaticus.

VIRTUS: nervina, tonica, reſolvens, emmenagoga, diuretica, errhina.

USUS. Cachexia, Hyſteria, Debilitas nervorum.

 OBS. 1.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. rubrum, odore & ſapore herbæ; vitr. martis nigro-fuſceſcit. *Aqua ſtill.* fragrans. *Oleum ſtill.*, ut tradit LEWIS, volatile eſt, fragrantiſſimum, valde pungens.

OBS. 2. Singulari hujus plantæ amore ducitur Felis Catus.

OBS. 3. Hujus plantæ bonum effectum vidi apud ægrotam, quæ apoplectica prolapſa erat ab ictu capitis contra lapidem, cum e rheda proſiliret. Incaſſum adhibebantur venæſectiones, ſangviſugæ, laxantia antiphlogiſtica &c. ſublethargica tamen permanebat ægra usque in tertiam ſeptimanam, quo tempore pulver. Mari veri ſcrupul. 1 ei propinabam, quavis quarta hora ſumendum; id quod perquam feliciter ceſſit, ſiquidem in integrum reſtituebatur, atque poſtinde 13 jam annos bona valetudine exegit. Ceterum in reſolutione nervorum, poſt veram apoplexiam, identidem propinavi Marum verum absque emolumento. De Maro hoc diſſeruit cl. J. A. DAHLGREN (*).

316. TEUCRIUM Scordium. LINN. *Sp. pl.* 790. *Mat. m.* 289. OED. *Icon.* 593. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 11.

Scordium. CAMER. *Epit.* 588. DOD. *Pempt.* 126. BLACKW. *Herb. t.* 475.

Scordeum. LOB. *Hiſt.* 261.

Pharm. *SCORDII* Herba.

Locus. Europa, in pratis depreſſis. *Perenne.*

FORMA. rec. cultæ: *Caulis* erectiuſculus, tetragonus, ſpithamæus, pubeſcens, ramoſus. *Rami* alternatim oppoſiti, elongati, longitudine caulis, ſimplices, cauli conformes. *Folia* oppoſita, ſeſſilia, pollicaria, lineari-oblonga, obtuſa, utrinque

(*) Diſſ. de *Maro*, ſub præſid. v. LINNÉ, Upſ. 1774.

que glabra, ſupra viridia, lineata, ſubtus glauca, nervis ſubpubeſcentia, margine undique groſſius ſerrata, patentia. *Flores* verticillati, ſeni, pedunculati, erecti. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, tubulatum, angulato-ſtriatum, pubeſcens, 5-fidum: laciniis ovato-acutis, erectis; 3 æqualibus; 2 ſuperioribus profundioribus, brevioribus. *COR.* dilute cærulea, ringens, extus minutim pubeſcens; *Tubus* incurvatus, ſordide albicans, longit. calycis, ſuperne paullo craſſior. *Lab. ſuper.* nullum, *inferius* patens, oblongum, 5-fidum: laciniis 4 inferioribus, ſubæqualibus, acutis, erectis, per paria oppoſitis; terminalis multoties major, ſubrotunda, concava, integerrima, baſi obſolete variegata. *STAM. Filam.* 4, ſubulata, alba, exſtantia, erecta; quorum 2 longiora. *Anth.* oblongiuſculæ, brunneæ, ſecundæ. *PIST. Germ.* ſubrotundum, obtuſum, 4-lobum. *Styl.* ſubulatus, albus, longitudine ſtaminum. *Stigma* bifidum, acutum.

PROPR. ſicc. & *rec. Odor* alliato-cephalicus, gravis. *Sapor* amaricans, odori congruens, inhærens.

VIRTUS: antiputredinoſa, tonica, diaphoretica, diuretica, reſolvens, animalium lac inficiens ſapore Allii.

USUS. Gangræna.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum amaricans, fragrans; vitriolo martis ſubito nigreſcit; hujus infuſi guttæ 20, aquæ unc. ß inſtillatæ, addito vitr. martis, colorem ſtiterunt virideſcenti-rubrum. Menſtruo aquoſo & ſpirituoſo extrahitur, uti congeneres. *Aqua ſtill.* fragrans, aromate herbæ; ſed nullum *oleum ſtillat.* obtinere potuit cl. LEWIS.

OBS. 2. In hac ſtirpe natura conjunxit odorem Allii cum planta reſolvente, mixtione quidem ſingulari.

317. TEUCRIUM Chamædrys. LINN. *Sp. pl.* 790. *Mat. m.* 288. KNIPH. *Bot. or. cent.* 11.
Chamæpitys altera. DOD. *Pempt.* 46.
Petit Chêne ou Germandrée. BULLIARD *Flor. pariſ. t.* 16.
Chamædrys. LOB. *Hiſt.* 260.
Pharm. CHAMÆDRYOS Herba.
Locus. Europa auſtralis, Oriens. *Perenne.*

FORMA. Caulis erectus, tetragonus, ſpithamæus vel ultra, geniculatus, pubeſcens, ramoſus. *Rami* oppoſiti, cauli conformes, ſubpurpuraſcentes, erecti. *Folia* ad genicula, oppoſita, breviter petiolata, ovali-oblongiuſcula, obtuſa, inferne abrupte anguſtata, utrinque pubeſcentia, margine inciſo-crenata, ſemipollicaria, patentia. *Foliola* tenera in axillis foliorum, utrinque gemina, cuneiformia, ſerrata. *Flores* laterales, axillares, verticillati, utrinque bini vel terni, pedunculati. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, ovato-turbinatum, nervoſo-angulatum, pubeſcens, 5-fidum: laciniis ovato-acuminatis, erectis, ciliatis. Calyces *ſummitatum* purpurei. *COROLLA* Teucrii, violacea, calyce longior. *STAM.* didynama, corollæ vix longitudine. *PIST. Germen* 4-fidum. *Stylus* filiformis, ſtaminibus longior. *Stigma* bifidum, acutum.

PROPR. rec. & *ſicc. Odor* leviter fragrans. *Sapor* amarus.

VIRTUS: tonica, ſtomachica, emmenagoga, diuretica.

USUS. Arthritis, Cachexia.

OBS.

OBS. In officinis noſtris Veronica Chamædrys perperam pro Teucrio Chamædry ſubſtituta fuit.

318. SATUREJA hortenſis. LINN. *Sp. pl.* 795. *Mat. m.* 284. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 3.
Satureja. ZANNICH. *Venez. t.* 290. DOD. *Pempt.* 288.
Satureja altera. CAMER. *Epit.* 487.
Pharm. & *Culinis SATUREJÆ* Herba.
Locus. Europa auſtralis. Colitur in hortis. *Annua.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, deſcendens, fibrilloſa. *Caulis* dodrantalis, erectus, ſubtetragonus, minutim pubeſcens, purpureo-virideſcens, ramoſus, diffuſus. *Rami* brachiatim oppoſiti, erecti. *Folia* oppoſita, ſubſeſſilia, vix pubeſcentia, lineari-lanceolata, acutiuſcula, vix pollicaria, patentia, utrinque adſperſa atomis excavatis, ſubtus inſtructa punctis ſubrotundis, majoribus ſparſis, ſupra vero marginalibus, longitudinaliter dispoſitis. *Verticilli* florum axillares, conſtantes e glomeribus florum pedunculatis, oppoſitis, floribus pedicellatis. *Bracteæ* lineares, ſubſeſſiles, ciliatæ, in pedicellis ſolitariæ. *CAL. Perianth.* monophyllum, tubulato-turbinatum, punctatum, ſubpubeſcens, ſtriato-angulatum, 5-fidum: laciniis lineari-lanceolatis, carinatis, erectis, ſubæqualibus. *COR.* infundibuliformis, utrinque pubeſcens, dilute violacea. *Tubus* cylindricus, longitudine calycis; *Limbus* bilabiatus. *Lab. ſuper.* planum, erectum, obtuſo-rotundatum, punctatum, emarginatum; *inferius* paullo majus, patens, 3-fidum: laciniis rotundatis, crenulatis, planis. *STAM. Filam.* 4, ſubulata, pallida, ori tubi inſerta, limbo breviora; quorum 2 ſuperiora paullo longiora. *Antheræ* reniformes, obtuſæ, purpuraſcentes. *PIST. Germ.* viride,

4-par-

4-partitum, obtuſum, baſi perichætio cinctum. *Stylus* ſubulatus, pallidus, ſtaminibus paullo longior. *Stigma* bifidum, acutum.

PROPR. rec. Odor fragrans, validus, cephalicus; *Sapor* aromaticus, calidus, vix amaricans; *Siccata* planta odore & ſapore fere fortior.

VIRTUS: ſtomachica, excitans, emmenagoga, diuretica, reſolvens.

USUS: culinaris.

OBS. *Infuſum* aquoſ. herbæ rec. luteo-ſubrubicundum, odore & ſapore herbæ; vitr. martis nigreſcit. *Aqua ſtill.* fragrans. *Oleum ſtill.* ſapore acuto, odore herbæ, penetrante.

319. SATUREJA capitata. Linn. *Sp. pl.* 795. *Mat. m.* 283.

Thymum legitimum. Clus. *Hiſt.* 1. *p.* 357.

Thymum creticum incanum capitatum. Barrel. *Icon.* 897.

Pharm. THYMI CRETICI Folia, Spicæ.

Locus. Europa auſtralis. Oriens. *Suffrutex.*

FORMA. Folia oppoſita, ſeſſilia, lanceolata, baſi latiora, apice acutiuſcula, carinata, undique punctata, concaviuſcula, margine ſubciliata, glabriuſcula, 2 lineas longa. *Spicæ* florum conicæ ſ. ſubrotundæ, obtuſæ, ſeſſiles, majuſculæ, ſubpollicares, conſtantes *Bracteis* foliis ſimilibus, at paullo majoribus, punctato-rugoſis, margine albido-ciliatis, imbricatis, calycibus longioribus. *Calyces* trigoni, ſcabriuſculi, incurvati, bilabiati, 5-fidi: laciniis ciliatis; duabus inferioribus longioribus; fauce barbata. *COR.* violaceæ.

PROPR. ſicc. Odor fragrans, cephalicus, graviuſculus; *ſapor* aromaticus, calidiuſculus, gratus.

VIR-

VIRTUS: reſolvens, ſtomachica, emmenagoga.
USUS.

OBS. *Infuſum* herbæ aquoſ. rubrum, cephalicum, ſapore aromatico, amaricante; cum vitriolo martis fuſco-nigreſcit.

320. HYSSOPUS officinalis. LINN. *Sp. pl.* 796. *Mat. m.* 290. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 6.
Hyſſopus officinarum cærulea ſ. ſpicata. GARID. *Aix. t.* 51.
Hyſſopus. BLACKW. *Herb. t.* 296.
Pharm. *HYSSOPI* Herba.
Locus. Oriens, Auſtria, in ſubalpinis, Sibiria. *Perennis.*

FORMA. rec. Caulis tetragonus: angulis obſoletis; ſcabriuſculus: pube minutiſſima; geniculatus, pedalis, erectus, ramoſus. *Rami* alternatim oppoſiti, erecti, elongati, lateribus alternatim oppoſitis ſuperne canaliculati. *Folia* ad genicula alternatim oppoſita, ſubſeſſilia, ovali-lanceolata, obtuſa, utrinque punctata, ſubtus ſcabriuſcula, margine minutiſſime ciliata, patentia, pollicaria. *Axillæ* foliorum foliolis onuſtæ. *Racemus* terminalis, verticillatus, ſecundus, elongatus, foliaceus: verticillis diſtantibus; ſingulis conſtantibus e racemulis axillaribus, oppoſitis, breviter pedunculatis, foliis vix longioribus, 5-floris, foliolaceis; floribus pedicellatis, congeſtis, intermedio priore, nudo. *Bracteæ* breviuſculæ, lineari-ſubulatæ, ad ſingulos pedicellos laterales. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, tubulatum, ſtriatum, turbinatum, minutim pubeſcens, 5-fidum, acutum, erectum, hinc viride, inde purpuraſcens. *COROLLA* cærulea. *Tubus* cylindricus, minutim pubeſcens, ſuperne recurvus. *Limbus* glaber, ringens, bilabiatus. *Labium* *ſu-*

ſuperius ovatum, erectum, bifidum, obtuſum, margine utrinque revolutum; *inferius* patens, 4-fidum, truncatum, profunde retuſum: laciniis ovato-rotundatis; interioribus erectis; exterioribus nutanti-planis. *STAM. Fil.* 4, ſubulata, cærulea, corolla longiora; quorum 2 ſuperiora paullo breviora. *Anth.* exſertæ, lineares, exporrectæ. *PIST. Germ.* viride, ſubrotundum, glabrum, 4-partitum: lobulis obtuſis, conniventibus. *Styl.* ſubulatus, violaceus, ſtaminibus paullo longior, erectus. *Stigm.* bifidum, ſubulatum, exſertum.

PROPR. ſicc. & rec. Odor fragrans, graviuſculus, non ingratus; *ſapor* calidiuſculus, aromaticus, amaricans, ſubcamphoratus; herba recens *maſticata* ſubſucculenta, tenerior, lingvam fauceſque calefacit in modum fere Camphoræ, verum debilius.

VIRTUS: corroborans, reſolvens, pectoralis, ſtomachica, diuretica, emmenagoga.

USUS. Tuſſis, Angina.

OBS. *Infuſum* aquoſ. rubicundum, debilius fragrans, ſapore amaricante, leniter aromatico; vitr. martis nigreſcit. *Aqua ſtill.* ex herba virente fragrans, bona. *Oleum ſtill.* fragrans, luteſcens, ſapore calido, amaricante, acriuſculo; ex herbæ Hyſſopi, ſub floreſcentia collectæ, libr. 20 olei ſtill. drachm. 6 obtinuit cl. BAUMÉ.

321. NEPETA Cataria. LINN. *Sp. pl.* 796. *Mat. m.* 291. OEDER *Icon. t.* 580.

Cattaria herba. DODON. *Pempt.* 99.

Mentha cataria. LOBEL. *Hiſt.* 276.

Nepeta vel Mentha cataria. BLACKW. *Herb.t.*455.

Pharm. NEPETÆ Herba.

Locus. Europa, Virginia, in ruderatis. *Perennis.*

FOR-

FORMA. rec. Caulis erectus, geniculatus, villoſus, cinereus, tetragonus; lateribus oppoſitis plano-canaliculatis, angulis obtuſis; ramoſus, pedalis vel ultra. *Rami* alternatim oppoſiti, erecti, cauli conformes. *Folia* ad genicula, oppoſita, petiolata, cordata, ſupra viridia, pubeſcentia, ſubtus villoſa, cinerea, bipollicaria, dentato-ſerrata, patentia. *Petioli* foliis breviores, teretes, villoſi. *Spicæ* florum terminales, conſtructæ e verticillis ſubſeſſilibus, approximatis; parce folioſæ, floribus breviter pedicellatis. *Bracteæ* ſubulatæ. *CAL. Per.* cylindricum, tubulatum, ſtriatum, villoſum, 5-fidum: laciniis lineari-ſubulatis; 3 ſuperioribus æqualibus, erectis; 2 inferioribus paullo minoribus, anguſtioribus, profundius diviſis. *COR.* calyce paullo longior. *Tubus* cylindricus, albus, glaber. *Limbus* ringens, bilabiatus, villoſus, albidus. *Lab. ſuper.* erectum, obovatum, concavum, obtuſo-rotundatum, bifidum. *Faux* turbinata, compreſſiuſcula, intus undique violaceo-punctata, margine utrinque rotundato, revoluto. *Lab. infer.* ſubrotundum, maculatum, margine crenulatum, concaviuſculum, patens. *STAM. Fil.* 4, ſubulata, alba, longitudine corollæ; quorum 2 inferiora paullo breviora. *Anth.* bilobæ, purpureæ, lobis oblongis, obtuſis, divergentibus. *PIST. Germ.* 4-partitum. *Styl.* ſubulatus, albidus, longitudine corollæ. *Stigm.* bifidum, acutum.

PROPR. recent. *Odor* fragrans, in Meliſſam citrinam incidens. *Sapor foliorum* aromaticus, fortis, calidus, fere Meliſſæ citrinæ, ſed longe calidior; *florum* paullo debilior, Meliſſam magis referens.

VIR-

VIRTUS: reſolvens, emmenagoga.
USUS. Hyſteria.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. herbæ recentis colore Theæ potus, odore & ſapore herbæ; vitriolo martis nigreſcit.

OBS. 2. Feli Cato perinde grata herba, ac Marum verum.

322. LAVANDULA Spica. LINN. *Sp. pl.* 800. *Mat. m.* 296. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 4.
Lavande. BULLIARD *Flor. pariſ. t.* 9.
Lavandula anguſtifolia. GARID. *Aix. t.* 60.
Lavandula. DOD. *Pempt.* 273. BLACKW. *Herb. t.* 294.
Spica Lavendula. LOBEL. *Hiſt.* 236.
Pharm. *LAVANDULÆ* Flores.
Locus. Europa auſtralis. *Suffrutex.*

FORMA. rec. Spica florum terminalis, cylindrica, erecta, pedunculata, conſtructa e verticillis 10-floris vel ultra, nudis, pubeſcentibus; quorum inferiores remoti; ſuperiores proximiores; floribus ſubſeſſilibus. *Bracteæ* oppoſitæ, ſeſſiles, cordatæ, nervoſo-ſtriatæ, longius acutæ, cineraſcentes, calycibus breviores. *CAL. Per.* tubulatum, cylindricum, undique ſtriatum, cinereo-tomentoſum, ſuperne cæruleum, truncatum, 4-crenatum; lacinia unica, ſuperiore, ſubrotunda, plana, concaviuſcula, erecta. *COR.* violacea, infundibuliformis, pubeſcens. *Tubus* ſtriatus, calyce paullo longior, intus piloſus, extus minutim pubeſcens. *Limb.* 5-fidus, inæqualis. *Lab. ſuper.* majus, obcordatum ſ. bifidum: laciniis obovatis, ſubcrenulatis; *infer.* 3-fidum: laciniis ovatis, obtuſis, patentibus, æqualibus. *STAM. Fil.* 4, intra tubum ſuperne inſerta; quorum 2 paullo longiora.

ra. *Anth.* parviuſculæ, peltatæ, ſubconniventes, ſubrotundæ, planæ, violaceæ, centro luteo, margine obſolete quadrilobæ, piloſo-ciliatæ, os tubi obturantes. *PIST. Germ.* 4-fidum: lobis ſubrotundis, baſi cinctum perichætio. *Styl.* cylindricus, longitudine ſtaminum, vix pubeſcens. *Stimata* 2, ovato-oblonga, obtuſa.

PROPR. rec. & *ſicc. Odor* fragrans, fortis, cephalicus, ſvaveolens. *Sapor* aromaticus, amaricans, calidiuſculus, odori congruens. Flores recentes *maſticati* leniter in ore calefaciunt.

VIRTUS: nervina, reſolvens, tonica, emmenagoga.

USUS: externus.

OBS. 1. *Infuſ.* aquoſ. rubicundum, fragrans, amarum; vitriolo martis nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 20, aquæ unc. ß inſtillatæ, addito vitr. martis, colorem obſcure干 virideſcentem fecerunt. *Aqua ſtill.* fragrans; *oleum ſtill.* citrinum, odore Lavendulæ forti, ſapore calido. E flor. Lavand. libr. 15 olei ſtill. unc. 5 ß obtinuit cl. BAUMÉ; alia vice e flor. libr. 80 obtinuit ol. ſtillat. libr. 1 & unc. 9. Sed e ramentor. libr. 5, demtis floribus, paucas duntaxat olei guttas accepit. *Spiritus*, ſi rite paratus, gratiſſimus, ſub nomine *Eau de Lavande* increbuit.

OBS. 2. Infans generoſus naſcebatur cum tumore molliſſimo verticis capitis, magnitudine ovi columbini; conſulebantur plures medici & chirurgi, apertionem tumoris ſerio diſſvadentes. Tandem præſcripſit cel. OL. ACREL Spirit. Lavend. compoſ. Lond., quo tumor fricaretur, unde brevi plenarie reſolutus fuit.

323. MENTHA criſpa. LINN. *Sp. pl. 805. Mat. m. 278.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 11.*

Siſymbria mentha agreſtis. LOBEL. *Hiſt.* 272.

Pharm. *MENTHÆ CRISPÆ* Herba.

Locus. Sibiria. Colitur in hortis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, ramoſa, articulata, repens, fibris deſcendentibus, filiformibus, fibrilloſis. *Caules* plures ex una radice, pedales vel ultra, erecti, 4 goni, geniculati, pubeſcenti-ſcabridi, ramoſi. *Rami* oppoſiti. *Folia* ad genicula, oppoſita, breviter petiolata, ovato-ſubrotunda, acutiuſcula, pollicaria, ſubtus pubeſcentia, ſupra glabriuſcula, rugoſa, margine inciſo-ſerrata, ſerraturis minutim ciliatis, erectis criſpa. *Capitulum* terminale, oblongum ſ. ovatum, obtuſum, conflatum e verticillis ſubſeſſilibus, ſubapproximatis; inferiore magis remoto, pedunculato; floribus brevius pedunculatis. *Bracteæ* ovato-lanceolatæ, acutæ, ciliatæ, ſubſerratæ, verticillis ſubjectæ, oppoſitæ. *Involucrum* polyphyllum: foliolis linearibus, acutis, ſubæqualibus, ſubpubeſcentibus, verticillis ſubjectum, longitudine circiter pedicellorum. *CAL. Perianth.* tubulatum, turbinatum, undique ſtriatum, pubeſcens, 5-fidum: laciniis ſubulatis, acutis, ſubæqualibus, erectis. *COR.* pallide violacea, glabra. *Tubus* longitudine calycis, ſuperne amplior, ſenſim deſinens in *Limbum* 4-fidum: laciniis ovatis, obtuſis, erecto-patentibus, margine undique revolutis; ſuprema paullo latiore, emarginata. *STAM. Filam.* 4, ſetacea, corollæ concolora, longitudine laciniarum corollæ; quorum 2 paullo altiora. *Anth.* ovatæ, didymæ, incumbentes. *PIST. Germ.* viride, 4-fidum, obtuſum, baſi cinctum perichætio. *Styl.* ſubulatus, corolla longior. *Stigm.* 2, ſubulata, acuta.

PROPR. rec. & *ſicc. Odor* fragrans, fortis, ſpirituoſus; *ſapor* calidus, aromaticus; *maſticata*

in

in lingva & faucibus calefacit, fere ut ſpiritus vini. Ex ſiccatione intenditur odor & ſapor.

VIRTUS: reſolvens, ructatrix, diuretica, emmenagoga, ſtomachica, lac reſolvens.

USUS. Hyſteria, Vomitus, Coagulum lactis in mammis, Colica.

OBS. *Infuſum* aquoſ. rubrum, fragrans, leniter amaricans; vitr. martis ſubito nigreſcit; hujus infuſ. guttæ 20, cum vitr. martis & aquæ unc. ß, colorem ſordide brunneum ſtiterunt. *Oleum ſtill.* aureo colore, debilius fragrans; ſapore Menthæ acuto & calido.

324. MENTHA ſylveſtris. LINN. *Sp pl.* 804. *Mat. m.* 279.

Mentha. BLACKW. *Herb. t.* 290.

Mentha romana. LOBEL. *Hiſt.* 271.

Pharm. MENTHÆ LONGIFOLIÆ Herba.

Locus. Germania, Anglia, Gallia. *Perennis.*

FORMA. rec. Caulis erectus, tetragonus, tomentoſus, pedalis vel ultra, geniculatus, ſuperne ramoſus. *Rami* oppoſiti, erecti. *Folia* ad genicula, oppoſita, ſubſeſſilia, lanceolata, acuta, ſubtus tomentoſa, cinerea, ſupra virideſcentia, villoſa, bipollicaria vel ultra, acute ſerrata, patentia. *Spicæ* terminales, ternæ, brevius pedunculatæ, villoſæ, conicæ, nudæ, conſtructæ e verticillis ſeſſilibus, approximatis, floribus pedicellatis. *Bracteæ* lineari-ſubulatæ, villoſæ, calycibus fere longiores. *CAL. Perianth.* tubulatum, ſubturbinatum, villoſum, 5-dentatum: laciniis lineari-lanceolatis, acutis, erectis, æqualibus, piloſo-ciliatis. *COR.* 1-petala, ſubregularis. *Tubus* cylindricus, pallidus, ſuperne latior, longitudine calycis. *Limbus* 4-fidus, dilute violaceus: laciniis ovatis, obtuſis, patentibus; ſuprema paullo

lo majore, emarginata. *STAM. Fil.* 4, apici tubi inſerta, pallida, ſetacea, corolla duplo longiora, diſtantia, erecta, ſubæqualia. *Anth.* ſubrotundæ, didymæ, incumbentes. *PIST. Germen* viride, piloſum, 4-partitum, obtuſum. *Styl.* ſetaceus, pallidus, longitudine corollæ. *Stigma* bifidum, acutum.

PROPR. rec. Odor fragrans, ſpirituoſus, fere Menthæ criſpæ, paullo debilior, ſed magis gratus; *ſapor* calidus, aromaticus; *maſticata* lingvam faucesque debilius calefacit.

VIRTUS: eadem quæ in præcedente.

USUS: qui præcedentis.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. herbæ rec. rubicundo-luteſcens, tanquam potus Theæ, odore & ſapore herbæ, vitr. martis ſubito nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 20, aquæ unc. ß inſtillatæ, una cum vitr. martis, colorem fuſco-virideſcentem monſtrarunt.

OBS. 2. Mentha viridis Linn. fortior eſt quam ſylveſtris, minus grata, ſapore debiliore quam Mentha piperita; ideoque in hortis pharmacopœorum perperam ſubſtituitur Menthæ piperitæ.

325. MENTHA piperita. Linn. *Sp. pl. 305.* Schreb. *Mat. m. 317.* Schwenck. *Gewaſſ. 334.*

Mentha piperis ſapore. Blackw. *Herb. t. 291.*

Mentha ſpicis brevioribus & habitioribus, folio menthæ fuſcæ, ſapore fervido piperis. Raj. *Angl. 3. p. 234. t. 10. f. 2.*

Pharm. MENTHÆ PIPERITIDIS Herba.

Locus. Anglia. *Perennis.*

FORMA. rec. Caulis ſpithamæus, pedalis vel ultra, tetragonus: lateribus 2 oppoſitis canaliculatis; hirtus, geniculatus: geniculis barbatis; ſuperne ramoſus: ramis inferioribus brevioribus. *Folia* oppoſita,

ſita, brevius petiolata, ovato-oblonga, acutiuſcula, acute ſerrata, ciliata, bipollicaria, utrinque pubeſcentia, ſupra vero minus, molliuſcula, ſubtus punctulis excavatis punctata, internodii longitudine, patentia; ramea rotundiora. *Capitulum* terminale, oblongum, obtuſum, baſi fulcitum foliolis 2, oppoſitis, conflatum e verticillis ſeſſilibus, circiter tribus; inferiore remotiore; ſuperioribus ſubapproximatis. *Flores* pedicellati. *Bracteæ* 2, oppoſitæ, lanceolatæ, longius acuminatæ, ciliatæ, ad verticillos ſitæ; quarum inferiores, h. e. verticilli infimi, ſerratæ, verticillo longiores, ſuperiorum vero verticillorum integræ, longitudine verticillorum. Bracteæ aliæ parvæ, lineari-ſubulatæ, ad pedicellos, calycibus breviores. *CAL. Perianth.* tubulatum, cylindrico-turbinatum, ſtriato-angulatum, hirtum, 5-fidum: laciniis rotundatis, apice ſubulatis, erectis, ſubæqualibus. *COR.* monopetala. *Tubus* albidus, calyce longior, ſuperne amplior. *Limb.* e tubo ampliato, pubeſcens, dilute violaceus, 4-fidus: laciniis ovato-oblongis, obtuſis, emarginatis, erecto-patentibus; 3 inferioribus æqualibus; ſuperiore latiore, profundius emarginata. *STAM. Filam.* 4, ſetacea, brevia, tubo inſerta, ſitu fere æqualia. *Anth.* intra tubum corollæ reconditæ, cordatæ, obtuſæ; quarum 2 priores. *PIST. Germ.* 4-fidum, obtuſum, baſi cinctum perichætio. *Styl.* filiformis, corolla longior, erectus. *Stigma* bifidum.

PROPR. ſicc. & *rec. Odor* fragrans, ſpirituoſus, ſubcamphoratus; *Sapor* aromaticus, fervidus, camphoræ; *maſticata* lingvam & fauces valde calefacit, ſubſequente ſenſu frigidiuſculo. Recentis odor fere debilior, quam ſiccatæ; ſapor ſiccatæ fortior.

VIRTUS: reſolvens, calefaciens, emmenagoga.
USUS. Hyſteria, Flatus.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. rubicundum, debilius fragrans, graviuſculum, ſapore initio debiliore, tum calido; vitr. martis nigro-fuſceſcit. *Aqua ſtillat.* calidiſſima, ſubopaleſcens, ſapore ſpirituoſo, fragrans. *Oleum ſtillat.* fuſco-rubrum, in aqua natans, odore forti Menthæ piperitidis, ſapore omnium acerrimo, menthæ piperitidis, fervidiſſimo, fere igneo. Guſtatum vaporem ſubſuffocantem in laryngem demittit, calidiſſimum, mox ſubrefrigerantem, fugacem; poſtea fervent labia & lingva ſatis diu, etiamſi os ſæpius aqua eluitur. Genis ſub oculis illinitum, oculos vehementer ferit, illosque valde lacrymantes facit, effectu non diu inhærente, at viſum poſtea confortat. Olei gutta 1, vitro aqua repleto immiſſa, omnem aquam imbuit ſapore fervido, parumque abeſt quin aqua guſtata urat in labiis.

OBS. 2. E Mentha piperitide, bene matura & ſiccata, deſtillando, veram elicuit *Camphoram* cl. GAUBIUS (*), a recente vero herba non item.

OBS. 3. Inter omnes Menthæ ſpecies Piperita fortiſſima eſt.

326. MENTHA Pulegium. LINN. *Sp. pl.* 807. *Mat. m.* 280.

Pulegium. BLACKW. *Herb. t.* 302. DOD. *Pempt.* 281. BAUH. *Hiſt.* 3. *p.* 256.

Pulegium regium vulgatum. LOB. *Hiſt.* 266.

Pharm. PULEGII Herba.

Locus. Germania, Anglia, Gallia, locis depreſſis, humidis. *Perennis.*

FORMA. rec. *Caulis* ſpithamæus, procumbens, tetragonus, geniculatus, pubeſcens, ramoſus. *Rami* alternatim oppoſiti, erecti, cauli conformes, ſim-

(*) *Adverſar. l.* 1. *p.* 99.

ſimpliciuſculi. *Folia* ad genicula, oppoſita, brevius petiolata, ovalia, obtuſa, ſerrata, glabra, ſupra lineata, ſubtus punctata, nervis minutim pubeſcentia, ungvicularia, patentia. *Verticilli* florum axillares, plurimi, ſubrotundi, ſubſeſſiles, foliis breviores, floribus pedunculatis, cernuis. *Bracteæ* quaternæ, utrinque 2, foliolis obovatis, ſuperne ſerratis, petiolatis, foliis duplo brevioribus, verticillo vix longioribus, reflexis, viridibus. *CAL. Perianth.* tubulatum, cylindricum, undique ſtriatum, pubeſcens, viridi-purpuraſcens; ore 5-fido, acuto, erecto, æquali. *COR.* dilute violacea, pubeſcens. *Tubus* cylindricus, longitudine calycis, ſuperne incraſſatus. *Limb.* 4-fidus: laciniis lineari-ovalibus, obtuſis, erectis, ſubæqualibus. *STAM.* corollæ concolora. *Filam.* 4, ſubulata, erecta, corolla longiora, patentia, ſitu æqualia. *Antheræ* cordatæ, obtuſæ. *PIST. Germen* viride, 4-fidum, glabrum, obtuſum, baſi cinctum perichæſio. *Stylus* ſubulatus, longitudine fere ſtaminum. *Stigma* bifidum, acutum.

PROPR. rec. & *ſicc. Odor* fragrans, ſpirituoſus, graviuſculus. *Sapor* aromaticus, calidus; *maſticata* lingvam faucesque calefacit, ſubcamphorata.

VIRTUS: reſolvens, errhina, pectoralis, ſtomachica, emmenagoga, diuretica.

USUS. Aſthma, Hyſteria.

OBS. *Infuſum* aquoſ. luteſcens, fragrans, aromaticum, ſapore ſubſpirituoſo; vitr. martis ſubito fuſco-nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 20, inſtillatæ aquæ unciæ ℥, addito vitr. martis, colorem fuſco-brunneum dilutiorem effecerunt. *Aqua ſtill.* fragrans, aro-

matica. *Oleum ſtillat.* rubro-luteum, odore & ſapore Pulegii, amaricante.

327. MENTHA gentilis. Linn. *Sp. pl. 805.*
Mentha verticillata minor acuta, non criſpa, odore ocymi. Bauh. *Hiſt.* 3. *p.* 216.
Aquatica ſive Siſymbria mentha rubro folio & flore nigræ menthæ & Balſamine offinarum. Lobel. *Icon.* 509. *Hiſt.* 272.
Le Baume *vulgo.*
Culinis MENTHÆ BALSAMINÆ Herba.
Locus. Europa auſtralis. *Perennis.*
FORMA. rec. Caulis erectus, tetragonus, geniculatus, ſcabridus, ſpithamæus, ſæpe pedalis, ramoſus, ramis oppoſitis. *Genicula* caulis compreſſiuſcula, pubeſcentia. *Folia* ad genicula, alternatim oppoſita, petiolata, ovata, obtuſo-rotundata, plana, ſerrata, minutim ciliata, ſupra glabra, dilute viridia, ſubtus pallidiora, venis ſcabra, pollicaria, patenti-reflexa; *ſuperiora* acutiuſcula; *tenella* in ramulis teneris, ſuborbiculata, ſerrata, in formam roſæ conniventia, plana. *Verticilli* florum ad genicula caulis terminalia, 2 vel 3, axillares e foliis, ſubſeſſiles; quorum terminalis capitatus. *Bracteæ* oppoſitæ, ovato-acutæ, ſerratæ, ciliatæ, verticillis brevioribus. *Flores* pedicellati. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, tubulatum, ſtriatum, minutim pubeſcens, ore 5-dentato: laciniis lineari-lanceolatis, ciliatis, acutis, erectis, ſubæqualibus. *COR.* dilute violacea, infundibuliformis. *Tubus* calyce paullo longior, ſuperne ſenſim incraſſatus. *Limbus* 4-fidus: laciniis ovatis, obtuſis, erectis, æquali longitudine; ſuprema paullo latiore, emarginata. *STAM. Filam.* 4, brevia, ſubæqualia, ſub ſinubus limbi in-

inſerta. *Antheræ* parviuſculæ, ovato-oblongæ, ſupra ſulcatæ, intra apicem tubi incluſæ. *PIST.* *Germ.* parviuſculum, viride, 4-partitum, obtuſum, glabrum, baſi cinctum perichætio. *Stylus* ſubulatus, dilute violaceus, corolla longior. *Stigma* bifidum, acutum, patens, longius exſertum.

PROPR. rec. Odor fragrans, gratus, ſubcitreo-menthaceus, in Majoranam ſimul incidens; folia fricata fragrantiora, balſamica. *Sapor* calidus, aromaticus, in flavedinem citri incidens.

VIRTUS: reſolvens, ſtomachica.

USUS: culinaris.

OBS. 1. Folia virentia hujus Menthæ ſaturæ herbariæ immiſcentur a quibusdam, & cruda eduntur.

OBS. 2. Ex herbæ libr. 96 olei ſtillat. unc. 1 obtinuit cl. BAUMÉ, colore leniter rubicundo.

328. GLECOMA hederacea. LINN. *Sp. pl.* 807. *Mat. m.* 303. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 6.

Hedera terreſtris vulgaris. ZANNICH. *Venez.* *t.* 253. BLACKW. *Herb. t.* 225. DOD. *Pempt.* 389. *t.* 390.

Humilis Hedera ſ. Chamæciſſus. LOB. *Hiſt.* 336.

Pharm. HEDERÆ TERRESTRIS Herba.

Locus. Europa, ad ſepes. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix repens. *Caulis* tetragonus, repens, ſpithamæus, pubeſcens, ſcabriuſculus, ramoſus. *Rami* oppoſiti, erecti, cauli conformes. *Folia* alternatim oppoſita, petiolata, reniformia, crenata, ciliata, rugoſa, ſupra ſcabriuſcula, ſubtus minutim punctata, nervis pubeſcentia, ungvicularia, erecto-patentia. *Petioli* teretiuſculi, ſcabri, ſupra ſulco longitudinali. *Stipulæ* nullæ, ſed margo utrinque inter petiolos, obtu-

 ſus,

ſus, ciliatus. *Racemi* florum axillares e foliis, oppoſiti, breviſſimi, ſubquinqueflori, erecti, nudi, breviter pedunculati, foliis breviores. *Bracteæ* ſuboppoſitæ, lineares, acutæ, ciliato-pubeſcentes, patentes, in racemo frequentes. *Flores* pedicellati, erecti. *CAL. Perianth.* tubulatum, cylindricum, inferne attenuatum, undique ſtriatum, pubeſcens, ore 5-fido: laciniis ovato-acutis, quarum 2 inferiores paullo breviores. *COR.* 1-petala, violacea. *Tubus* cylindricus, pallidus, minutim pubeſcens, calyce duplo longior, dorſo carinatus, ſuperne clavatus, antice variegatus. *Limbus* ringens, bilabiatus. *Lab. ſuperius* erectum, glabrum, ovatum, obtuſum, retuſum, marginibus reflexis, dorſo carinatum: carina pubeſcente; *inferius* ovatum, obtuſum, patens, pariter glabrum, 3-fidum: laciniis lateralibus lineari-ovalibus, obtuſis; intermedia duplo latiore, emarginata. *Palatum* barbatum, cæruleo-variegatum. *STAM. Filam.* 4, albida, apici tubi corollæ inſerta, labio ſuperiori adpreſſa; quorum 2 longiora. *Anth.* albæ, laterales prope apicem filamentorum, bilobæ, in formam crucis conniventes; quarum ſuperius par in medio labii, inferius in fauce hæret. *PIST. Germen* ovatum, viride, glabrum, 4-partitum, obtuſum. *Squama* carnoſa, germinis lobis conformis, verum paullo major, convexa, brevior, germen ad latus fulciens. *Stylus* ſubulatus, albidus, longitudine Staminum ſuperiorum, illisque adpreſſus. *Stigma* bifidum, acutum, violaceum.

PROPR. rec. Odor debilius fragrans, graviuſculus, non ingratus. *Sapor* leniter aromaticus, odori congruens, leniter amaricans.

VIRTUS: tonica, vulneraria.

USUS: Vomica pulmonum, Tuſſis. *OBS.*

OBS. *Infuſum* aquoſ. rubeſcens Theæ inſtar, amaricans; vitr. martis ſubito fuſco-nigreſcit.

329. LAMIUM album. LINN. *Sp. pl. 809. Mat. m. 307.* OED. *Icon. t. 594.* BLACKW. *Herb. t. 33.*

Ortie blanche. BULLIARD *Fl. pariſ. t. 15.*

Urtica iners ſive Lamium primum. DODON. *Pempt. 153.*

Lamium ſ. archangelica flore albo. LOB. *Hiſt. 280.*

Galeopſis. CAMER. *Epit. 865.*

Pharm. LAMII ALBI Herba.

Locus. Europa, in cultis & ruderatis. *Annuum.*

FORMA. rec. Radix alba, repens, geniculata, teres, craſſitie culmi ſecalini, ad genicula fibrilloſa: fibris deſcendentibus, elongatis. *Caulis* erectus, tetragonus, pubeſcenti-ſcaber, ſpithamæus, baſi ramoſus, geniculatus. *Rami* oppoſiti, erecto-patentes, cauli conformes. *Folia* oppoſita, petiolata, ovata, acuta, margine inciſo-ſerrata, rugoſa, pubeſcenti-ſcabrida, patentia; *ſuprema* ſubſeſſilia. *Petioli* ſupra concavo-canaliculati, ſubtus convexi. *Verticilli* florum ad genicula, circiter 10-flori. *Macula* purpuraſcens, obverſe lunulata, utrinque ad geniculum, variegata, verticillum diſtingvens. *Flores* ſeſſiles. *CAL. Perianth.* tubulatum, 10-angulatum, pubeſcens, baſi extus violaceum, ore ampliato, 5 fido: laciniis lineari-ſubulatis, carinatis, patentibus, margine minutim ciliatis, carina hirſutis. *COR.* ringens, alba. *Tubus* calyce longior, incurvus, pubeſcens, ſuperne gibbus. *Limbus* ringens. *Lab. ſuper.* villoſum, ciliatum, fornicatum, obovatum, con-

concavum, retuſum, nutans; *infer.* ovatum, glabrum, bilobum, utrinque deflexum, baſi notatum lineis 3 longitudinalibus, luteſcentibus, baſi decuſſatis. *Faux* amplior, compreſſa, margine utrinque rotundato, inſtructo dente ſubulato, recto, ſolitario. *STAM. Filam.* 4, ſubulata, alba, pubeſcentia, ſub labio ſuperiori recondita, parallela; quorum 2 paullo breviora. *Anth.* oblongæ, fuſcæ, dorſo albo-hirſutæ, erectæ. *PIST. Germ.* 4, trigona, truncata, conniventia. *Styl.* ſubulatus, albus, glaber, longitudine ſtaminum, illisque parallelus. *Stigma* bifidum: laciniis ſubulatis, acutis.

PROPR. rec. *Odor* fortior, mucidus. *Sapor* herbaceus; *maſticata* folia teneriuſcula, ſaliva viridi.

VIRTUS.

USUS.

330. BETONICA officinalis. Linn. *Sp. pl. 810. Mat. m. 304.* Kniph. *Bot. orig. cent. 5. & 11.*

Betoine. Bulliard *Flor. pariſ. t. 3.*

Betonica. Dodon. *Pempt. 40.* Lob. *Hiſt. 286.* Blackw. *Herb. t. 46.* Ludw. *Ectyp. p. 1. t. 2.*

Pharm. *BETONICÆ* Herba.

Locus. Europa auſtralis, in pratis ſiccis. *Perennis.*

FORMA. rec. Caulis erectus, pedalis vel ultra, tetragonus: angulis obtuſis, lateribus plano-canaliculatis, obſolete ſtriatis, geniculatis; hirto-ſcaber, ſimplex, ſuperne ſæpe ramoſus: ramis oppoſitis, erectis, internodio brevioribus. *Folia* ad genicula, oppoſita, petiolata, cordato-oblonga, obtuſa, undique minutim punctata: punctis excavatis; utrinque pubeſcentia, venoſo-rugoſa, margine dentato-ſerrata: ſerraturis obtuſo-rotundatis, ciliatis; ſumma ſubſeſſilia, reflexa. *Petioli* pubeſcentes, ſubtus rotunde carinati, ſupra

pra concavi. *Spica* terminalis, ſubfolioſa, conſtructa e verticillis ſeſſilibus, oppoſitis, approximatis; quorum inferiores remotiores. Foliola 2 oppoſita, reflexa, caulinis ſimilia, ad baſin ſpicæ; *Bracteæ* vero lanceolatæ ad verticillos, oppoſitæ, ſeſſiles, ciliatæ, pubeſcentes, calycibus paullo longiores; quarum inferiores ſubdentatæ, reflexæ; ſuperiores integræ, patentes. *Involucr.* polyphyllum, verticillum undique cingens: foliolis bracteis ſuperioribus ſimilibus, inæqualibus, erectis, calycibus vix longioribus. *Flores* ſeſſiles. *CAL. Perianth.* tubulatum, turbinatum, ſubangulatum, ſuperne villoſum: ore truncato, 5-dentato: dentibus ſubulatis, erectis, æqualibus, mucronato-aculeatis. *COROLLA* monopetala. *Tubus* incurvus, infra glaber, albus, ſupra purpureus, extus & intus pubeſcens, calyce longior. *Limbus* ringens, bilabiatus, minutim pubeſcens, purpureus. *Labium ſuperius* oblongum, obtuſum, planum, apice revoluto-patente. *Faux* contracta. *Lab. inferius* trifidum, reflexo-patens: laciniis lateralibus, rotundatis; intermedia duplo majore, baſi convexa, ſulco longitudinali, apice emarginata, erecta. *STAM. Filam.* 4, ſubulata, alba, pubeſcentia, tubo inſerta, tubo longiora; quorum 2 inferiora paullo breviora. *Antheræ* in fauce, ſecundæ, rubro-purpuraſcentes, bilobæ: lobis verticalibus, ſubrotundis. *PIST. Germen* ſubrotundum, truncatum, glabrum, virideſcens, 4-partitum: lobis arcte conniventibus. *Stylus* ſubulatus, inferne incurvatus, albidus, glaber, ſtaminibus paullo longior. *Stigma* bifidum, acutum.

PROPR. rec. Odor herbæ ſubaromaticus, ſubnarcoticus, in odorem cimicis incidens; *florum* vero

vero paullo gratior, debilior. *Sapor foliorum* ingratus, fatuus, ſed ſimul calidiuſculus, vix amaricans; *florum* debilis, odori congruens; *maſticati* flores calidiuſculi, fauces aliquantulum calefacientes, ſaliva dilute violacea. *Siccatæ* herbæ *odor* gravis, debilior; *ſapor* amaricans, ingratus.

VIRTUS: anodyna, tonica, errhina; *rec.* ſubinebrians.

USUS. Hyſteria.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. herbæ rec. rubicundum, odore & ſapore herbæ; vitr. martis fuſco-nigreſcit. *Aqua ſtill.* ſatis fragrans. *Oleum ſtill.* vix ullum dat hæc planta, ſaltem parciſſime.

OBS. 2. Folia Betonicæ inter pulverandum admodum in naribus irritant.

331. MARRUBIUM vulgare. Linn. *Sp. pl. 816. Mat. m. 305.* Clus. *Hiſt. 2. p. 34.*

Marrubium album vulgare. Blackw. *Herb. t. 479.* Zannich. *Venez. t. 198.* Lob. *Hiſt. 278.*

Marrubium. Dod. *Pempt. 88.*

Pharm. MARRUBII ALBI Herba.

Locus. Europa, Virginia, in ruderatis. *Perenne.*

FORMA. Caulis erectus, pedalis vel ultra, tetragonus, villoſus, ſæpe albido-tomentoſus, ramoſus. *Rami* oppoſiti, erecti, cauli conformes. *Folia* ad genicula, oppoſita, petiolata, ovalia, ſæpe ovata ſ. ſubrotunda, pollicaria, patentia, rugoſa, pubeſcentia ſ. villoſa, groſſius crenata, obtuſa. *Verticilli* florum axillares, denſe congeſti, amplexicaules, ſeſſiles, tomentoſi, multiflori. *Involucrum* polyphyllum, ſubulatum, hirſutum, calycibus brevius, illisque ſubjectum, ariſta-

ſtatum. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, tubulatum, hirſutum, 10-ſtriatum, ore patulo, barbato, 10-fido: laciniis ſubulatis, erectis, uncinatis, rigidis, glabris, alternis minoribus. *COR.* alba, ringens, villoſa. *Tubus* cylindricus, longitudine calycis. *Limbus* bipartitus: *labio ſuper.* erecto, lineari, concaviuſculo, bifido, obtuſiuſculo; *infer.* patente, trifido: laciniis lateralibus ovato-linearibus, obtuſiuſculis, oppoſitis; intermedia duplo majore, obovata, obtuſo-rotundata, obſolete crenulata. *STAM.* didynama, intra tubum verſus faucem incluſa. *PIST. Germen* 4-fidum. *Stylus* filiformis, longit. ſtaminum. *Stigma* bifidum, acutum.

PROPR. ſicc. & *rec. Odor* fragrans, vinoſus, gratus. *Sapor* amarus, inhærens.

VIRTUS: tonica, emmenagoga, diuretica.

USUS. Cachexia, Obſtructio menſium, Hyſteria, Aſthma pituitoſum.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. rubrum, amarum; vitr. martis fuſceſcit. *Extractum* aquoſum dat ad quinque ſedecim partes; CARTHEUSER.

OBS. 2. A veteribus medicis magni æſtimata fuit hæc planta, nunc fere oblitterata, tametſi effectus prodit egregios. Certe cl. J. H. LANGE (*) pulverem ex foliis Marrubii omnibus remediis aliis præfert in aſthmate humido & pulmonum infarctibus, propter vim eximiam humores viſcidos ſolvendi.

332. LEONURUS Cardiaca. LINN. *Sp. pl.* 817. *Mat. m.* 308.

Cardiaca. LUDW. *Ectyp. p.* 3. *t.* 5. BLACKW. *Herb. t.* 171. ZANNICH. *Venez. t.* 109. LOB. *Hiſt.* 278. DODON. *Pempt.* 94.

Pharm.

(*) *Miſcell. veritat. de rebus medicis, faſc.* 1. *p.* 57.

Pharm. *CARDIACÆ* Herba.

Locus. Europa, Virginia, in ruderatis. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix fibroſa. *Caulis* erectus, glaber, tetragonus, angulis linea longitudinali pubeſcente, lateribus plano-canaliculatis; geniculatus: geniculis ciliato-barbatis; bipedalis, ramoſus. *Rami* oppoſiti, erecti, cauli conformes. *Folia* ad genicula, alternatim oppoſita, petiolata, patentia, rugoſa, ſupra atrichodia, ſubtus nervis pubeſcentia, margine ciliata; inferiora palmato-quinqueloba: lobis oblongis, trifidis, acutis, inæqualiter inciſo-ſerratis; ſuperiora cuneiformia, integra, trilobata: lobis lanceolatis, acutis. *Petioli* tetragoni, ſupra canaliculati, pubeſcentes. *Verticilli* florum in ſummitate caulis ad genicula ſ. axillas foliorum plures, circiter 20-flori, floribus ſeſſilibus, congeſtis. *Involucr.* polyphyllum, lineari-ſubulatum, minutim pubeſcens, erectum, calyce brevius. *CAL. Per.* tubulatum, turbinatum, glabrum, 5-angulatum, ſubbilabiatum, 5-fidum: laciniis 3, interioribus ovatis, apice ſubulato-ſpinoſis, erectis; 2 exterioribus paullo majoribus, patenti-reflexis. *COR.* ſordide & dilute violacea, extus villoſa. *Tubus* longitudine calycis, incurvatus, inferne albidus, glaber. *Limbus* ringens. *Labium ſuperius* ovatum, obtuſum, erectum, apice ſubrevolutum; *inferius* trifidum, patens: laciniis lateralibus rotundatis, revolutis, nigro-maculatis; intermedia paullo majore, ovato-oblonga, obtuſa, patente, palato ſordido, maculato. *STAM. Filam.* 4, ſubulata; quorum 2 ſuperiora, labio ſuperiori inſerta, erecta; 2 inferiora tubo inſerta, patentia. *Anth.* cordatæ, obtuſæ, trigonæ. *PIST. Germen* 4-par-

4-partitum, læve, truncatum, apice barbatum. *Stylus* filiformis, longitudine ſtaminum, pallidus, *Stigma* bifidum, acutum.

PROPR. rec. folior. contuſ. Odor debilis, herbaceo-ſubaromaticus; *ſapor* herbaceo-aromaticus, calidiuſculus, ſubſtypticus; *Florum* odor aromaticus, non ingratus, debilis. *Siccat.* herb. odor vix ullus, ſapor amarus, auſteriuſculus.

VIRTUS: tonica.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum rubicundum, amarum; cum vitriolo martis fuſco-nigreſcit.

333. ORIGANUM Dictamnus. LINN. *Sp. pl. 823. Mat. m. 301.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 4.*

Dictamnum verum. DOD. *Pempt. 280. c. fig.*

Dictamnum creticum. BLACKW. *Herb. t. 462.* CAMER. *Epit. 472.*

Dictamnum. LOBEL. *Icon. 502. Hiſt. 267.*

Pharm. DICTAMNI CRETICI Folia.

Locus. Candia. *Suffrutex.*

FORMA. Folia petiolata, ſuborbiculata, obtuſa, nervis depreſſis lineata, punctis nigricantibus ſ. excavatis utrinque adſperſa, tomentoſa ſ. lanata, albida, ungvicularia.

PROPR. ſicc. Odor fragrans, cephalicus, gratus; *ſapor* amaricans, aromaticus, calidus, odori congruens.

VIRTUS: ſtomachica, emmenagoga, calefaciens, reſolvens.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſ. debilius fragrans, luteſcenti-rubicundum potus Theæ inſtar, vix amaricans; vitr. martis fuſceſcit. *Aqua ſtill.* fragrans, aromatica. *Oleum*

ſtill. valde aromaticum odore & ſapore, frigore congelaſcens ſub ſpecie camphoræ; NEUMANN.

334. ORIGANUM creticum. LINN. *Sp. pl. 823. Mat. m. 300.*

Origanum Heracleoticum. DOD. *Pempt. 284.*

Pharm. & *Culinis ORIGANI CRETICI* Spicæ (falſo herba dictæ).

Locus. Oriens, Europa auſtralis. *Perenne.*

FORMA. Spicæ faſciculatæ, lineares, purpuraſcentes, rectæ, pedicellatæ: pedicellis alternatim oppoſitis; conſtantes e bracteis & floribus. *Bracteæ* cuneiformes, acutiuſculæ, venuloſæ, margine ſupremo ſcabræ, imbricatæ, calycibus longiores. *Calyces* ovati, undique punctati: punctis reſinoſis, 5-fidi: laciniis lanceolatis, obtuſiuſculis, minutim ciliatis, erectis, ſubæqualibus. *Corollæ* albeſcentes.

PROPR. ſicc. Odor fragrans, cephalicus, gratus, fortis. *Sapor* aromaticus, gratus, calidiuſculus, vix amaricans.

VIRTUS: calefaciens, tonica, ſtomachica, reſolvens, emmenagoga.

USUS: culinaris.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. rubrum, debilius fragrans, ſapore amaricante, grate aromatico; vitr. martis fuſco-nigreſcit. *Aqua ſtillat.* fragrans. *Oleum ſtill.* colore ſangvineo, ſapore acutiſſimo, calidiſſimo, aromate valido Origani cretici.

OBS. 2. In culinis multis cibi ſpicis hiſce condiuntur, ob aroma fragrans, palato amicum.

335. ORIGANUM vulgare. LINN. *Sp. pl. 824. Mat. m. 299.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 4.* GUNN. *Fl. norv. 51.*

Ori-

Origanum ſylveſtre. Dod. *Pempt.* 284. Zannich. *Venez.* t. 149.

Origanum. Blackw. *Herb.* t. 280.

Pharm. *ORIGANI VULGARIS* Herba.

Locus. Europa, Canada, Virginia, in montibus. *Perenne.*

FORMA. *Caulis* pedalis, erectus, tetragonus, purpuraſcens, pubeſcens, ramoſus. *Rami* oppoſiti, erecti, caule teneriores, in ceteris conformes; ſuperiores longiores. *Folia* ad genicula, oppoſita, petiolata, ovata, nervoſa, ſemipollicaria, ſupra glabra, ſubtus minutim pubeſcentia, utrinque punctata, margine minutim ciliata, patentia. *Axillæ* foliorum in planta culta foliolis onuſtæ. *Flores* ſpicati. *Panicula* ſpicarum terminalis, corymboſa. *Spicæ* ſubrotundæ, pedunculatæ. *Bracteæ* cuneiformes, acutiuſculæ, planæ, purpureæ, glabræ, venoſæ, ſeſſiles, floribus ſubjectæ ſingulæ. *CALYX.* *Perianthium* pedicellatum, longitudine bracteæ, turbinatum, ſtriatum, glabrum, ore barbato, 5-fido: laciniis lineari-acutis, erectis, æqualibus, purpuraſcentibus. *COR.* infundibuliformis, violacea. *Tubus* ſenſim ſurſum ampliatus, calyce longior. *Limbus* bilabiatus: *lab. ſuper.* erectum, bifidum, obtuſum; *infer.* trifidum, patens, obtuſum. *STAM.* didynama, longitudine fere corollæ. *PIST.* *Germen* quadripartitum. *Stylus* filiformis, corolla longior. *Stigma* bifidum, acutum, revolutum.

PROPR. *ſicc.* & *rec.* *Odor* fragrans, graviuſculus, non ingratus, fere Serpylli. *Sapor* aromaticus, in Mentham incidens, ſed debilior.

VIRTUS: prioris.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum rubrum, debilius fragrans, ſapore amaricante, leniter aromatico; vitriolo martis nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 8, inſtillatæ aquæ unciæ ß, addito vitr. martis, colorem ſordide violaceum ſtiterunt.

336. ORIGANUM Majorana. LINN. *Sp. pl. 825. Mat. m. 298.*
Majorana ſeu Marum. DOD. *Pempt. 270.*
Amaracus vulgatior. LOB. *Icon. 498.*
Majorana. BLACKW. *Herb. t. 319.*
Sampſuchus ſ. majorana. LOB. *Hiſt. 265.*
Pharm. & Culinis MAJORANÆ Herba.
Locus. Colitur ubique in hortis. *Annuum.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, deſcendens, undique fibrilloſa. *Caulis* erectus, ſpithamæus vel ultra, obſolete tetragonus, geniculatus, pubeſcenti-villoſus, inferne ramoſus. *Rami* alternatim oppoſiti, ſimplices, erecti, cauli conformes. *Folia* ad genicula caulis & ramorum, oppoſita, ſubſucculenta, petiolata, ovalia, obtuſa, vix pollicaria, minutim villoſa, obſolete punctata, lineata, margine obſolete repanda. *Axillæ* foliorum onuſtæ foliolis quaternis. *Floralia* folia ad ramos paniculæ atque ad capitula, oppoſita, ſeſſilia, ovalia, concava, pedunculo breviora. *Panicula* terminalis, compoſita e *ſpicis* pluribus, in ramis terminalibus, congeſtis, ſeſſilibus & pedunculatis; ſingulis ovato-oblongiuſculis, obtuſis, tetragonis, villoſis, compoſitis e floribus & bracteis. *Flores* ſeſſiles. *Bracteæ* ovato-ſubrotundæ, planæ, punctatæ, imbricatæ. *CAL. Perianth.* proprium nullum, niſi bracteas ſpicæ diphyllas dicas; quarum interior paullo minor, retuſa. *COR.* alba. *Tubus* turbinatus, minutim pubeſcens, longitudine bractea-

ctearum. *Limbus* 4-fidus: laciniis ovatis, obtuſis, patentibus, margine utrinque revolutis; ſuprema latiore, emarginata, apice revoluta. *STAM. Filam.* 4, erecta, ſubulata, alba, apici tubi inſerta, corolla longiora; quorum 2 paullo breviora. *Antheræ* reniformi bilobæ. *PIST. Germen* viride, parviuſculum, 4-fidum, obtuſum, minutim perichætiatum. *Stylus* ſubulatus, longitudine ſtaminum, erectus. *Stigma* bifidum, acutum.

PROPR. rec. & ſicc. Odor fragrans, fortis, cephalicus, obſcure graviuſculus, gratus; *Sapor* aromaticus, ſubamaricans, calidiuſculus; *maſticata* folia recentia ſubſucculenta, molliuſcula.

VIRTUS: tonica, ſtomachica, reſolvens, emmenagoga, errhina.

USUS: culinaris; Anoſmia.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. rubicundum, fragrans, ſapore aromatico; vitr. martis nigro-fuſceſcit. *Aqua ſtill.* fragrans. *Oleum ſtillat.* luteo-rubicundum, odore Majoranæ, ſapore herbæ calido, amaricante, acri. Ex Herb. recentis Majoranæ libr. 150 unc. 15 olei ſtill., leniter citrini, accepit cl. Baumé; ſed ex Herb. majoran. ſicc. libr. 8 & unc. 14 obtinuit idem vir unc. 2 & drachm. 2 olei ſtill. præcedenti ſimilis. Cl. Spielmann & Cartheuser olei $\frac{1}{64}$ partem obtinuerunt.

OBS. 2. *Reſinam*, Camphoræ ſimillimam, oleum Majoranæ ætate ad fundum vaſis demittit, forma cryſtallina: cryſtallis albidis, diaphanis, fragiliuſculis, majuſculis, aggregatis: ſingulis oblongis, tetraëdris, tetragonis, a medio verſus apicem utraque extremitate cuneatis. Hæc reſina odore eſt olei majoranæ, ſapore calido, amaricante, aromatico; maſticata inter dentes friabilis ſentitur, arenoſum mentitur ſub maſticatione, comminuitur, non ſolvitur. Inter digitos tractata non emollitur, ve-

verum dura permanet. Non ſolvitur in aqua pura, nec in oleo expreſſo; ſed in ſpiritu vini perfecte ſolvitur. In ignis flamma ſubaccenditur, funditur, defluit, unde ſubito extingvitur flamma; reſina liquefacta ſtatim ſolideſcit, fragilis fit friabilisque. In vaſe ferreo ſuper ignis flammam, funditur, fumat: fumo aromatico; admota flamma mox accenditur, flagrat: flamma vivida, lucida, luteſcente, non fuliginoſa; conſumitur penitus ſub deflagratione, relicto pauxillo duntaxat nigredinis cujusdam ſplendentis. Hinc Camphora non eſt, ut quidam voluerunt, ſed peculiaris reſina. In aëre aperto evaporatione non conſumitur, tamquam Camphora, quamtumvis calori expoſita. Pleraque olea eſſentialia ætate reſinam deponunt, quæ aut fundum petit, aut illis immixta ſuſpenſa hæret. Reſina, quæ ſubſidit, ſæpius cryſtalliſata apparet; ea vero quæ in oleis ſuſpenſa hæret, liquida eſt, oleoque immixta. Præſentiam indicat color olei, a naturali recedens; demonſtrat rectificatio, unde reſiduum tenax, Terebinthinæ ſimile. Naſcitur hæc reſina a decompoſitione olei, quæ acceleratur, ſi vas, in quo oleum ſervatur, melius non obturetur, quam ut aër accedat, præſertim ſi loco parum frigido aſſervetur vas. Quo plus reſinæ depoſuit oleum quoddam eſſentiale, eo magis ſpiritu rectore orbum eſt; ſed huic defectui obviam itur, ſi oleum ſuper plantam recentem rectificetur, unde fit, ut novo ſpiritu rectore iterum ſaturetur.

OBS. 3. In culinis herba Majoranæ vulgaris eſt, ad cibos condiendos idonea.

337. THYMUS Serpyllum. LINN. *Sp. pl.* 825. *Mat. m.* 282. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 6.
Serpillum vulgare. DOD. *Pempt.* 276. ZANNICH. *Venez. t.* 170.
Pharm. *SERPYLLI* Herba.

Lo-

Locus. Europa, in collibus aridis. *Suffruticulus.*

FORMA. rec. Radix filiformis, fibrilloſa. *Caulis* filiformis, teres, minutim pubeſcens, fuſco-cinereus, inferne repens, ſuperne procumbens, ramoſus. *Rami* oppoſiti, adſcendentes, tetragoni, albido-villoſi; inferiores longiores, ramoſi, ſuperiores ſenſim breviores, ſimplices. *Folia* caulina vix ulla; ramea oppoſita, breviter petiolata, obovata, obtuſa, utrinque punctata, lineas 2 longa, inferne albo-ciliata, patentia. *Capitula* florum terminalia, laxa, ſubrotunda, foliis 4 fulcita; quorum 2 oppoſita ſuperiora. *Flores* pedicellati. *CAL. Perianth.* tubulatum, 10-ſtriatum, villoſum, albidum, bilabiatum, 5-fidum: labio ſuperiore plano, 3-fido, acuto, ciliato; inferiore bipartito: laciniis ſubulatis, ciliatis. *COR.* dilute violacea. *Tubus* cylindricus, longitudine calycis, pubeſcens; *Limbus* glaber, bilabiatus. *Labium ſuperius* oblongum, obtuſum, emarginatum, erectum, planum; *inferius* patens, trifidum: laciniis ovatis, obtuſis. *Palatum* cæruleo-punctatum. *STAM. Filam.* 4, erecta, ſubulata, ad labium ſuperius, corolla longiora, albido-violacea; quorum 2 ſuperiora margini tubi, 2 inferiora, breviora, baſi tubi inſerta, erecta. *Anth.* parvæ, cordatæ, purpureæ. *PIST. Germen* ovatum, apice 4-lobum: lobis globoſis. *Stylus* ſubulatus, albido-violaceus, longitudine ſtaminum. *Stigma* bifidum, acutum.

PROPR. rec. & ſiccat. Odor fragrans, cephalicus, gratus. *Sapor* aromaticus, calidiuſculus, ſubcamphoratus, ſubamaricans.

VIRTUS: reſolvens, tonica, ſtomachica, diuretica.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſ. coloratum ut potus Theæ, cum vitr. martis nigreſcit. *Aqua ſtill.* fragrans. *Oleum ſtill.* ſaturate coloratum, rubrum, fragrans. Ex herb. Serpylli rec. libris 30 accepit BAUMÉ olei ſtillatitii drachmam ß.

338. THYMUS vulgaris. LINN. *Sp. pl.* 825. *Mat. m.* 281. KNIPH. *Bot. orig cent.* 5.

Thymum durius. DODON. *Pempt.* 275.

Pharm. & *Culinis THYMI VULGARIS* Herba.

Locus. Oriens, Europa auſtralis. Colitur in hortis. *Suffrutex.*

FORMA. Fruticulus parvus, ramoſiſſimus, ſpithamæus vel ultra, erectus. *Rami* oppoſiti, obſolete tetragoni, pubeſcentes; *tenelli* villoſi. *Folia* oppoſita, petiolata, ovali-oblonga, obtuſa, undique punctata, circiter 2 lineas longa, patentia, glabriuſcula ſ. albido-villoſa. *Flores* ſubcapitati. *Capitula* terminalia, obtuſa, folioſa, conſtantia e floribus pedicellatis. *Calyces* hirſuti, 5-fidi.

PROPR. *rec.* & *ſicc.* *Odor* fragrans, fortis, cephalicus, gratus; recentis ſvavior. *Sapor* aromaticus, calidus.

VIRTUS: reſolvens, emmenagoga, diuretica, tonica, ſtomachica.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. rubrum, fragrans, vitriolo martis nigro-fuſceſcit. *Aqua ſtillat.* fragrans. *Spiritus* gratus. *Oleum ſtillat.* dilute citrinum, fragrans, calidum, acre, Thymo ipſo ingratius.

OBS. 2. Ab oleo ſtillatitio Thymi *Reſinam* albam, ſaccharo cantho ſimilem, cryſtallis cubicis, diverſæ magnitudinis, ſæpe nucem avellanam exæquantibus, odore

re Thymi, ſapore acutiſſimo, in aqua non ſolubilibus, obtinuit NEUMANN (*); quod poſtea adſtruxit J. BROWN (**). Hæc reſina ſolvitur facile in Spiritu vini, ſed ſi tinctura hæc in aquam frigidam injicitur, obſervantur guttæ parvæ olei liquidi, aquæ innatantes, quæ ſenſim formantur in cryſtallos planas, a cryſtallis Lunæ non multum abludentes, odore & ſapore Thymi, perſiſtentes, nec volatiles prout camphora. Non ſolvitur in Spiritu Nitri, ſed amittit ſuam formam cryſtallinam, & faciem gummoſam induit, ſapore Thymi amaro; nec ſolvitur in oleo vitrioli. Igni admota hæc reſina funditur, & in oleum liquidum abit, id quod etiam accidit in vaſe clauſo, & non ſublimatur, ut cum camphora fit.

339. MELISSA officinalis. LINN. *Sp. pl.* 827. *Mat. m.* 294. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 4.

Meliſſa. DOD. *Pempt.* 91. *t.* 92.

Meliſſa vulgaris odore citri. BAUH. *Hiſt.* 3. *p.* 232.

Pharm. MELISSÆ CITRINÆ Herba.

Locus. Europa auſtralis, in ſubalpinis, Japonia. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix fibroſa. *Caulis* erectus, tetragonus, geniculatus, dodrantalis vel ultra, minutim pubeſcens, inferne ramoſus, diffuſus. *Rami* alternatim oppoſiti, cauli conformes, ramuloſi, erecti. *Folia* alternatim oppoſita, petiolata, cordata, obtuſa, groſſius & obtuſe ſerrata, rugoſa, pollicaria, ſupra viridia, minutim pubeſcentia, punctis parvis elevatis ſcabriuſcula, ſubtus glauca, punctis excavatis adſperſa, patentia; ſuperiora obovata, acutiuſcula, pubeſcentia, ſuperne ſerrata, patenti-revoluta. *Verticilli* flo-

L l 5 rum

(*) *Philoſoph. tranſact. vol.* 33. *p.* 324.

(**) *L. c. p.* 361.

rum axillares, ſubpedunculati. *Bracteæ* 4, parviuſculæ, ovales, utrinque acutæ, ciliatæ, utrinque 2 ad verticillos, pedicellorum longitudine; minores vero ad pedicellos. *CAL. Perianth.* tubulato-turbinatum, ſubincurvatum, 5-angulatum, ſtriatum, piloſo-pubeſcens, ore bilabiato, minutim ciliato; *Labio ſuper.* plano, ſubtruncato, tridentato, reflexo; *inferiore* erecto, bifido: laciniis lineari-lanceolatis, acuminatis. *COR.* alba, tubo cylindrico, incurvato, calyce anguſtiore & longiore; limbo clavato, angulato, bilabiato; *labio ſuper.* convexo-gibbo, concavo, minutim pubeſcente, erecto, margine emarginato, reflexo; *infer.* trifido: laciniis ovatis, obtuſis, reflexis, intermedio majore; palato hirſuto. *STAM. Filam.* 4, ſubulata, longitudine corollæ; quorum 2 ſuperiora breviora. *Anth.* bilobæ, divaricatæ. *PIST. Germen* 4-partitum, obtuſum, glabrum, baſi cinctum perichætio. *Stylus* ſubulatus, longitudine ſtaminum. *Stigm.* 2, ſubulata, acuta, revoluto-patentia.

PROPR. recent. & ſicc. Odor fragrans, fere flavedinis corticis citri; *Sapor* herbaceus, calidiuſculus, citratus. Herba ante floreſcentiam lecta gratior.

VIRTUS: reſolvens, leniter roborans, diuretica, emmenagoga.

OBS. Infuſum aquoſ. leniter fragrans, citratum, colore potus Theæ, ſapore leniter amaricanti-aromatico; vitr. martis nigro-fuſcum. Infuſum vinoſum gratum. *Aqua ſtill.* ex herba virente grata, fragrans. *Oleum ſtillat.* parcum, fragrantiſſimum, luteſcens ſive luteo-rubicundum, odore graviuſculo, ſapore Meliſſæ graviuſculo.

340.

340. DRACOCEPHALUM Moldavica. Linn. *Sp. pl. 830. Mat. m. 292.*
Meliſſa moldavica. Camer. *Epit. 576.*
Meliſſa turcica. Ludw. *Ectyp. p. 8. t. 15.*
Pharm. MELISSÆ TURCICÆ Herba.
Locus. Moldavia. *Annuum.*

FORMA. rec. Radix fibroſa, fuſca. *Caulis* albidus, erectus, obſolete tetragonus, geniculatus, glaber, vix pubeſcens, ramoſus. *Rami* alternatim oppoſiti, tetragoni, minutim pubeſcentes, pariter ramoſi, erecti. *Folia* ad genicula, oppoſita, patentia, petiolata, lanceolata, obtuſa, trinervia, utrinque glabra, ſupra virideſcentia, ſubtus glauca, punctata, pollicaria vel ultra, margine profunde ſerrata ſ. inciſo-ſerrata: ſerraturis obtuſis, infimis profundioribus, ſetaceis. *Petioli* foliis breviores, ſubtus teretes, ſulcati. *Flores* verticillati. *Verticilli* axillares, folioſi, 6-flori, floribus pedicellatis. *Bracteæ* 4, petiolellatæ, lanceolatæ, glabræ, ſubtus punctatæ, ſerratæ: ſerraturis ſetaceis. *CAL. Perianth.* tubulatum, undique ſtriatum, minutim pubeſcens, bilabiatum: labio ſuperiore majore, erecto, plano, tridentato: dentibus ovato-acutis, erectis; inferiore profunde bifido: laciniis lanceolatis, erectis, acutis. *COR.* violacea. *Tubus* filiformis, albidus, incurvus, calyce longe anguſtior, paulloque longior. *Limbus* ventricoſus, violaceus, ringens, bilabiatus. *Lab. ſuper.* ovatum, obtuſum, erectum, emarginatum, planiuſculum; *inferius* patens, 3-fidum: laciniis lateralibus minoribus, obtuſis; intermedia majore, obtuſa, retuſa: margine utrinque deflexo. *Palatum* cæruleo-punctatum. *STAM. Fil.* 4, ſubulata, albida, corolla paullo breviora. *Anth.* bilobæ, lobis exporrectis, per paria 2 ſub-

con-

connivente*s*, fauce paullo longiores. *PIST. Germen* 4-fidum, glabrum, obtuſum, baſi cinctum perichætio dentato. *Stylus* filiformis, longitudine ſtaminum ſuperiorum. *Stigma* bifidum, acutum.

PROPR. rec. Odor fragrans, fere Meliſſæ citrinæ; *ſapor* debilior, parcius aromaticus; *maſticata* planta lubrica, ſaliva ſaturate viridi.

VIRTUS: roborans, reſolvens.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſ. herbæ recent. rubrum, odore fragrante Meliſſæ, ſed ſimul graviuſculo, ſapore remiſſiore; vitr. martis nigro-fuſceſcit.

341. OCYMUM Baſilicum. LINN. *Sp. pl.* 833. *Mat. m.* 302. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 4. BLACKW. *Herb. t.* 104.

Ocymum. CAMER. *Epit.* 308.

Pharm. BASILICI Herba.

Locus. India. Colitur in hortis. *Annuum.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, deſcendens, undique obſeſſa fibris plurimis, filiformibus, albis. *Caulis* ſpithamæus, erectus, minutim pubeſcens, teres, ramoſus, diffuſus. *Rami* alternatim oppoſiti, ramoſi, erecti, cauli conformes. *Folia* ſubſucculenta, oppoſita, petiolata, ovata, acuta, glabra, ſubtus notata punctis excavatis, pollicaria vel ultra, integerrima, patentia. *Petioli* ſubtus convexi, ſupra canaliculati, foliis breviores. *Racemus* terminalis, rectus: rachi tetragona, villoſa; palmaris, conſtans verticillis 6-floris, plurimis, remotis, floribus pedicellatis: pedicellis rachi adpreſſis. *Bract.* oppoſitæ ad verticillos, petiolatæ, ovatæ, acutæ, concavæ, verticillo paullo longiores. *CAL. Per.* campanulatum, hirtum, bilabiatum; *labio ſuper.* ſubcordato, marginato,

pla-

plano, obtuſo-rotundato, trinerveo, reflexiuſculo; *infer.* 4-fido, laciniis ovato acutis, erectis; baſi intus tomentoſo. *COR.* alba, reſupinata. *Tubus* breviuſculus, ſenſim ampliatus. *Limbus* ringens. *Lab. ſuper.* erectum, ovatum, concavum, extus hirtum, 4-fidum: laciniis ovatis, obtuſis, reflexo-patentibus; *inferius* cuneiforme, patens, concaviuſculum, apice planum, margine ſerrulatum. *STAM. Fil.* 4, ſubulata, incurvata, alba, corolla paullo longiora, verſus labium inferius deflexa, approximata; quorum 2 ſuperiora paullo breviora, inferne geniculata: geniculo inſtructo dente obtuſo, hirſuto, patente. *Antheræ* ſubpeltatæ, cordatæ, planæ, reflexiuſculæ. *PISTILL. Germ.* 4-fidum, obtuſum, cinctum perichætio viridi, 4-fido: laciniis ovato-acutis, longitudine germinis; ſuperiore obſoleta. *Styl.* albus, filiformis, longitudine & declinatione ſtaminum. *Stigma* bifidum, acutum.

PROPR. ſicc. & rec. Odor fragrans, gratus; recentis ſvavior. *Sapor* aromaticus, gratus, ſubaniſatus. *Maſticata* folia recentia ſubſucculenta, molliuſcula.

VIRTUS: ſtomachica, reſolvens, excitans.

USUS: culinaris.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. fragrans, rubrum, aromaticum; a vitriolo martis obſcuratur.

OBS. 2. In culinis grata eſt herba pro cibi condimento.

342. PRUNELLA vulgaris. LINN. *Sp. pl.* 837. *Mat. m.* 309. LUDW. *Ectyp. p.* 9. *t.* 19.
Brunella. BLACKW. *Herb. t.* 24. BESL. *Eyſt. æſt. p.* 1. *t.* 1. *f.* 2. TILLI *Hort. Piſ. t.* 17. *f.* 2. 3.
Pharm. *PRUNELLÆ* Herba.

Locus.

Locus. Europa, Virginia, in pratis & paſcuis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix fibroſa. *Caulis* palmaris, adſcendens, tetragonus: angulis oppoſitis planis, oppoſitis aliis canaliculatis; ſimpliciuſculus, baſi infima parce ramoſus: ramis oppoſitis cauli ſimilibus; inferne glaber, ſuperne angulis pubeſcenti-ſcabridus. *Folia* alternatim oppoſita, petiolata, ovato-oblonga, acutiuſcula, ſerrata, utrinque ſcabriuſcula, lineata, patentia, pollicaria; ſumma lanceolata, ſubſeſſilia. *Petioli* ſupra canaliculati, foliis breviores. *Spicæ* terminales, ſeſſiles, ovato-cylindricæ, pollicares, truncatæ, e floribus verticillatis, breviter pedicellatis, & bracteis conſtantes. *Verticilli* 6-flori. *Pedicelli* compreſſo-tetragoni. *Bracteæ* oppoſitæ, cordatæ, latæ, planæ, membranaceæ, ſeſſiles, æquales, albidæ, ſtriis virideſcentibus parallelis pictæ, extus pubeſcentes, intus glabræ, ciliatæ, apice acutæ, ſingulos verticillos foventes. *CAL. Perianth.* tubulatum, bracteis longius, biangulatum, ſupra glabrum, trinerveum, ſubtus ſtriatum, pubeſcens, angulis ciliatum, bilabiatum: labio *ſuper.* depreſſo-plano, truncato, crenato, minutim tridentato, margine utrinque reflexo, compreſſo; *infer.* lanceolato, anguſtiore, bifido: laciniis acuminatis. *COR.* cærulea. *Tubus* calyce longior, inferne albus, ſuperne ſenſim ampliatus, cæruleſcens, ſtriatus. *Limbus* cæruleus, ringens, bilabiatus. *Lab. ſuper.* fornicatum, obtuſum, erectum; *inferius* patens, trifidum: laciniis ovatis, obtuſo-rotundatis; exterioribus reflexis; intermedia patente, denticulata. *STAM.* ſub labio ſuperiori recondita. *Filam.* 4, ſubulata, violacea; quorum 2 ſuperiora breviora; 2 inferiora longiora, omnia ter-

terminata dente ſubulato, divaricato. *Anth.* bilobæ: lobis divergentibus, ſubovatis; pedicellatæ: pedicello laterali e filamento, ſub dente. *PIST.* *Germ.* 4-partitum, glabrum, obtuſum, baſi cinctum perichætio. *Stylus* ſubulatus, violaceus, ſtaminibus paullo brevior. *Stigma* bifidum, acutum.

PROPR. rec. Odor nullus. *Sapor* herbaceus, amaricans; *maſticata* folia ſubglutinoſa.

VIRTUS: leniter adſtringens.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſ. rubeſcens, ſapore herbaceo; vitr. martis nigreſcit; hujus infuſi guttæ 20, aquæ unciæ ß inſtillatæ, addito vitr. martis, colorem fuſco-virideſcentem exhibuerunt.

ORDO
ANGIOSPERMIA.

343. EUPHRASIA officinalis. LINN. *Sp. pl. 841.* *Mat. m. 315.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 8.*

Euphraſia officinarum. ZANNICH. *Venez. t. 246.*

Euphraſia. CAMER. *Epit.* 767. LOB. *Hiſt. 261.*

Euphragia. BLACKW. *Herb. t.* 427.

Pharm. EUPHRASIÆ Herba.

Locus. Europa, in paſcuis aridis. *Annua.*

FORMA. rec. Radix fibroſa, fibrilloſa. *Caulis* digitalis, ſimplex, vix ramoſus, erectus, teres, pubeſcens. *Folia* oppoſita, ovata, obtuſa, ſerrato-dentata: dentibus acuminatis, ſupra convexis, ſubtus concavis, minutim ciliatis; ſupra glabra, lineata: ſulculis e ſinubus ſerraturæ ſupra diſcum folii decurrentibus; ſubtus pubeſcentia, patentia. *Racemus* terminalis, foliaceus, ſub floreſcentia contractus, comam breviuſculam effi-

efficiens, floribus axillaribus, oppoſitis, ſeſſilibus. *CAL. Perianth.* ovatum, angulatum, foliis paullo brevius, pubeſcens, 4-fidum: laciniis lanceolatis, acuminatis, erectis, ciliatis, ſubæqualibus, erectis. *COR.* alba, ringens. *Tubus* cylindricus, albus, glaber, longitudine calycis. *Limbus* bilabiatus. *Lab. ſuper.* album, ſubovatum, concavum, pubeſcens, ſtriis cæruleſcentibus, utrinque 3, intus pictum, obtuſum, erectum, bifidum: lobis obtuſis, emarginatis; *inferius* ſuperiori paullo majus, erecto-patens, trifidum: laciniis omnibus emarginatis. *Faux* undique ſtriata & picta ſtriis cæruleſcentibus, ſc. ſub labio ſuperiore & margine inferiore; antice vero colore luteo. *STAM. Filam.* 4, ſubulata, alba, tubo inſerta. *Anth.* ſagittatæ, obtuſæ, purpureæ, ſubtus barbatæ, conniventes, ſubconnexæ in hemiſphærium ſupra convexum, ad labium ſuperius vergens, rima poſtica. *PIST. Germen* ovatum, obtuſum, barbatum. *Stylus* ſubulatus, ſtaminibus longior, intra rimam antherarum, pubeſcens. *Stigma* obtuſo-capitatum.

PROPR. rec. Odor debilis. *Sapor* amaricans, debiliter aromaticus, odori congruens.

VIRTUS: leniter adſtringens.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. rubeſcens, ſapore herbaceo; vitriolo martis fuſco-nigreſcit.

OBS. 2. De Euphraſia ſcripſit Jo. Francus (*). E propria experientia nihil ſtatuit, verum recenſet teſtimonia medicorum de Euphraſia, illiusque vi inſigni adverſus oculorum vitia, unde conſtat, priſcos medicos ma-

(*) *Euphragia herba, medicina polychreſta, verumque oculorum ſolamen, &c.* Francof. & Lipſ. 1717.

magnam huic herbæ habuiſſe fiduciam. Colligenda herba ſub ipſa infloreſcentia, & probe ſiccanda. Commendatur ad viſum roborandum, atque nubeculas & quaſi telas, ante oculos obverſantes, avertendas, pannum & ſuffuſionem incipientem tollendam, nec non caliginem oculorum eradicandam. Interne ſumenda Euphraſia, & ſuccus ejus expreſſus, cum vino & melle edulcoratus, oculis inſtillandus. Ego ex propria experientia nihil certi de hac herba adhuc ſcio, ſed tamen non ſpernenda arbitror teſtimonia priſeorum. Certe Islandi ſuccum expreſſum, ut optimum remedium, in morbis oculorum adhibent, quemadmodum docet cl. EGGERT OLAFSEN (*).

344. ANTIRRHINUM Linaria. LINN. *Sp. pl.* *858. Mat. m. 313.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 6.*
Linaria vulgaris lutea. ZANNICH. *Venez. t. 174.* BLACKW. *Herb. t. 115.*
Linaria. LUDW. *Ectyp. p. 6. t. 12.*
Oſyris. CAMER. *Epit. 930.*
Pharm. LINARIÆ Herba.

Locus. Europa, in ruderatis. *Bienne.*

FORMA. rec. Caulis pedalis, erectus, teres, glaber, folioſus, obſolete ſtriatus, ſuperne ramoſus. *Rami* ſparſi, paniculati, erecti. *Folia* frequentia, ſparſa, linearia, acuta, ſeſſilia, pollicaria, glabra, integerrima, patentia. *Racemus* florum terminalis, etiam in ramis, glaber, ſubcylindricus, inferne compoſitus, floribus brevius pedunculatis, folioſus: bracteis linearibus, acutis, longitudine calycis, reflexis, inferioribus majoribus. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, glabrum, 5-partitum: laciniis ovali-oblongis, acutis, erectis,

(*) *Reiſe igiennem Island, vol. 1. p. 433.*

ctis, æqualibus, extus trinerviis. *COROLLA* dilute lutea, calyce multum longior. *Tubus* craſſus, ventricoſus, glaber, ſtriis nervoſis parallelis notatus, dorſo convexiuſculus, minutim carinatus, antice plano-compreſſus, baſi cornutus: cornu conico-ſubulato, acuto, deorſum pendulo, recto, pedunculo longiore. *Limbus* bilabiatus: *Labio ſuperiore* erecto, bifido: laciniis rotundatis, margine utrinque reflexis; *inferiore* erecto, ſuperiori paullo breviore, villoſo, fornicato, ſaturate luteo, inflato-gibbo, obtuſo, apice ſulcato, deorſum trifido: laciniis rotundatis, glabris, reflexis, intermedia longe minore. *Faux* clauſa labiis conniventibus. *STAM. Filam.* 4, ſubulata, alba, baſi corollæ inſerta, ad labium ſuperius compreſſa, quorum 2 interiora breviora, 2 exteriora longiora, baſi clavata, villoſa. *Anth.* ovales, per paria conniventes. *PIST. Germen* acutum, obtuſum, compreſſiuſculum, glabrum. *Stylus* ſubulatus, intra ſtamina, longitudine filamentorum breviorum. *Stigma* cernuum, capitato-truncatum.

PROPR. rec. Odor fœtidus, fere Scrophulariæ; *ſapor* herbaceus, amaricans. *Sicc.* odor fatuus, ſapor amaricans, fatuus.

VIRTUS: anodyna, repellens.

USUS: externus, Hæmorrhoides cæcæ.

OBS. *Infuſum* aquoſ. rubeſcens, odore & ſapore fatuo, amaricante; cum vitriolo martis color nil variat.

345. SCROPHULARIA nodoſa. LINN. *Sp. pl. 863.* *Mat. m. 310.*

Scrophularia nodoſa fœtida. ZANNICH. *Venez. t. 303.*

Scro-

Scrophularia. CAMER. *Epit.* 866.

Pharm. *SCROPHULARIÆ FOETIDÆ* Radix, Folia.

Locus. Europa, ad ſepes. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix albida, compoſita e tuberibus pluribus aggregatis, inæqualibus, ſeſſilibus, obliquis, conicis, ſæpe ovatis, obſolete annulatis, undique notatis tuberculis vel nodulis ſparſis, magnitudine nucis avellanæ, ſæpe ovi columbini, parce fibrilloſis: fibris filiformibus, palmaribus, albis, deſcendentibus. *Parencyma* albidum, transverſaliter ſectum æquale: centro medullari maximo; corticali parte tenui, concolore. *Caules* plures ex una radice, bipedales, erecti, ſimplices vel ramoſi, fuſci, variegati atomis pallidioribus, glabri, lucidiuſculi, tetragoni: angulis parviuſculis, acutis. *Folia* oppoſita, petiolata, internodiis paullo longiora, ovata, ſæpe baſi truncata, acutiuſcula, glabra, tripollicaria vel ultra, nervoſa, lineata, venuloſa, rugoſa, margine ſerrato-dentata, ſæpe inferne inciſa, patentia. *Petioli* ſubtus convexi, compreſſiuſculi, ſupra canaliculati, foliis breviores.

PROPR. recent. radic. Odor fœtidus, in Raphanum & Pæoniam incidens; *ſapor* conſimilis, amarus, acriuſculus; *maſticata* radix firma, fragilis, inſtar, Raphani, comminuitur. *Folior. Odor* fœtidus; *ſapor* amarus, acriuſculus, graviuſculus. *Siccatæ* radicis odor debilis, ſapor longe mitior quam in recente.

VIRTUS: anodyna, repellens.

USUS: *rec.* externus, Scrophulæ, Hæmorrhoides cæcæ.

OBS. *Infuſum* aquoſ. radicis rubrum, amarum; a vitriolo martis obſcuratur.

846. LINNÆA borealis. Linn. *Sp. pl. 880. Mat. m. 517. Fl. Svec. p. 219.* * *t. 1.* Oed. *Icon. t. 3.* Kniph. *Bot. orig. cent. 9.* Gunn. *Fl. norv. 37.*

Nummularia norvegica flore purpureo. Barthol. *Act. Hafn. 2. p. 346. f. C.*

Pharm. *LINNÆÆ* Herba.

Locus. Europa borealis, Canada, in ſylvis aceroſis, ſterilibus. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix fibroſa. *Caulis* perennis, filiformis, nudus, repens fibrillis radicantibus, ſetaceis; longius exporrectus, ſæpe 2 vel 3 pedum longitudine, purpureus, teres, minutim pubeſcens: lanugine alba. *Rami* ſparſi, pariter filiformes, cauli conformes; majores repentes, ramoſi, exporrecti; minores ſimplices, erecti, virides, pariter pubeſcentes. *Folia* in ramis, ſubſucculenta, ſempervirentia, oppoſita, petiolata, patentia, orbiculata ſ. ovata, apice obtuſo-rotundata, margine undique reclinato, inferne ciliato, utrinque inſtructa, ſerraturis binis, remotis; ſemiungvicularia, venuloſa, ſupra dilute viridia, pilis raris adſperſa, ſubtus pallidiora, lucidiuſcula, glabra, pilis reflexis in coſta. *Petioli* lineares, anguſti, concaviuſculi, piloſo-ciliati, foliis triplo breviores. *Stipulæ* nullæ, verum *ſquamæ* plures, alternatim oppoſitæ, ſubcuneiformes, obtuſæ, ciliatæ, imbricatæ; inferiores minores, ramulos tenellos inferne tegentes, deciduæ. *Pedunculi* terminales in ramulis, digitales, erecti, filiformes, ruſeſcentes, ſubpellucidi, pubeſcentes: pube minima, & pilis brevibus capitulatis; ſubviſcoſi, ſinguli apice bifidi: pedicellis erectis, unifloris, pedunculo conformibus. *Bracteæ* 2, oppoſitæ, lineares, obtuſiuſculæ, ſubpu-

pubeſcentes, concaviuſculæ, ciliatæ, ſitæ ad diviſionem pedunculi, pariter ac ad flores. *Flores* nutantes. *CAL. Perianth. fructus* inferum, 4-phyllum: foliolis 2 oppoſitis minimis, acutis, purpuraſcentibus, ciliatis; 2 aliis majoribus, ovalibus, concavis, germen amplectentibus, conniventibus, ciliatis, adſperſis pilis capitulatis, viſcidis, ſub floreſcentia germine minoribus, ſed peracta illa excreſcentibus, germenque totum tegentibus. *Perianth. floris* ſuperum, 5-partitum: laciniis lanceolatis, acutis, ciliatis, erectis. *COR.* 1-petala, infundibuliformis. *Tubus* brevis, longitudine calycis. *Limbus* turbinatus, albido-incarnatus; intus adſperſus pilis raris, longioribus, albidis, pictus venis ſangvineis, latere vero inferiore luteis; 5-fidus: laciniis ovatis, obtuſis, erectis, ſubæqualibus. *STAM. Filam.* 4, fundo corollæ inſerta, ſubulata, corolla breviora; quorum 2 adhuc breviora. *Anth.* compreſſæ, verſatiles. *PIST. Germen* inferum, ovatum, rubicundum, piloſo-viſcidum. *Stylus* filiformis, longitudine corollæ, ad latus ejus ſuperius flexus. *Stigma* ſubgloboſum. *Capſula* decidua, ovata, minutim pubeſcens, ſtriata, trivalvis, unilocularis, undique tecta perianthio fructus hirſuto-glutinoſo. *Semen* ſolitarium, ovale, glabrum, dilute luteſcens, dorſo convexum, antice ſulco longitudinali, apice obtuſum, baſi vero acutiuſculum, hilo mucrone parvo verſus baſin ad exortum ſulci.

PROPR. herb. ſicc. Odor debilis; *florum* vero vigentium odor gratus, nocturno tempore fortior; *ſapor* amaricans.

VIRTUS: leniter adſtringens, diuretica.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſ. luteo-rubicundum, ſapore amaricante, ſubſtyptico; vitr. martis nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 20, aquæ unciæ ß inſtillatæ, addito vitr. martis, colorem fuſco-virideſcentem exhibuerunt.

347. VITEX Agnus caſtus. LINN. *Sp. pl.* 890. *Mat. m.* 319. BLACKW. *Herb. t.* 139.

Vitex foliis anguſtioribus cannabis modo diſpoſitis. GARID. *Aix t.* 100.

Vitex latiore folio. DUHAM. *Arbr.* 2. *p.* 357. *t.* 105.

Vitex Matthioli. DALECH. *Hiſt.* 281.

Vitex. DODON. *Pempt.* 762.

Elæagnon Theophraſti. LOBEL. *Icon.* 2. *p.* 138.

Pharm. AGNI CASTI Semina.

Locus. Europa auſtralis, Carolina, in paludoſis. *Arbuſcula.*

FORMA. Baccæ globoſæ, obtuſæ, mucronatæ, magnitudine ſeminis cannabini, læviuſculæ, fuſco-cinereæ, quadriloculares, baſi fulcitæ calyce urceolato, tomentoſo, bacca dimidio breviore.

PROPR. Odor aromaticus. *Sapor recent.* acris, piperinus; *ſiccat.* acriuſculus; *maſticatæ* baccæ in faucibus diu calefaciunt.

VIRTUS: calefaciens, emmenagoga.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſ. aromaticum odore & ſapore, amaricans, acriuſculum, rubrum; ex addito vitr. martis color non demutatur.

348. ACANTHUS mollis. LINN. *Sp. pl.* 891. *Mat. m.* 318.

Acanthus Branca urſina. BLACKW. *Herb. t.* 89.

Acanthus ſativus. DOD. *Pempt.* 707. LOB. *Hiſt.* 477.

Car-

Carduus Acanthus ſ. Branca urſi. BAUH. *Hiſt.* 3. *p.* 75.

Pharm. *BRANCÆ URSI* Folia.

Locus. Europa auſtralis. *Perennis.*

FORMA. rec. *Folia* petiolata, ſpithamæa, oblonga, utrinque glabra, lucidiuſcula, ſuperne lobata, inferne pinnatifida: lobis oppoſitis, ovatis, obtuſis ſ. acutiuſculis, obtuſe dentatis, margine minutim ciliatis. *Petioli* teretes, ſupra canaliculato-plani.

PROPR. rec. *Odor* debilis. *Sapor* glutinoſus, herbaceus; *maſticata* lubrica ſentiuntur.

VIRTUS: emolliens, demulcens.

USUS. Clyſmata.

CLASSIS XV.

TETRADYNAMIA.

ORDO SILICULOSA.

349. LEPIDIUM ſativum. LINN. *Sp. pl.* 899. *Mat. m.* 322.

Naſturtium hortenſe. BLACKW. *Herb. t.* 23. DOD. *Pempt.* 699. LOB. *Hiſt.* 107.

Pharm. *NASTURTII HORTENSIS* Herba virens, Semina.

Locus. Colitur ubique in hortis. *Annuum.*

FORMA. rec. Radix ſimplex, fuſiformi-cylindrica, deſcendens, alba, fibrilloſa. *Caulis* bipedalis, erectus, teres, glaber, rore glauco tenuiter adſperſus, ſuperne ramoſus. *Rami* alterni, ſimplices, erecti. *Folia* alterna, petiolata, glabra, ſubſucculenta, patentia; *inferiora* bipinnata: pinnis cuneiformibus, inciſo-dentatis, acutiuſculis; *ſuperiora* pinnata: pinnis ſuboppoſitis, lineari-lanceolatis, acutis, ſubdentatis; *ſuprema* ſeſſilia, linearia, ſubintegerrima, concaviuſcula, acuta, ſubpubeſcentia. *Flores* terminales, racemoſi, nudi, pedunculati, erecti. *CAL. Per.* 4-phyllum, virideſcens: foliolis lineari-ovalibus, obtuſis, ſubpubeſcentibus, concavis, margine undique attenuato, albido, erectis; 2 oppoſitis paullo latioribus. *COR.* cruciformis, alba: *petalis* cuneiformibus, obtuſis, ungviculatis, calyce longioribus, patentibus. *STAM. Fil.* 6, alba, corolla bre-

breviora; quorum 2 oppoſita paullo breviora. *Anth.* purpureæ, oblongæ, incumbentes. *Glandulæ* 2, utrinque ſolitariæ, ad baſin filamentorum breviorum. *PIST. Germen* viride, ovatum, obtuſum, retuſum, utrinque compreſſum, plano-convexiuſculum. *Stylus* brevis, craſſiuſculus, intra lobos germinis. *Stigma* capitato-convexum, albidum. *Pericarp. Silicula* ovata, obtuſa, retuſa, compreſſa; hinc plana, concaviuſcula, inde convexiuſcula, glabra, terminata ſtylo perſiſtente, lobis breviore; bilocularis, bivalvis: valvulis navicularibus, compreſſis, carinatis. *Semina* ovata, lineata, rufeſcentia.

PROPR. rec. Odor debilis; contuſorum foliorum fragrans; *ſapor* vix ſubamaricans, acris; *maſticata* folia comminuuntur, lingvam faucesque calefaciunt, ſaliva virideſcente.

VIRTUS: antiſcorbutica, diuretica.

USUS: culinaris; Scorbutus.

β. Naſturtium hortenſe criſpum. BAUH. *Pin.* 104. *Prodr.* 44. *t.* 43.

Culinis NASTURTII CRISPI herba virens.

Locus. Colitur in hortis. *Annuum.*

FORMA. Præcedenti ſimillima planta, ſtatura, facie, floribus, & fructu; ſed differt foliis inferioribus longius petiolatis, circumſcriptione ſuborbiculatis, magis laciniatis, criſpis.

PROPR. Odor debilis. *Sapor* qui in præcedente, verum magis validus, magis dulceſcens, gratior.

VIRTUS &

USUS ut in præcedente.

OBS. 1. *Infuſ.* herbæ recent. limpidum, odore & ſapore herbæ; vitriolo martis non demutatum.

OBS. 2. Folia recentia in ſatura herbaria cruda edi ſolent, admixta Lactuca.

OBS. 3. Ex capite mortuo Naſturtii hortenſis, poſt deſtillationem ex retorta terrea, bene lutata, igne vehementiore, Phoſphorum pulchrum elicuit cel. MARGGRAF (*).

OBS. 4. Seminum drachm. 1, aquæ fervid. unc. 3 infuſa, infuſum dant aqueo-ſubluteſcens, odore Naſturtii, ſapore debili, ſpiſſiuſculum, mucilaginoſum, in fila parum ductile.

350. THLASPI arvenſe. LINN. *Sp. pl. 901. Mat. m. 323.*

Thlaſpi. BLACKW. *Herbal t. 68.*

Thlaſpi latius. DODON. *Pempt. 700.*

Pharm. *THLASPEOS* Semina.

Locus. Europa, in agris. *Annuum.*

FORMA. *Siliculæ* orbiculatæ, undique marginatæ, utrinque compreſſo-planæ, apice rotundatæ, bifidæ, albidæ, venuloſæ, biloculares: diſſepimento transverſali. *Semina* 6 vel 8 in ſingulo loculamento, pedicellata, ſubimbricata, ovalia, obtuſa, compreſſiuſcula, rubicundo-brunnea, lucidiuſcula, undique ſtriata: ſtriis ovalibus concentricis.

PROPRIET. *Odor* & *Sapor* alliacei.

VIRTUS:

USUS:

OBS. *Infuſum* aquoſum limpidum, odore alliaceo debili, ſapore conſimili, amaricante; vitr. martis non mutatum.

351.

(*) *Opuſc. chym. tom. 1. p. 65.*

351. THLASPI Burſa paſtoris. Linn. *Sp. pl. 903. Mat. m. 324.*

Burſa paſtoris. Blackw. *Herb. t. 5.* Lob. *Hiſt. 110.*

Pharm. BURSÆ PASTORIS Herba.

Locus. Europa, Virginia, in cultis. *Annuum.*

FORMA. rec. Radix filiformis, ſubhorizontalis, alba, fibris deſcendentibus, capillaribus. *Caulis* ſubpedalis, erectus, ramoſus, teretiuſculus, undique-ſtriatus, pubeſcenti-ſcabridus. *Rami* alterni, erecti. *Folia* alterna, ſcabra, minutim ciliata; inferiora petiolata, obverſe lanceolata, extrorſum latiora, runcinata, margine minutim & remote denticulata; *caulina* lanceolata, ſeſſilia, ſagittata, acuta, margine denticulata; *ramea* conſimilia, linearia. *Corymbus* florum terminalis, floribus parviuſculis, pedunculatis; Fructus vero racemus. *CAL. Per.* 4-phyllum, laxum: foliolis ovatis, pallidis, piloſis, margine undique albo, apice viridi, concaviuſculo, obtuſo. *COR.* cruciformis. *Petala* 4, alba, cuneiformia, obtuſa, in ungves lineares ſenſim attenuata. *STAM. Filam.* 6, ſubulata, alba, corolla breviora; quorum 2 adhuc breviora. *Anth.* ovatæ, luteæ, incumbentes. *PIST. Germen* majuſculum, ovale, obtuſum, compreſſum, viride. *Stylus* cylindricus, brevis. *Stigma* truncatum. *Siliqua* obcordata, compreſſa, lateribus utrinque carinatis, inferne attenuata, apice emarginata cum acumine, bilocularis, bivalvis: diſſepimento centrali. *Semina* plurima, ovalia, pedicellata, ſuturæ affixa.

PRO-

PROPR. rec. Odor debilis; *Sapor* fere Braſſicæ crudæ, acriuſculus; *ſicc.* odor fortior.

VIRTUS:

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſ. luteſcens inſtar Theæ potus, odore fere Braſſicæ, ſapore ſubdulceſcente, nauſeoſo; cum vitr. martis vix fuſceſcit.

352. COCHLEARIA officinalis. LINN. *Sp. pl.* *903. Mat. m. 320.* OED. *Icon. t. 135.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 3.*

Cochlearia batava. BLACKW. *Herb. t. 227.*

Cochlearia britannica. DOD. *Pempt. 583.*

Pharm. COCHLEARIÆ Herba virens.

Locus. Europa borealis, in littoribus maritimis. Colitur in hortis. *Annua.*

FORMA. rec. Caules plures ex una radice, ſimplices, ſpithamæi, erecti, 5-angulares, glabri. *Folia* alterna, glabra, ſucculenta; *radicalia* longius petiolata, cordata, obtuſa, rotundata, ſubintegra vel angulata, ungvicularia; *caulina* ovato-oblonga, obtuſa, dentata, quorum inferiora ſpathulata, ſuperiora ſeſſilia, amplexicaulia. *Corymbus* terminalis, ſimplex, erectus, *pedunculis* ſparſis, angulatis, ſcabris: punctis hyalinis, elevatis. *Perianth.* viridiuſculum, laxum, tetraphyllum: foliolis ovatis, obtuſis, concavis, margine albidis, deciduis. *COR.* cruciformis, alba. *Petala* 4, ovata, obtuſa, ungviculata, patentia, calyce duplo longiora. *STAM.* viridia. *Filam.* 6, ſubulata, incurvata, longitudine calycis, quorum 2 paullo breviora. *Anth.* ovatæ, utrinque attenuatæ, in medio utrinque inſtructæ dente ſolitario, incumbentes. *PIST. Germ.* ovatum, majuſculum, compreſſiuſculum, ſulco oppoſito longitu-

tudinali. *Stylus* cylindricus, longitudine ſtaminum. *Stigma* capitatum, obtuſum.

PROPR. rec. Odor ſubnaſturtinus, debilior; *ſapor* amarus, in Naſturtium incidens, acris; *maſticata* acris ſentitur in ore & faucibus, effectu ſubfugaci; ſaliva virideſcente. *Siccata* folia amara, ingrata, vix acriuſcula.

VIRTUS: antiſcorbutica, diuretica, mundificans.

USUS. Scorbutus, Scelotyrbe, Rheumatiſmus ſcorbuticus.

OBS. 1. Aroma Cochleariæ perfecte extrahitur cum Spiritu vini, cum aqua non item. *Aqua ſtill.* debilis; *Spiritus* vero fragrans ex aromate herbæ, acris, penetrans. Si herba Cochleariæ poſt inceptam floreſcentiam colligitur, & cum aqua deſtillatur, obtinetur *oleum ſtillat.* luteſcens, limpidum, ætate ſpiſſiuſculum, aromate & ſapore valido herbæ Cochleariæ, amaricante. *Infuſum* folior. ſiccat. aquoſum luteſcens, odore debili, ſapore amaro; vitriolo martis nigro-fuſceſcit.

OBS. 2. Habet Cochlearia id commune cum congeneribus, ut recens & cruda adhibeatur, cum in ſiccata vis antiſcorbutica fere pereat; hinc decoctione vis medica debilitatur; hinc etiam nulla extracta valida e plantis antiſcorbuticis obtineri poterunt.

OBS. 3. In regionibus borealibus, ubi ſcorbutus endemius eſt, provida natura Cochleariam abundare fecit. In Islandia parant incolæ hanc herbam cum lacte acidulato vel ejus ſero; condiunt eam etiam ſale culinari in magnis doliis, & per hiemem ſervant. Cum oves in locis, ubi Cochlearia creſcit, paſcuntur, avide quidem illam edunt & valde pingveſcunt, ſed caro nauſeoſo ſapore inficitur; EGGERT OLAFSEN (*).

OBS. 4.

(*) *L. c. vol.* 1. *p.* 483.

OBS. 4. Scripſit de Cochlearia V. H. MOLLENBROCCIUS (*). Docet, decoctum leniſſimum eſſe debere, ne ſal volatile avolet. Sedulo monet pharmacopœos, ut ſibi caveant, ne folia Aſari pro cochlearia ſumant, quod in Dania factum refert. Salia volatilia in morbis diſſvadet. Saccharata dicit nocere in ſcorbuto; Cochleariam autem in eodem morbo permultum prodeſſe.

353. COCHLEARIA Armoracia. LINN. *Sp.pl.904. Mat. m. 321.*

Craſſa radice Raphanus ruſticanus Lapathii folio. LOB. *Hiſt. 173. Icon. 320.*

Armoracia aut Raphanus major. ZANON. *Hiſt. p 21. t. 15.*

Raphanus ſylveſtris ſ. armoracia multis. BAUH. *Hiſt. 2. p. 851.*

Raphanis magna. DODON. *Pempt. 667.*

Pharm. & *Culinis ARMORACIÆ* (*Raphani ruſticani*) Radix virens.

Locus. Europa auſtralis, in paludoſis. Colitur in hortis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix filiformi-cylindrica, pedalis, craſſitie pollicis vel ultra, ſæpe inſtructa nodulis lateralibus ſubrotundis, ſparſis, remotis, fibras emittentibus, undique alba, extus læviuſcula, rugis transverſalibus, ſubannularibus, remotis, apice punctis depreſſis notata. *Parencyma* album, carnoſum, firmum; poſt ſectionem transverſalem notatum annulo marginali tenui, concentrico; centro medullari conflato e punctis ſparſis, ſubdiaphanis.

PROPR. rec. Odor fragrans, pungens, penetrans, oculos feriens. *Sapor* fervidus, acris, dulce-

(*) *Cochlearia curioſa.* Lipſiæ 1674.

ceſcens, ſæpe ſubamaricans. *Maſticata* fauces & lingvam pungit & calefacit, tuſſim irritat, nares ferit, oculos lachrymantes facit, effectu fugaci. *Cocta* radix mitis, dulceſcens, ſubodorata; *ſiccata* debilis odore & ſapore.

VIRTUS: diuretica, incidens, antiſcorbutica, rubefaciens.

USUS. Scorbutus, Anorexia, Cachexia, Hydrops, Aſthma hydropicum, Scelotyrbe, Raucedo, Arthritis.

OBS. 1. Recens radix, cum aqua vel ſpiritu vini deſtillata, *aquam ſtillatit.* dat, volatili radicis impraegnatam, pariter etiam *Spiritum. Syrupus* Armoraciæ, frigide paratus, aromate radicis valde prægnans fit; hic ſyrupus, ſi valebit, recentiſſime paratus eſſe debet; volatile enim omne activum brevi evaporat, unde effœtus fit; itaque quovis die parari debet. Radix virens, in taleolas conciſa & cum aqua fontana in balneo diutius digeſta, fragrantiam amittit, odorem acquirit fere Braſſicæ acidulatæ, ſapore dulci; a vitriolo martis color nil demutatur; ſi digeſtio ulterius protrahitur, aquam reddit opaleſcentem, corrumpitur, aceſcit, odore nauſeoſo. *Oleum ſtillat.* mite, in aqua ſubſidens, parca quantitate obtinuit NEUMANN.

OBS. 2. Acrimonia Armoraciæ pingvibus involvitur, quare ſæpe in culinis butyro fuſo ſubigitur radix raſa, ciborum, cumprimis piſcium, condimento inſervitura.

OBS. 3. Radix, raſa & l. a. tractata, *amylum* dat album, ſed in parciori copia, plus tamen quam congeneres. Si fermentationem ſpirituoſam ſubit, abit in *ſpiritum ardentem.*

OBS. 4. Vim Armoraciæ antarthriticam ſæpius mihi experiri licuit. Secanda radix recens in fruſtula minuta, e quibus cochlear unum majuſculum ſumendum omni mane per menſem, deglutiendum absque maſtica-

catione prægreſſa. Inſuper bibenda decocti ſummitatum fruticis Juniperi libra ℔. Agit ſecure, ventriculum vix calefacit, niſi ſub fine curæ. Multos ſcorbuticos hoc etiam regimine perquam levatos vidi.

354. CARDAMINE pratenſis. LINN. *Sp. pl.* 915. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 12. BLACKW. *Herb. t.* 223.

Flos cuculi. DODON. *Pempt.* 582.

Pharm. *NASTURTII AQUATICI* Herba.

Locus. Europa, in paſcuis humidis. *Perennis.*

FORMA. rec. Caulis erectus, ſimplex, ſpithamæus, teres, glaber. *Folia* alterna, ſubcarnoſa, glabra, petiolata cum impari; inferiora circiter 6-juga: foliolis ſubrotundis, angulatis, extimo paullo majore, cuneiformi, ſæpe lobato; ſuperiora circiter 4-juga: foliolis linearibus, concavis, acutiuſculis, ſubcarinatis; petiolo communi lineari-concavo. *Racemus* terminalis, oblongus, pedunculatus, nudus, glaber. *CAL. Perianth.* tetraphyllum, glabrum: foliolis ovalibus, obtuſis, concaviuſculis, erectis, margine tenui membranaceo, quorum duo oppoſita baſi gibba. *COR.* cruciformis, dilute violacea, albida, venis cæruleſcentibus picta; petalis obovatis, retuſis; ungvibus ſubluteſcentibus, longitudine calycis. *STAM. Filam.* 6, ſubulata, alba, corolla breviora; quorum 2 oppoſita breviora. *Anth.* lineari-cordatæ, incumbentes, incurvæ. *Nectarium:* glandula ſubrotunda, baſin filamentorum breviorum cingens. *PIST. Germen* cylindricum, glabrum. *Stylus* cylindricus, germine brevior, longitudine vix ſtaminum. *Stigma* capitatum.

PRO-

PROPR. rec. *Odor* debilior; *ſapor* ſubamaricans, leviter acriuſculus. Caules fortiores, acriores quam folia.

VIRTUS: antiſcorbutica.

USUS. Scorbutus.

OBS. 1. Naſturtii aquatici loco noſtri pharmacopolæ ſumere ſolent Cardaminem pratenſem; exteri vero Siſymbrium Naſturtium LINN. Perinde quidem fuerit.

OBS. 2. *Flores Cardamines pratenſis*, doſi ſcr. I vel dr. ß mane & veſperi propinatos, admodum laudat cl. G. BAKER (*); ut præſtans quoddam antiſpaſmodicum remedium, utile in morbis convulſivis, chorea S. Viti &c. Veritatem aſſertionis e propria experientia, caſibus adductis, illuſtrat.

355. SISYMBRIUM Sophia. LINN. *Sp. pl. 920. Mat. m. 332.*

Sophia. DOD. *Pempt. 133.* ZANNICH. *Venez. t. 305.*

Pharm. SOPHIÆ Semina.

Locus. Europa, Virginia, locis ſiccis. *Annuum.*

FORMA. *Semina* parva, ruſa, ovata, utrinque obtuſa, glabriuſcula.

PROPR. *Odor* nullus. *Sapor* fere ſeminum Sinapios.

VIRTUS: ſtimulans.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſ. limpidum, odore Sinapios, ſapore debili; a vitr. martis color non alteratur.

356. ERYSIMUM officinale. LINN. *Sp. pl. 922. Mat. m. 333.* OED. *Icon. t. 560.* ZANNICH. *Venez. t. 287.*

Eryſimum. BLACKW. *Herb. t. 28.*

Irio ſ. Eryſimum. DOD. *Pempt. 702.*

(*) *Medical Transact. vol. 1. p. 442. ſeq.*

Pharm. *ERYSIMI* Herba.

Locus. Europa, Virginia, in ruderatis. *Annuum.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, deſcendens, flexuoſa, fibrilloſa. *Caulis* pedalis, erectus, teres, ſtriatus, pubeſcens, ſcaber, ramoſus. *Rami* alterni, ſimplices, divaricati, pubeſcentes. *Folia* alterna, petiolata, utrinque parcius pubeſcentia, ſubtus ſcabra, præcipue in coſta & nervis, pinnatifida: laciniis oppoſitis, oblongis, ſerrato-dentatis, ſurſum dentato-lobatis, infimo pari divaricato-reflexo, a ſuperioribus diſtante; terminali majore, cum laciniis proximis confluente. *Petioli* ſupra concavi. *Racemi* florum terminales, ſubrotundi; fructuum filiformes, elongati, nudi, pubeſcentes. *CAL. Perianth.* tetraphyllum, pallidum: foliolis lineari-ovalibus, obtuſiuſculis, concavis, pubeſcentibus. *COR.* cruciformis, tetrapetala, ſordide luteſcens; *petalis* cuneiformibus, obtuſis, venuloſis, ungviculatis, calyce longioribus. *STAM. Filam.* 6, ſubulata, pallida, corolla paullo breviora; quorum 2 adhuc breviora. *Anth.* cordatæ, acutæ, ſubrecurvæ. *Nectar.* glandulæ 2 utrinque ad ſtamina breviora. *PIST. Germen* cylindricum, ſtriatum. *Stylus* brevis, pubeſcens. *Stigma* orbiculatum, planiuſculum, emarginatum, altitudine fere ſtaminum. *Siliquæ* cylindricæ, ſtriatæ, virides, pubeſcentes, cauli adpreſſæ.

PROPR. rec. Odor debilis. *Sapor* Naſturtii, acris, calidiuſculus.

VIRTUS: antiſcorbutica, pectoralis.

USUS: Raucedo.

OBS. *Infuſum* aquoſ. herbæ ſiccat. pulcherrime rubro luteſcens, odore debili, ſapore fere Braſſicæ, ſubdulceſcente; a vitr. martis color nil demutatur.

357.

357. ERYSIMUM Barbarea. Linn. *Sp. pl.* 922.
Barbarea ſ. pſeudobunias. Lobel. *Hiſt.* 104.
Barbarea. Dodon. *Pempt.* 700.
Culinis BARBAREÆ Herba virens.

Locus. Europa, in cultis. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, fibrilloſa. *Caulis* erectus, ſulcato-angulatus, glaber, pedalis, ſuperne ramoſus. *Rami* alterni, virgati. *Folia* alterna, ſeſſilia, amplexicaulia, glabra, lineata, ſupra obſcure viridia, lucidiuſcula, lyrata: laciniis lateralibus linearibus, denticulatis; terminali longe majori, ovata, obtuſa, repanda ſ. inæqualiter profunde ſerrato-dentata. *Racemi* florum terminales, virgati; florentes ovati; fructiferi elongati. *CAL. Perianth.* tetraphyllum, luteſcens: foliolis linearibus, obtuſis; 2 oppoſitis apice gibbis. *COR.* lutea, cruciformis; *Petalis* cuneiformibus, obtuſis, retuſis, ungviculatis, calyce duplo longioribus. *STAM. Filam.* 6, ſubulata, corolla breviora; quorum 2 paullo breviora. *Anth.* lineares, haſtatæ. *Nectar.* glandulæ ſubrotundæ, geminæ, utrinque inter germen & ſtamen brevius ſitæ; glandula ſolitaria conica utrinque inter ſtamina longiora & calycem. *PIST. Germen* cylindricum, obſolete tetragonum. *Stylus* breviuſculus. *Stigma* obtuſum, emarginatum, altitudine antherarum.

PROPR. rec. Odor fere Braſſicæ; *ſapor* Naſturtii, vix amaricans, acris; *maſticata* folia lingvam & fauces principio acri leniter calefaciunt.

VIRTUS: antiſcorbutica.

USUS: culinaris.

OBS. Per totam hiemem folia legi poſſunt ſub nive, ubi virent; nulla itaque aptior planta antiſcorbutica

regionibus frigidis, ubi defectus leguminum recentium eſt. Editur cruda in ſatura herbaria.

358. ERYSIMUM Alliaria. Linn. *Sp. pl. 922. Mat. m. 334.* Kniph. *Bot. orig. cent. 3.*

Alliaria. Camer. *Epit. 589.* Dod. *Pempt. 674.* Blackw. *Herb. t. 372.* Lob. *Hiſt. 285.*

Locus. Europa, in cultis umbroſis. *Bienne.*

FORMA. rec. Radix alba, cylindrico-fuſiformis, filiformis, fibrilloſa. *Caulis* ſimplex, erectus, bipedalis, teres, obſolete ſtriatus, inferne lanuginoſus, ſuperne glaber. *Rami* pauci, alterni, in ſpecimine vegetiore. *Folia* alterna, petiolata, cordata, venoſa, ſubrugoſa, glabra, venis ſubpubeſcentia; inferiora longius petiolata, obtuſa, repanda; ſuperiora acuta, inæqualiter dentato-ſerrata. *Racemus* florum ſimplex vel compoſitus, ſeſſilis, nudus, floribus albis, pedunculatis. *CAL. Perianth.* tetraphyllum: foliolis oblongis, obtuſis, albis, apice luteo-virideſcentibus, erectis, caducis. *COR.* cruciformis, nivea: *Petalis* 4, obovatis, obtuſis, ungviculatis, calyce longioribus. *STAM. Filam.* 6, ſubulata, alba, corolla breviora; quorum duo oppoſita adhuc breviora. *Anth.* cordatæ, luteæ, erectæ. *Nectar.* Glandula parviuſcula, obtuſa, ſolitaria, utrinque ad baſin ſtaminum longiorum. *PIST. Germen* virideſcens, tetragonum, longitudine fere ſtaminum. *Stylus* nullus. *Stigma* capitato-truncatum, luteum. *Siliquæ* tetragonæ, obtuſæ.

PROPR. rec. Odor (folior. contuſorum) Cepæ oleraceæ; *ſapor* cepaceus, leniter amaricans, ſubnaſturtinus. Quo magis vegetæ creſcunt plantæ, eo fortior odor cepaceus. *Siccata* fere effœta.

VIR-

VIRTUS: antiſcorbutica, diuretica.

USUS.

OBS. 1. Hæcce planta documento eſt, naturam ludentem plantæ etiam antiſcorbuticæ eundem indidiſſe odorem cepaceum, quem alias in planta reſolvente poſuit, uti ſupra in Scordio obſervavimus. Dum vaccæ Alliaria veſcuntur, lac ſapore cepæ imbuitur.

OBS. 2. Ad gangrænam ulceraque cancroſa hanc plantam recentem commendant.

359. CHEIRANTHUS Cheiri. LINN. *Sp. pl. 924. Mat. m. 335.*

Keiri. BLACKW. *Herb. t. 179.*

Leucojon luteum. DODON. *Pempt. 160.*

Pharm. CHEIRI Flores.

Locus. Europa auſtralis. Colitur in hortis. *Biennis, ſæpe ſubperennis.*

FORMA. rec. Racemi terminales, ſimplices, adpreſſe pubeſcentes, angulati. *Pedunculi* minutim pubeſcentes, obſolete tetragoni, uniflori. *CAL. Perianth.* tetraphyllum, pallide virideſcens: foliolis lineari-lanceolatis, obtuſis, erectis; 2 oppoſitis convexis, baſi gibbis; 2 aliis oppoſitis paullo altioribus, carinatis, apice compreſſis. *COR.* cruciformis; *petalis* 4, obovatis, obtuſis, luteis; ungvibus linearibus, longitudine calycis. *STAM. Fil.* 6, ſubulata, longitudine calycis; quorum 2 exteriora oppoſita breviora. *Anth.* lineares, acutæ, baſi bifidæ, incumbenti-erectæ. *Nectarifera* glandula utrinque ad ſtamina breviora. *PIST. Germen* cylindricum, obſolete tetragonum, incanum. *Stylus* brevis. *Stigma* obtuſum, bifidum, patens, craſſiuſculum.

PROPR. rec. Odor ſvaveolens; *ſapor* amaricans, in Naſturtium incidens, acriuſculus. *Sicc.* odor nullus; ſapor amaricans.

VIRTUS: rec. antiſcorbutica.

USUS.

OBS. Infuſum aquoſ. flor. ſicc. ſangvineum, graveolens, Braſſicæ ſiccatæ æmulum, amarum; ex vitr. martis nigreſcit.

360. BRASSICA Napus. LINN. *Sp. pl. 931. Mat. m. 328.*

Napus ſylveſtris. BLACKW. *Herb. t. 224.*

Napus. DOD. *Pempt. 663.*

Culinis NAPI Radix recens.

Locus. Europa media. Colitur in hortis. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix fuſiformis, palmaris vel ultra, alba, rugis transverſalibus notata, ceterum læviuſcula, linea laterali utrinque longitudinali, ſolitaria, e fibris capillaribus conſtante. *Parencyma* album, carnoſum, firmum; poſt ſectionem transverſalem notatum diſco æquali punctato-radiato: radiis obſoletis; annulo concentrico prope peripheriam.

PROPR. rec. Odor Rapæ; *ſapor* Rapæ, dulceſcens; *maſticata* firma, comminuitur.

VIRTUS: antiſcorbutica, nutriens.

USUS: culinaris.

OBS. 1. Radix raſa, l. a. tractata, amylum vix dat.

OBS. 2. In culinis radices in aqua elixantur, & juxta carnes eduntur, incoquuntur etiam juſculis.

OBS. 3. Hiemes ſeveras bene perfert hæc planta; effodiuntur autem plerumque radices ſero autumno vel primo vere, ſed ſpongioſæ fiunt poſtquam folia progerminarunt. Hortulani paullo denſius ſerunt hujus ſe-

ſemina, ut radices parviuſculæ evadant, quia ſic ſapidiores cenſentur.

361. BRASSICA Rapa. Linn. *Sp. pl. 931. Mat. m. 329.*

Rapum vulgare. Dod. *Pempt. 662.*

Rapum majus orbiculatum. Lobel. *Hiſt. 98. c. fig.*

Rapum. Camer. *Epit. 218.* Blackw. *Herb. t. 231.*

Pharm. RAPÆ Radix recens.

Locus. Anglia. Colitur in hortis. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix orbiculata, latitudine palmæ vel ultra, utrinque depreſſa, læviuſcula, ſubtus albicans, apice rugoſa, incarnata vel purpuraſcens, pro ingenio ſoli, ſuperne virideſcens, baſi radicans: trunculo cylindrico producto, deſcendente, fibrilloſo: fibrillisque capillaribus, diſpoſitis in ſerie longitudinali oppoſita, per radicem adſcendente. *Parencyma* carnoſum, firmum, album, poſt ſectionem transverſalem ſubæquale, notatum ſtriis ſubſpongioſis, radiantibus, obſoletis; punctis ſubrotundis verſus peripheriam per ſeries diſpoſitis; corticali parte tenuiore.

PROPR. rec. Odor ſubfragrans; *ſapor* congruens, dulceſcenti-ſubamaricans; *maſticata* molliuſcula, ſubſuccoſa, comminuitur, ſaliva non tincta.

VIRTUS: antiſcorbutica, pectoralis, ſubeccoprotica, detergens, diuretica, nutriens.

USUS. Aphthæ, Raucedo.

OBS. 1. Radix, raſa, nonniſi pauxillum amyli dat; itaque non in gelatinoſo, ſed in dulci principio, quærenda eſt vis nutriens & pectoralis.

OBS. 2. *Syrupus* Raparum debet eſſe recenter paratus, ſi valebit.

OBS. 3. Rapæ, primum in aqua elixatæ, dum molleſcant, & poſtea cum lacte in pultem coctæ, nutrimentum præbent mite, edulcorans, ſaluberrimum, facillimæ digeſtionis, & non flatulentum, ut tamen vult opinio vulgi. Ruri crudæ eduntur. Apud veteres Romanos Napis poſtponebantur Rapæ. Sic *Napos hominum cauſſa ſerendos cenſemus*, *Rapas pécudum*, dixit olim COLUMELLA. Ambæ tamen hæ radices a Romanis edebantur, at prius elixatis exprimebatur ſuccus, quem lædere putabant; aromatibus inſuper condiebantur, addito melle, aceto, liquamine, defruto, oleo &c. APICIUS COELIUS (*).

362. BRASSICA oleracea. LINN. *Sp. pl.* 932.

α) Braſſica capitata alba. BAUH. *Pin.* 111.

Braſſica capitata albida. DOD. *Pempt.* 612.

Braſſica alba ſeſſilis capitata Lactucæ habitu. LOB. *Icon.* 243.

Hvitkål *Svecis.*

Culinis BRASSICÆ ALBÆ caput.

Locus. Colitur in hortis. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix: truncus cylindricus, apice fibroſus. *Caudex* brevis, inferne cicatriſato-rugoſus, ſuperne folioſus. *Folia* plurima, maxima, circiter bipedalia, obovata, retuſa, ſeſſilia, approximata, utrinque glabra, dilute virideſcentia, rore glauco tincta, præcipue ſubtus, ſupra groſſe rugoſa, coſta ſubtus craſſa, convexa, carinata, albido-virideſcente, nervis groſſis, ſuboppoſitis, a coſta obliquis, ſupra albis; inferiora folia patentia; media pauca, erecta; interiora plurima, ſenſim minora; intima parva,

(*) *De arte coquinaria, p.* 89.

va, alba, rore glauco deſtituta, concava, lateribus plicata, in formam capitis conniventia, arcte imbricata. *Caput* magnum, ſubrotundum, apice planiuſculum.

PROPR. rec. Odor debilis; *ſapor* ſubdulceſcens, oleraceus.

VIRTUS: nutriens, flatulenta, diuretica, ſubeccoprotica, putreſcibilis cum fœtore.

USUS: culinaris.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. folior. recent. limpidum inſtar aquæ, odore fragrante Braſſicæ, ſapore dulceſcente Braſſicæ; a vitriolo martis color non demutatur.

OBS. 2. Braſſicæ capita, l. a. fermentata, ſpiritum ardentem dant, principio ſuo dulci; hinc concludi poteſt ad vim nutrientem Braſſicæ, de qua dubitarunt nonnulli. Capita hæc conciſa, & in dolio compacta, ſponte fermenteſcunt, quamvis addantur ſal culinare, ſummitates anethi & ſemina carvi: fermentatione ſpirituoſa breviuſcula, tum acida. Sic parant noſtrates Braſſicam ſuam *acidulatam*, quam frequenter eſitant, juri carnium incoctam. Hæc Braſſica acidulata in diæta navali eximia deprehenſa eſt, ut antiſcorbutica. Elixantur etiam capita recentia in jure carnium, ut fiat juſculum ſpiſſum, vel etiam friguntur in butyro, & dein coquuntur in jure carnium, usque dum plurimum brodii incoctum fuerit, & ſic eduntur cum carnibus.

OBS. 3. Folia Braſſicæ ſucculenta, ulceribus poſt cantharides ac ſinapiſmos, & eruptionibus cutis ulceroſis impoſita, ſtillicidium ſeri purulenti promovent.

OBS. 4. Vidi ex præmatura hieme integros acervos Braſſicæ, nive ſepultos, qui inſequente vere putrefacti fuerunt, cum intolerabili fœtore.

OBS. 5. In *capita* non concreſcit Braſſica alba in regionibus maxime borealibus, quare neque in Archangel, nec Jakutzk Sibiriæ, ejusmodi unquam capita obveniunt, teſtante J. G. GMELIN (*); neque magis in Islandia hæcce Braſſica in capita abit, etſi ſubinde ibi contingit, ut Braſſica Botrytis capitula congeſtorum proferat florum (**). Quid? quod nec in China Braſſica alba in capita conformatur, ut obſervavit cl. P. OSBECK (***), qui ejus rei cauſſam climati calido adſcribendam cenſet. At in Capite bonæ ſpei bene provenit ſapidaque evadit (†); quod etiam accidit in inſula Mauritii (††).

β.) Braſſica alba criſpa. BAUH. *Pin.* 111.
Braſſica Sabauda. DOD. *Pempt.* 613.
Braſſica patula criſpa Sabauda æſtiva. LOB. *Icon.* 244.
Savoj-Kål *Svecis.*
Culinis BRASSICÆ SABAUDÆ caput.
Locus. Colitur in hortis. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix ramoſo-fibroſa. *Caudex* ſpithamæus, teres, cicatricibus rugoſus, nudus, ſuperne folioſus. *Folia* majuſcula, approximata, ſeſſilia, obovata, obtuſo-rotundata, undique bullata, glabra, plana, margine undulata, repanda, nervoſo-venoſa: venis rore tenui concolore tinctis; exteriora majora, ſubpedalia, luteſcenti-viridia; interiora ſenſim minora, albido-luteſcentia,

(*) *Reiſe durch Sibirien, tom. 3. p. 64.*
(**) E. OLAFSEN *Reiſe igiennem Island, p. 437. & p. 955.*
(***) *Dagbok öfver en Oſtind. reſa, p. 195.* Cfr. GMELIN *l. c. p. 63.*
(†) DE LA CAILLE *Journal du voyage au Cap de b. eſp. p. 280.*
(††) *Voyage à l' Iſle de Fr. par un Officier, T. 1. p. 215.*

tia, concava, in caput ſubrotundum, majuſculum imbricata.

PROPR. rec. Odor qui in præcedente. *Sapor* dulceſcens; *maſticata* folia fere minus ſuccoſa, quam in præcedente, ſaliva ſubluteſcente.

VIRTUS: eadem quæ præcedentis.

USUS: præcedentis.

OBS Braſſica Sabauda præfertur priori, ut magis tenera ſapidaque poſt elixationem.

γ.) Braſſica capitata rubra. BAUH. *Pin.* 111. DODON. *Pempt.* 610.

Rôdkål *Svecis.*

Culinis BRASSICÆ RUBRÆ caput.

Locus. Colitur in hortis. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix ramoſo-fibroſa. *Caudex* brevis, cicatriſato-rugoſus, nudus, ſuperne folioſus. *Folia* approximata, magna, petiolata, ſubrotundo-cuneiformia, patentia, plano-concaviuſcula, utrinque glabra, viridi-cæruleſcentia, rore cæruleſcenti tincta, nervis & venis purpureis rore violaceo, peripheria criſpo-undulata, margine repanda, denticulata. *Petioli* breviuſculi, trigoni, ſupra canaliculati, purpurei, rore cæruleſcente, latere utrinque aucti foliolo concolore. *Superiora* folia ſpathulata, ſeſſilia; *intima* concava, rubro-violacea, nitida, teneriora, conniventia in caput ſubrotundum, magnum, durum.

PROPR. rec. *Odor* præcedentium; *ſapor* dulceſcens; *maſticata* folia comminuuntur: ſaliva pulchre violacea.

VIRTUS: præcedentium.

USUS: præcedentium.

OBS. Hæc varietas Braſſicæ principio colorante a prioribus diſcrepat. Extrahitur color aqua calida, rema-

manente colore ſordide purpuraſcente. Pro cibo magis tenera eſt, minus flatulenta. Apparatur uti præcedentes; ſapidior tamen fit, ſi capitibus, minutim confectis, & in butyro elixatis dum molleſcant, addatur jus carnium, cum pauxillo Piperis albi & ſalis culinaris, atque ita ebulliat quoad quaſi pultem referat, tumque addatur acetum vini.

δ.) Braſſica cauliflora. BAUH. *Pin.* *111.* DOD. *Pempt.* *613.* RENEALM. *Specim.* *131.* *t.* *133.*
Braſſica florida Botrytis. LOB. *Icon.* *245.*
Blomkål *Svecis.*
Culinis BRASSICÆ BOTRYTIOS caput.
Locus: colitur in hortis. *Biennis, ſæpe annua.*

FORMA. *rec.* *Radix* rämoſo-fibroſa. *Caudex* ſ. caulis ſpithamæus, videſcens, cylindricus, inferne rugoſus, ſuperne cicatriſatus e foliis decidentibus: cicatricibus ſerie punctorum transverſali notatis. *Folia* in apice caudicis plurima, approximata, petiolata, ovato-oblonga, plana, ſubbipedalia, obtuſa, emarginata, utrinque glabra, videſcentia, rore glauco tincta, nervoſa, venoſa, margine repanda, obſolete & minutim denticulata; *infima* lyrata; *ſuperiora* oblongiora, denticulato-ſerrata; *intima* parviuſcula, dilute videſcentia, conduplicata, incurvata. *Caput* turbinatum, ſuperne convexo-planum, album, in ambitu folioſum; compoſitum e lobis ſ. capitulis pariter turbinatis, conniventibus; ſingulis columnæ carnoſæ albæ innixis, & conglobatis e glomeribus ſubrotundis, conſtructis e florum rudimentis conglomeratis, cinctis foliolis tenellis, albis, ovatis, longius acutis, crenatis, glomere longioribus, apice inflexis, adpreſſis.

PRO-

PROPR. rec. Odor Braſſicæ, debilior; *ſapor* Braſſicæ, dulceſcens; *maſticatum* caput fragiliuſculum, comminuitur, ſed florum rudimenta minus dulcia, quam columna.

VIRTUS: priorum.

USUS: culinaris.

OBS. 1. Quoniam omnium ſapidiſſima ſpecies Braſſicæ hæc eſt atque tenerrima, eſtur frequentiſſime in menſis opulentiorum.

OBS. 2. Frigoris ſatis patiens eſt; vix ſub æſtate rite luxuriat, niſi frequenter irrigetur aqua. Per totam fere hiemem ſervari poteſt, ſi transplantetur in cella vel frigidario, ubi increſcit & in capita conformatur.

OBS. 3. Braſſica Botrytis in uſum culinarem commode ſiccari poteſt, pariter ac pleraque alia oleracea, & vero methodum ſiccandi exhibuit cl. J. G. Eisen (*). Alias œconomi noſtrates diu noverunt in uſus hiemales exſiccare legumina viridia variarum Phaſeoli ſpecierum, ſemina tenera Viciæ Fabæ, Spinaciam, Petroſelinum &c. Bene depurgata hæc oleracea primum fervide infunduntur vel breviter ebulliunt in aqua pura; tum eximuntur & in clibano ſiccantur. Cum pro menſa apparantur, prius in aquam frigidam immittuntur per nycthemeron, poſtea in eadem aqua l. a. elixantur. Atque hoc modo ſaporem retinent, & ſatis ſapida evadunt; Braſſica vero Botryits, ſic tractata, rubeſcit. Ceterum exſiccari etiam poſſe Braſſicam acidulatam, oſtendit dictus Eisen, & revera deprehendimus, eandem ſiccatione nihil perdere de ſapore ſuo acidulo. Circa hujus exſiccationem obſervandum, non opus eſſe ut fervide infundatur ante ſiccationem, neque id quidem prodeſſet, cum acor ſic extraheretur. Opportunum certe gentibus borealibus eſt, noviſſe metho-

(*) *Unterricht von der allgemeinen Kräuter-und Wurzeltrocknung.* Reval 1773.

thodos ſiccandi plantas oleraceas, utpote diætæ ipſorum ſub diuturna hieme perquam convenientes.

ɛ.) Braſſica italica purpurea ſ. alba Broccoli dicta. MILL. *Diction. art. Braſſica.*

Brocoli. LABAT *Voyage en Eſpagne, tom. 5. p. 171.* *

Culinis BRASSICÆ BROCOLI totum.

Locus. Colitur rarius in hortis. *Biennis.*

FORMA. Radix ramoſo-fibroſa. *Caulis* pedalis vel ultra, erectus, pallide viridis, rore hyalino tinctus, teretiuſculus, pollices circiter 2 craſſus, undique obſeſſus foliis, ramuloſus. *Rami* ſparſi, axillares e foliis, graciliuſculi, erecti, breves, teretes, glabri, interne nudi, apice folioſi. *Folia* inferiora magna, frequentia, erecto-patentia, ſparſa, petiolata, utrinque glabra, viridia, rore barbeſcente tincta, lyrata: lacinia terminali magna, ovato-oblonga, concaviuſcula, pedali vel ultra, obtuſo-rotundata, margine undulata, minutim denticulato-crenata; *inferioribus* laciniis paucis, parviuſculis, ſuboppoſitis, ovato-rotundatis, ſurſum in petiolum excurrentibus, baſi transverſaliter affixa; *infimis* parvis, auriculatis; Folia *ſuperiora* ſ. intima minora, longa, repanda, magis undulata & criſpa, concava, dilutius viridia. *Petioli* teretes, craſſitie digiti, vix angulati, glabri, cinereo-virideſcentes, longitudine ipſius folii, baſi ſupra planiuſculi. *Stipulæ* nullæ, verum margo foliaceus, ad baſin petioli utrinque.

PROPRIETAS,
VIRTUS &
USUS, ut in proxime antecedentibus.

OBS.

OBS. Eſtur Brocoli ſat copioſe in Italia & Sicilia, inde a menſe Decembris ad menſem Maji. Decorticantur primum petioli ipſi foliorum majorum, & deinde una cum foliis tenerioribus in faſciculos ligantur, atque tum elixantur in aqua; eduntur poſtea cum embammate e ſale, oleo, aceto vini vel ſucco citri; LABAT. Apud nos ligantur folia creſcentis plantæ in faſciculum, ut cum Endivia fieri ſolet, unde interiora lætius virideſcunt mollioraque evadunt. Quando pro menſa paratur hæc braſſica, deſecatur truncus prope radicem, & coquitur planta integra in aqua ſalita, reſectis apicibus foliorum, poſtea cribelli ope ex olla eximitur, integraque patinæ immittitur, & ſic infertur.

ζ.) Braſſica fimbriata. BAUH. *Pin.* 112.
Braſſica ſabellica. RENEALM. *Specim.* 134. *t.* 135.
Blåkål *Svecis.*
Culinis BRASSICÆ SABELLICÆ coma.
Locus. Colitur in hortis. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix fibroſa. *Caudex* cylindricus, ſpithamæus, cicatriſatus, glaber, foliis concolor. *Folia* alterna, frequentia, petiolata, utrinque lævia, purpurea, rore glauco obducta, ſpithamæa, ſæpe pedalia, patenti-ſubrevoluta, obverſe lanceolata, obtuſa, lyrato-pinnatifida: pinnis ſ. laciniis oppoſitis, ovato-oblongis, obtuſis, baſi obliquis, margine altero erecto, altero ſurſum currente, ſublobatis, dentatis, fimbriato-criſpis: criſpaturis erectis; laciniis inferioribus ſenſim minoribus, totum fere petiolum occupantibus; *tenella* folia magis criſpa. *Petioli* (ſ. rachis) firmi, craſſiuſculi, ſupra plano-concavi, ſubtus convexi, baſi latiores, ſeſſiles.

PROPR. rec. Odor Braſſicæ, in Raphanum incidens; *Sapor* ſubdulceſcens, Braſſicæ, ſed in Ra-

Rapam ſimul incidens; *maſticata* folia teneriora, ſaliva viridi-purpuraſcente.

VIRTUS: pectoralis, antiſcorbutica, nutriens.

USUS: culinaris.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum violaceum, etiam poſt injectum vitriolum martis.

OBS. 2. Frigoris, etiam ſævioris, patientiſſima eſt hæc Braſſica, eoque ipſo in uſum regionum borealium quaſi creata. In forti gelu rigeſcit, ſæpe ſepelitur nive, virens tamen & ſuccoſa, quam primum regelatur, quod optime fit, ſi aquæ frigidæ immittatur. Habent etiam in hac herba quo diætam ſuam temperare poſſunt gentes boreales, ob climatis atque diætæ vitia ſcorbuto maxime obnoxii. Ceterum pectori conveniens eſt, &, utut Braſſica eſt, tamen putreſcibilis cum fœtore non obſervatur.

η.) Braſſica maritima. BAUH. *Pin.* 112.
Braſſica ſylveſtris. DOD. *Pempt.* 615.
Braſſica marina ſylveſtris, multiflora, monoſpermos. LOBEL. *Icon.* 245. *Adverſar.* 92.
Snitskål *Svecis.*
Culinis BRASSICÆ SECTILIS Herba.
Locus. Europa media. Colitur in hortis. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrico-fuſiformis, alba, elongata, ſpithamæa vel ultra, ſæpe pedalis, craſſitie vix digiti minimi, glabra, deſcendens, apice filiformis, fibrilloſa: fibris capillaribus, ramuloſis, ſerie longitudinali utrinque diſpoſita. *Caulis* vix ullus; radix breviter cauleſcens, ſupra terram rugoſa. *Folia* radicalia, petiolata, livideſcentia, ſupra læviuſcula, ſed punctis obſoletis, ſparſis, piliferis ſubaſperata; ſubtus gla-

glabra, rore glauco tincta, nervoſo-venoſa: nervis rubro-violaceis; lyrata: lobis oppoſitis ovato-oblongis, obtuſo-rotundatis, margine crenulato-undulato; inferioribus ſenſim minoribus; terminali maxima, ſubovata, obtuſa. *Petioli* ſubtriquetri, foliis breviores, rubro-violacei.

PROPR. rec. Odor debilis Braſſicæ; *ſapor* Braſſicæ, in Braſſ. Sabellicam incidens.

VIRTUS: ut in anteriore.

USUS: ut in anteriore.

OBS. Conſeritur, per totam æſtatem ſectilis & edulis, itaque utilis ſpecies Braſſicæ. Ad menſam paratur eodem modo ac Spinacia.

9.) Braſſica radice napiformi. TOURNEF. *Inſtit.* 219.
Napobraſſica. BAUH. *Pin.* 111. *Prodr.* 54.
Rotkål *Svecis.*
Culinis NAPOBRASSICÆ Radix.
Locus. Colitur in hortis. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix magnitudine capitis infantilis, ſubrotunda, extus ſublæviuſcula, luteſcens vel albida; *parencymate* carnoſo, fragiliuſculo, luteſcente vel albido, poſt ſectionem transverſalem notato radiis a centro ad peripheriam obſoletis, diſco ſubpunctato.

PROPR. Odor fere Braſſicæ albæ; *ſapor* ſubdulceſcens. Varietas luteſcens præſtantior atque dulcior eſt.

VIRTUS: nutriens, edulcorans.

USUS: culinaris; Aphthæ.

OBS. 1. Hæc Braſſicæ ſpecies, per bina circiter ſecula in Europa ſeptentrionali conſita, non ante bina luſtra in Anglia cognita fuit, ubi primum ſata eſt d. 15. Apr. a. 1767 (*).

(*) *Memoirs of agriculture, by* ROB. DOSSIE. Lond. 1768. *vol.* 1. *p.* 424.

OBS. 2. Si radix hæc in aqua ſimplici ad mollitiem coquatur, tum contundatur, & poſtea in lacte cum pauxillo butyri bulliat in pultem, non ineptum inde exſurgit ferculum; certe quidem ſapidum, mite, vix flatulentum, ſubeccoproticum. Nutrit principio ſuo ſaccharato. Scinduntur etiam radices in taleolas, & juri carnium incoquuntur. Panem inſuper pro plebe, ſatis ſapidum, ex hac radice paravit cl. Z. STRANDBERG (*). Amyli nihil ex hac radice extrahere potui.

1.) Braſſica gongylodes. BAUH. *Pin.* 111.
Braſſica caule Rapum gerens. DOD. *Pempt.* 614.
Braſſica Caulo-rapa. BAUH. *Hiſt.* 2. *p.* 829.
Rapa, Braſſica peregrina, caule Rapum gerens. LOBEL. *Icon.* 246.
Kålrabis *Svecis.*
Culinis BRASSICÆ GONGYLODIS tuber.
Locus. Colitur in hortis. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix ramoſa. *Truncus* erectus, ſubpedalis, clavatus, inferne cylindricus, albido-cinereus, apice incraſſatus in *Tuber* ſubrotundum, obtuſum, ſupra & infra compreſſiuſculum, pallide viridulum, glabrum, magnitudine circiter capitis infantilis, notatum cicatricibus oblongis, ſparſis, transverſalibus, utrinque acutis, lævibus, ſerie punctorum obſoletorum longitudinali, ex caſu petiolorum ortis; undique folioſum: *Foliis* petiolatis, oblongis, obtuſis, ſubundulatis, pedalibus, erectis, obſcure viridibus, glabris, rore glauco tinctis, margine minutim denticulatis, inferne inciſo-pinnatifidis, ſublyratis. *Petioli* teretes, ſpithamæi, baſi utrinque excurrentes

(*) *Sätt at til Sädes-beſparning nyttja tilſats af Rofvor, Kålrötter eller Potatoes vid brödbakning.* Stockh. 1772.

tes in marginem elevatum, oppoſitum, acutum, ſupra veſtiti auriculis ſubalternis, transverſalibus, inæqualibus, margine parvo decurrentibus. *Parencyma* tuberis carnoſum, firmum, albidum, transverſaliter ſectum æquale, maculis ſ. punctis ſparſis notatum.

PROPR. rec. Odor Rapæ; *ſapor* dulceſcens, Napobraſſicæ, ſed poſt *coctionem* tenerrimum.

VIRTUS &

USUS prioris.

OBS. Variat colore virideſcente & eleganter purpureo.

363. BRASSICA Eruca. LINN. *Sp. pl. 932. Mat. m. 330.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 9.*

Eruca ſativa. DODON. *Pempt. 696.*

Pharm. ERUCÆ Semina.

Locus. Helvetia. *Annua.*

FORMA. Semina globoſa, pallide ſubcitrina, glabra, magnitudine ſeminis Sinapios.

PROPR. Odor graviuſculus. *Sapor* ſeminum Sinapios, verum longe remiſſior.

VIRTUS: Sinapios, verum debilior.

USUS.

OBS. Infuſum aquoſ. colore Theæ dilutæ, odore ſeminum Sinapios graviuſculo; ſapor debilior; cum vitriolo martis color conſtat.

364. SINAPIS nigra. LINN. *Sp. pl. 933. Mat. m. 326.*

Sinapi ſativum prius. DOD. *Pempt. 694.*

Pharm. & *Culinis SINAPIOS* Semina.

Locus. Europa, in agris. *Annua.*

FORMA. Semina parviuſcula, ſubrotunda, fuſco-ferruginea, undique minutim rugoſa.

PROPR. *Odor* debilis; *ſapor* ſubamaricans, calidus, acris, ſubfugax; *maſticata* facile comminuuntur, mordent & calent in lingva & faucibus: ſaliva ſubemulſiva.

VIRTUS: rubefaciens, veſicans, ſtimulans, excitans, ſialagoga.

USUS: culinaris; Anorexia, Tertiana. *Externe:* Herpes, Rheumatiſmus, Podagra retropulſa, Paralyſis.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. pallidum, opaleſcens, odore fragrante, ſapore ſubdulceſcente, acri, calidiuſculo; vitriolo martis non demutatur. Hæc ſemina, cum aqua *deſtillata*, dant *aquam ſtillat.* acrem, &, ut docet Lewis, *oleum ſtill.* limpidum, in aqua ſubſidens, odore & ſapore intenſius pungente & penetrante. Reſiduum poſt deſtillationem eſt mite, ſubmucilaginoſum, ſubdulceſcens. Expreſſione ſemina Sinapios edunt *oleum expreſſum* mite, ſapidum, facile ranceſcens; reſiduum poſt expreſſionem olei acerrimum eſt. Hinc principium oleoſum in hiſce ſeminibus duplex eſt, alterum fixum, mitiſſimum, alterum alembicum tranſcendens, acerrimum. Si in aqua elixantur ſemina hæc, protracta ebullitione, miteſcunt, & extractum aquoſum debile exſurgit. *Pulvis* Sinapios paratur ex ſeminibus caute ſiccatis & pulveratis, eſtque idem fragrans, peracris, in culinis uſitatus, ætate ranceſcens, quare in vaſis obturatis ſervari debet. Parum refert, ex quanam ſpecie Sinapios, alba nigrave, ſemina ſumantur. Ex ſeminibus Sinapios cl. Marggraf Phosphorum extraxit.

OBS. 2. Paſta, e pulvere ſeminum Sinapios cum aceto vini gallico parata, acerrima fit, & cuti imponitur ſub nomine *Sinapiſmi.* Excalefacit ſummopere cutem, fere tamquam ignis calor huc derivatus, atque horæ circiter ſpatio cutem rubefacit, haud ſecus ac ſi igne cre-

cremata eſſet. Si diutius durat actio ſinapiſmi, ruberrimus evadit locus. Hic color ruber ſenſim increſcit, ſublato ſinapiſmo, cum ſenſatione caloris urentis, & cutis ulterius lente inflammatur ſua ſponte, facie eryſipelacea, ad tactum dolens. Poſt nonnullos dies cutis loci affecti rigeſcit, perſiſtente rubedine, & tandem deſquamatur cum pruritu. Si vero juſto diutius Sinapiſmus remanſerit, cutis non deſquamatur, verum ſenſim, h. e. poſt unum alterumve diem, vel ſerius, in veſicam elevatur, qua aperta, relinquitur ulcus manans, tardiſſime conſolidandum. Sæpe rubor in gangrænam vergit, ſi diutius adhuc linquatur Sinapiſmus. Sed, quod mireris, Sinapi, adeo acre quando cuti applicatur, innoxie tamen edi poteſt, ventriculo minime acre.

OBS. 3. In culinis miſcetur pulvis Sinapios cum aceto, vel teritur cum cereviſia, & editur juxta carnes.

OBS. 4. In Tertiana ſemina Sinapios cum ſucceſſu propinavit cl. J. T. Fagræus. Vidi, hæc ſemina paroxyſmum tertianæ vernalis exquiſitæ bene ſuſtuliſſe, idque ita, ut infirmi poſtea relapſui vix fuerint proni. Sumenda ſunt ſemina integra, menſura cochlearis majoris, quater vel quinquies de die, ſub apyrexia, & absque maſticatione deglutienda. Abſtineant ægri a potu calido poſt ſumta ſemina. Hac methodo non afficiunt primas vias, nec ardorem iis imprimunt; ſed alvum leniter ducunt. Atque ſic procedendum, usquedum febris evaneſcat, quod plerumque brevi fit. Ego plures hacce via curavi, & nullam noxam inſecutam vidi. Sed in quartanis autumnalibus hæc ſemina nequicquam profuerunt. In febribus intermitt. protractis & repullulantibus ſemina Sinapios pulverata cum Chinchina junxi, neque id ſine bono effectu; ſed ardorem in ventriculo ſubinde paſſi ſunt ægri, tamen absque detrimento.

365. RAPHANUS ſativus. LINN. *Sp. pl. 935. Mat. m. 325.*
Raphanis. DOD. *Pemptad. 665.*
Raphanus minor purpureus. LOBEL. *Hiſt. 99.*
Pharm. & Culinis RAPHANI Radix recens.
Locus. Colitur in hortis. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix globoſa, ſ. cylindrica, alba, magnitudine ovi columbini vel ſupra, lævis, infima baſi fibra filiformi, fibrillata, deſcendente; *parencymate* carnoſo, ſucculento, fragiliuſculo, albo; poſt ſectionem transverſalem centrali parte ampliſſima, radiato-ſtellata: radiis ſubdiaphanis; corticali parte firmiore.

PROPR. rec. Odor ſubfragrans; *ſapor* calidiuſculus, vix amaricans, acris; corticalis pars acrior; *maſticata* non ſolvitur, ſed comminuitur, ſucco aqueo, ſapore acri, fugaci. *Cocta* fere inſipida. *Siccata* absque odore eſt, & tantum non ſine ſapore.

VIRTUS: antiſcorbutica, diuretica, ructatrix.

USUS. Scorbutus, Aſthma, Raucedo, Iſchuria.

OBS. *Syrupus,* frigide paratus, bonus eſt, ſi modo recens.

β.) Raphanus niger. BAUH. *Pin. 96.*
Raphanus magnus. LOB. *Hiſt. 99.*
Culinis RAPHANI NIGRI Radix.
Locus. Colitur in hortis. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix fuſiformis, ſpithamæa, ſuperne rotundata, deorſum ſenſim attenuata, fuſco-nigreſcens, rugoſa, ſtriis transverſalibus, ſparſis, albidis, fibris & fibrillis ſerie longitudinali utrinque diſpoſitis. *Parencyma* carnoſum, album, fragiliuſculum; poſt ſectionem transverſalem centrali parte ampliſſima, radiato-ſtriata: ſtriis

ſtriis conſtantibus e punctis longitudinaliter diſpoſitis; corticali parte firmiore.

PROPR. Odor Raphani; *ſapor* calidus, intenſius acris, præcedenti longe fortior.

VIRTUS: ut in priore varietate.

USUS: culinaris.

OBS. Eſitantur ambæ hæ radices crudæ cum ſale. Raphanus niger diutius hiemis vim ſuſtinet.

366. ISATIS tinctoria. LINN. *Sp. pl. 936.* SCHWENCK. *Gewaſſ. 387.*

Iſatis. BLACKW. *Herb. t. 246.*

Glaſtum ſativum. LOB. *Hiſt. 189.*

Pharm. ISATIS Herba, præparata.

Locus. Europa, in littoribus maritimis. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, palmaris, albida, deſcendens. *Caulis* erectus, ſimplex, teretiuſculus, inter folia alternatim & obſolete digonus, glaber, virideſcens, ſed ex fuſco minutim nebuloſus, bi-vel tripedalis. *Folia* alterna, frequentia, lanceolata, ſagittata, ſeſſilia, glabra, integerrima, ſubſucculenta, erecta; inferiora obtuſa, inferne attenuata; ſuperiora acuta, ſuperne ciliata. *Corymbus* florum terminalis, glaber, nudus, compoſitus e corymbulis, ſubrotundus; fructifer vero conſtat totidem racemis ſeminum. *Bracteæ* lineares, haſtatæ, acutæ, ciliatæ, ad exitum pedunculorum ſolitariæ. *CAL. Perianth.* luteum, 4-phyllum: foliolis ovali-linearibus, obtuſis, concavis, laxiuſculis, apice piloſis. *COR.* cruciformis, lutea; *Petalis* obovatis, obtuſis, inferne attenuatis, ſeſſilibus, erecto-patentibus, calyce longioribus. *STAM. Filam.* 6, ſubulata, luteſcentia, longitudine fere corollæ; quorum 2

oppoſita paullo breviora. *Anth.* lineari-cordatæ, incumbentes, luteæ. *PIST.* *Germen* ovale, luteſcens, obtuſum, compreſſum, lateribus utrinque carinatis, ſtaminibus brevius. *Styl.* nullus. *Stigma* capitato-truncatum, luteum.

PROPR. *herbæ rec.* *Odor* vix ullus; *ſapor* herbaceus, ſubamaricans, acriuſculus.

VIRTUS.

USUS: tinctorius.

OBS. 1. Iſatis *præparata* tinctoribus vulgaris eſt ad lanas cæruleo tingendas. Folia recentia bene matura colliguntur, & in umbraculo ponuntur, ut marceſcant. Deinde molæ ſubjiciuntur, inque paſtam rediguntur, manibus pedibusque bene ſubigendam. Tum formantur ex hac paſta cumuli læviuſculi, & bene compreſſi, ne nimium evaporent. Poſtquam ſuperficies ſenſim exaruit, ſponte induitur cumulus cruſta, quæ diligenter curanda, ne rimas apertas agat. Poſt 14 dies totam paſtam agitare oportet, cruſtamque bene comminuere, quo facto inde formantur globuli, ſinguli plurium unciarum, qui manibus bene comprimendi, ut duriuſculi evadant, tumque in ſole vel furno probe ſiccandi. Quo recentiores hi globuli, eo minus tinctorii ſunt; qui per 8 vel 10 annos ſervati ſunt, optimi cenſentur. Materies colorans conſiſtit in reſinoſo, quare alcalinis extrahenda. De methodo Iſatin tinctoriam colendi, atque etiam præparandi, conſuli poteſt ASTRUC (*).

CLAS-

(*) *Memoir. pour l' hiſtoire de Languedoc, p. 523. ſeq.*

CLASSIS XVI.
MONADELPHIA.
ORDO
POLYANDRIA.

367. ALTHÆA officinalis. LINN. *Sp. pl. 966. Mat. m. 338.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 6.*

Althæa Dioſcoridis. ZANNICH. *Venez. t. 236.*

Althæa. CAMER. *Epit. 667.* LUDW. *Ectyp. p. 1. t. 1.*

Althæa, Ibiſcus. DODON. *Pempt. 644.*

Pharm. ALTHÆÆ Radix, Herba.

Locus. Europa media, in ſubhumidis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix majuſcula, ſuperne verſus caulem ramoſa: ramis pedalibus, deſcendentibus, teretibus, ſimplicibus, craſſitie digiti vel pollicis, extus cinereo-albida, ſubrugoſa: rugis transverſalibus. *Parencyma* ſubcarnoſum, album; poſt ſectionem transverſalem ſtriatum: ſtriis radiantibus, albidioribus, ſubobſoletis, a centro ad peripheriam undique ſpectantibus; centro medullari ampliore, notato annulo incarnato, ſubcrenato; corticali parte ſubcarnoſa. *Caules* plures ex una radice, bipedales, erecti, teretes, ſcabri, hirti, inferne rugoſi, ramoſi. *Rami* alterni, erecti. *Folia* alterna, petiolata, patentia, cordato-ſubrotunda, utrinque villoſa ſ. tomentoſa, mollia, 5-loba: lobis rotundatis, inæqualiter & groſſe ſerratis; 5-nervia, venoſa. *Petioli* longitu-

tudine foliorum, ſemiteretes, ſcabri, ſupra plano-canaliculati. *Stipulæ* 2, lanceolatæ, acutæ, oppoſitæ, ciliatæ, pubeſcentes. *Racemus* terminalis, ſubcompoſitus, floribus pedunculatis, cernuis. *Foliola* tenera loco bractearum, lobata. *Pedunculi* teretes, tomentoſi, uniflori. *CAL. Perianth. exterius* 1-phyllum, tomentoſum, concavum, cinereum, venulis viridibus reticulatum, trifidum: ſinubus exſtantibus: laciniis ovatis, trifidis; lateralibus rotundatis; intermedia acuta, longius producta; *interius* 1-phyllum, denſius tomentoſum, molle, campanulatum, intus glabrum, annulo elevato in medio calycis, longitudine calycis exterioris, 5-fidum: laciniis ovato-acutis; erectis. *COR.* incarnata. *Petala* 5, calyce duplo longiora, ungviculata, obcordata, erecto-patentia, ſtriata venis parallelis, apice ramoſis; biloba: lobis obtuſis; ſinu profundo, rotundato; ungvibus brevibus, margine utrinque ciliato-barbatis. *STAM. Fil.* plurima, monadelpha, corolla duplo breviora, alba; columna cylindrica, tomentoſa, e receptaculo corollæ ſurgens, filamentis ſuperne liberis, glabris, inferne piloſis, undique patentibus. *Antheræ* undique echinatæ. *PIST. Germen* inferum reſpectu corollæ, ſed ſuperum reſpectu calycis, orbiculatum, depreſſum, margine craſſo, undique longitudinaliter ſtriato. *Stylus* cylindricus, breviuſculus. *Stigmata* plurima, ſubulata, ſtaminibus breviora.

PROPR. rec. & ſicc. radic. Odor nullus; *ſapor* ſubdulceſcens; *maſticata* emollitur, lubrica & valde mucilaginoſa ſentitur. *Herbæ*, nempe folior. & florum: *odor* nullus; *ſapor* herbaceus; inter *maſticandum* mucilaginoſum exhibet.

VIR-

VIRTUS: emolliens, lubricans, demulcens.

USUS. Ulcus veſicæ, Iſchuria, Raucedo, Tuſſis, Teneſmus.

OBS. 1. Si planta in ſolo conſeritur minus idoneo, h. e. nimis elevato aridoque, radix ſæpius gangræna in centro & intra corticem corripitur; quamobrem rationem ſoli habere oportet, ubi radix plantæ quæritur.

OBS. 2. *Infuſum* aquoſ. *radic.* ſicc. & decortic. lacteſcens, odore nullo, ſapore miti, mucilaginoſo; vitr. martis rufeſcit, coagulatur, h. e. mucilaginoſum præcipitatur, quod etiam fit ex addito alcohole vini. *Herbæ* ſicc. infuſum luteſcens, ſapore herbaceo; vitr. martis paullulum fuſceſcit. *Mucilaginoſa* ſubſtantia e radice recente extrahitur aqua frigida calidave; corticalis pars mucilaginem dat limpidam, inſtar aquæ; medullaris vero opaleſcentem. Radix magis mucilaginoſa eſt, quam herba.

368. ALCEA roſea. LINN. *Sp. pl.* 966. *Mat. m.* 340. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 6.

Malva hortenſis multiplici flore. DOD. *Pempt.* 641.

Pharm. *MALVÆ ARBOREÆ* Flores.

Locus. Oriens; colitur in hortis. *Biennis.*

FORMA. rec. Racemus terminalis; floribus magnis, brevius pedunculatis. *CAL. Perianth. exterius* 1-phyllum, tomentoſum, hirtum: pilis rigidiuſculis, palmatis; profunde 6-fidum, ſæpe ſubnovemfidum: laciniis ovato-lanceolatis, acutis, ſtriatis, laxiuſculis; *interius* 1-phyllum, pariter tomentoſo-hirtum, ſtriatum, exteriori longius, 5-fidum: laciniis ovato-lanceolatis, margine undulatis, acutis, erectis. *COR.* calyce duplo longior, 5-petala (ſæpius plena) purpurea: *Petalis* im-

imbricatis, patentibus, obovatis, latis, ſubtruncatis, vix retuſis, venoſis, brevius ungviculatis: ungvibus virideſcentibus, utrinque barbatis. *STAM. Filam.* plurima, monadelpha, corolla duplo breviora; columna pentagona, glabra, virideſcens, e receptaculo corollæ ſurgens, filamentis ſuperne liberis, glabris, undique patentibus. *Antheræ* ſubrotundæ, undique echinatæ. *PIST. Germen* intra receptaculum, orbiculatum, depreſſum, virideſcens, glabrum, ſuperne minutim tomentoſum. *Styli* plurimi, rubri, intra columnam ſtaminum, illisque longiores. *Stigmata* ſimplicia.

PROPR. rec. Odor nullus; *ſapor* debiliſſimus, vix ullus; *maſticata* petala lubrica, mucilaginoſa.

VIRTUS: præcedentis.

USUS: præcedentis.

OBS. I. *Infuſum* aquoſ. ſpiſſum, purpureum, odore nullo, ſapore mucilaginoſo; dilutum vitriolo martis fuſceſcit.

369. MALVA rotundifolia. LINN. *Sp. pl. 969. Mat. m. 339.*

Malva ſylveſtris pumila. LOB. *Hiſt.* 371. DOD. *Pempt.* 642.

Pharm. MALVÆ VULGARIS Herba.

Locus. Europa, in ruderatis, plateis. *Annua.*

FORMA. recent. Radix cylindrica, deſcendens, alba. *Caules* plures ex una radice, patenti-procumbentes, teretes, ſpithamæi, pubeſcentes. *Folia* alterna, petiolata, utrinque minutim pubeſcentia, ſcabriuſcula, ſubrotundo-reniformia, 5-vel 7-loba: lobis rotundatis, margine ſerrata, ſubtus ſubſeptemnervia, ſupra nervis lineata, vix pollicaria. *Petioli* teretes, elongati, pu-

pubeſcenti ſcabri, ſupra ſulcati. *Stipulæ* 2, oppoſitæ, parviuſculæ, lanceolatæ, acutæ, ciliatæ, pubeſcentes. *Flores* gemini, pedunculati, axillares e foliis, pedunculis petiolis brevioribus, filiformibus, teretibus, pubeſcentibus, ſæpius inæqualibus. *CAL. Perianth. exterius* triphyllum: foliolis lineari-ſubulatis, obtuſis; *interius* campanulatum, pubeſcenti-ſcabrum, 5-fidum: laciniis ovato-acutis, erectis, carinatis, margine ciliatis, ſubundulatis. *COR.* alba. *Petala* 5, lineari-cuneiformia, obtuſa, emarginata, calyce paullo longiora, erecta, ſubſeſſilia. *STAM. Filam.* plurima, monadelpha; columna cylindrica, glabra, corolla breviore, ſuperne breviter libera. *Anth.* parvæ, ſubrotundæ, echinatæ, undique nutantes. *PIST. Germen* orbiculatum, depreſſum, intra receptaculum corollæ. *Styli* plures, ſubulati, erecti, vix pubeſcentes, longitudine ſtaminum, *Stigmata* ſimplicia.

PROPR. rec. Odor nullus; *ſapor* herbaceus, debilis; *maſticata* folia lubrica, mucilaginoſa.

VIRTUS: emolliens, lubricans; *rec.* laxans.

USUS. Iſchuria, Colica nephritica, Clyſmata.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum luteſcens Theæ potus inſtar, odore nullo, ſapore herbaceo; cum vitr. martis nigro fuſceſcit.

OBS. 2. Malva veteribus culinaris fuit: *Me paſcunt Olivæ, me Cichoria læveſque Malvæ*; HORAT. Comedebatur uti Spinacia apud nos; ſed alvum ducebat: *Exoneraturas ventrem mihi villica Malvas Attulit, & varias, quas habet hortus, opes*; MARTIALIS. Ita bene Malvam aliasque herbas condire ſciebant lautiores Romani, ut nihil poſſet eſſe ſvavius, fa-

ſatente ipſo CICERONE (*), qui ſe proinde dicit, in cœna augurali apud LENTULUM, facile quidem oſtreis & murænis abſtinere potuiſſe, at a Beta & Malva fuisſe deceptum, tamque luxurioſe delicias iſtas comedisſe, ut gravis 10 dierum diarrhœa ipſum arripuerit.

370. GOSSYPIUM herbaceum. LINN. *Sp. pl. 975. Mat. m. 341.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 8.*

Goſſipium. CAMER. *Epit. 203.* DOD. *Pempt. 66.* RUMPH. *Amboin. 4. p. 33. t. 12.*

Pharm. GOSSYPII Semina, Lana.

Locus. India. *Bienne.*

FORMA. Capſula pollicaris, ſubrotunda, ſcabrida, minutim muricata, acuta, 4-locularis, 4-valvis: valvulis poſt maturationem ſeminum patentiſſimis, latere interiore longitudinaliter dehiſcentibus. *Semina* ovalia, tomentoſa, alba, magnitudine ſeminis Piſi, undique veſtita *Lana* nivea, elongata, implexa; *parencymate* cotyledoneo, albido, intra teſtam cartilagineam; poſt ſectionem transverſalem diſco æquali, picto venulis concentricis, approximatis, adſperſo punctis nigricantibus.

PROPR. ſicc. ſemin. Odor nullus; *Sapor* dulceſcens; *maſticata* comminuuntur, ſaliva emulſiva. *Lana* levis, mollis. Turunda bombycina ſcintillis non accenditur, niſi admoto carbone bene ignito; e flamma admota ſubito accenditur, undique flagrat: flamma fremente, vivida, velociſſima, mox extincta; durat dein ignis gliſcens, ſerpens, fulgurans, fumo fere lintei accenſi, graviore tamen, remanente cinere fuſco,

(*) *Epiſtol. libr. 7. epiſt. 26.*

ſco, leviſſimo, tomentoſo, ex preſſione digiti facile fatiſcente, inquinante.

VIRTUS Seminum: obtundens.

USUS Lanæ: mechanicus.

OBS. 1. Semina, quæ in officinis obvenire ſolent, omnia effœta deprehendi; recentia *Oleum* expreſſum dant.

OBS. 2. Lana bombycina loco Moxæ adhiberi poteſt, mitius vero urit (*).

OBS. 3. Goſſypii lana ex pluribus hujus generis ſpeciebus deſumitur. Goſſypium etiam in America colitur. Cl. P. Nicolson (**) americanam methodum tradit Goſſypium colendi.

371. HIBISCUS Abelmoſchus. Linn. *Sp. pl. 980. Mat. m. 342.*

Alcea hirſuta flore flavo ſemine moſchato. Marcgr. *Braſil. 45. t. 45.* Brown. *Jam. 285. n. 4.*

Flos moſchatus. Merian. *Surin. p. 42. t. 42.*

Granum moſchatum. Rumph. *Amboin. 4. p. 38. t. 15.*

Cattu-gaſturi. Rheed. *Malab. 2. p. 71. t. 38.*

Pharm. *ABELMOSCHI* Semina.

Locus. India utraque. *Arbor.*

FORMA. Semina fuſca, reniformia, magnitudine ſeminis Piſi minoris, compreſſiuſcula, undique ſtriata: ſtriis parallelis, atomis excavatis adſperſis: hilo in ſinu ſeminis.

PROPR. ſicc. Odor ambroſiacus, fragrans. *Sapor* odori congruens. Semina accenſa fumum ambroſiacum ſpargunt.

VIR-

(*) Cfr. §. 419. β. ubi de Moxa agitur.

(**) *Eſſai ſur l'hiſtoire naturelle de S. Domingue, p. 40. ſeq.*

VIRTUS: nervina.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum ſeminum integr. aqueum, limpidum, luteſcens, odore ambroſiaco; ſapore fatuo; *Decoctum* limpidum, luteſcens, odore debiliore; vitriolo martis color non demutatur.

CLAS-

CLASSIS XVII.
DIADELPHIA.
ORDO
HEXANDRIA.

372. FUMARIA bulboſa. Linn. *Sp. pl.* 983. *Mat. m.* 344. Kniph. *Bot. orig. cent.* 1.

Fumaria bulboſa radice cava major. Garid. *Aix.* t. 38.

Radix cava. Dod. *Pempt.* 325. Lob. *Hiſt.* 439.

Pharm. ARISTOLOCHIÆ FABACEÆ Radix.

Locus. Europa, in umbroſis. *Perennis.*

FORMA. Bulbus ſubrotundus, magnitudine Piſi majoris vel ultra, ſubrotundus, compreſſiuſculus, fuſco-ferrugineus, ſupra & infra depresſus, læviuſculus; *parencymate* ſolidiuſculo, firmo, æquali, dilute luteſcente; poſt ſectionem transverſalem centro medullari parviuſculo, rotundo, ſæpe cavo. *Varietas* alia in officinis occurrit, radice majore, centro omnino cavo.

PROPR. rec. & ſicc. Odor nullus; *ſapor* amarus.

VIRTUS: pellens.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſ. luteſcens, limpidum, amarum, odore vix ullo; a vitr. martis color non alteratur.

373. FUMARIA officinalis. Linn. *Sp. pl.* 984. *Mat. m.* 343. Kniph. *Bot. orig. cent.* 1.

Fumaria officinarum & Dioſcoridis. Zannich. *Venez.* t. 247.

Fumaria. Blackw. *Herb. t.* 237. Dod. *Pempt.* 59.
Pharm. *FUMARIÆ* Herba.
Locus. Europa, in cultis. *Annua.*

FORMA. rec. Radix filiformi-fuſiformis, pallida, deſcendens, apice fibrilloſa. *Caulis* ſucculentus, fragilis, erectus, dodrantalis, flaccidus, ſubflexuoſus, pentagonus, lævis, ramoſus. *Rami* alterni, erecti, cauli conformes, prope radicem diffuſi. *Folia* alterna, petiolata, duplicato-pinnata: pinnis & pinnulis alternis, diſtantibus, petiolatis: lobis ſubſucculentis, cuneiformibus, inciſo-pinnatifidis; laciniis ovali-linearibus, obtuſis, ſubmucronatis, dilute irideſcentibus, undique glabris, ſubtus pallidioribus. *Petioli* communes triangulares, recti; partiales ſubflexuoſi. *Racemi* florum laterales, oppoſitifolii, pedunculati, nudi, erecti, floribus ſparſis, patentibus, pedunculatis. *Bracteæ* ſolitariæ, lineares, acuminatæ, pedicellis ſubjectæ, illorumque longitudine. *CAL. Perianth.* diphyllum: foliolis lanceolatis, acutis, membranaceis, ſerratis, deciduis. *COR.* 4-petala, dilute ſubviolacea. *Petala* linearia, ſubæqualia, concava, ſuperne carinato-gibba, obtuſa; quorum 2 oppoſita apice rubicunda; 2 vero alia oppoſita apice concreta, purpurea, dorſo alato-carinata, emarginata cum acumine parvo. *Nectarium:* cornu ſubrotundum, obtuſum, compreſſum, ad baſin petali ſupremi. *STAM. Filam.* 2, membranacea, inferne ovata, ſuperne ſubulata, corolla paullo breviora. *Anth.* 6, ſubrotundæ, parvæ, 3 in ſingulo filamento. *PIST. Germen* ſuperum, ovatum, obtuſum, glabrum. *Stylus* longitudine ſtaminum, ſubulatum. *Stigma* cernuum, capitatum, barbatum.

PROPR. rec. *Odor* contuſæ herbæ tanquam ole-

oleris; *Sapor* ſubingratus, amarus; *maſticata* ſubſuccoſa, ſaliva virideſcente. *ſicc.* fere amarior.

VIRTUS: corroborans, tonica, antiſcorbutica.

USUS: Cachexia, Hypochondriaſis, Morbi cutis.

OBS. Extrahitur menſtruo aquoſo & ſpirituoſo. *Infuſum* aquoſ. rubicundum, amarum; vitr. martis nigro-fuſceſcit. *Extractum* aquoſum amarum ſalinum; ſpirituoſum minus amarum. Herbæ Fumariæ libræ 27 dant Extracti aquoſi circiter libr. 1.

ORDO
OCTANDRIA.

374. POLYGALA Senega. Linn. *Sp. pl. 990. Mat. m. 345. Amoen. Acad. 2. p. 139. t. 2.*

Polygala virginiana foliis oblongis, floribus in thyrſo candidis, radice alexipharmaca. Mill. *Dict. artic. Polyg. cum fig.*

Senegau. Trew. *Commerc. litt. Norimb. A. 1734. p 369. t. 4. f. 1. 2. 3.*

Pharm. *SENEGÆ* Radix.

Locus. Virginia, Penſylvania, Canada. *Perennis.*

FORMA. Radix cylindrica, rurſum prorſum flexa, digitalis, cineraſcens, noduloſa: callis lateralibus, alternis, frequentibus, transverſaliter rugoſis: rugis annularibus, approximatis; terminata capite difformi, toruloſo, conſtante ramulis breviſſimis vel cicatricibus, vel turionum rudimentis. *Parencyma* recent. ſubcarnoſum, albidum, fibra centrali, longitudinali, lignea, ut in Ipecacuanha; poſt ſectionem transverſalem notatum centro medullari orbiculato, ligneo, albo, ob-

obducto corticali parte carnoſa, poſt ſectionem longitudinalem facile a fibra lignea ſecedente. *Siccata* dura, fragilis.

PROPR. rec. & *ſicc. Odor* peculiaris, debilior, non ingratus; fortior in recente. *Sapor* odori congruens. *Maſticata* corticalis pars comminuitur, remanet fibra lignea; ſapor primum calidiuſculus, deinde acidulus in faucibus ſentitur, cum ſpecie acrimoniæ, inhærens cum ſiccitate.

VIRTUS: ſubemetica, diuretica, diaphoretica, ſubpurgans, expectorans.

USUS. Morſus ſerpentum.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum limpidum, ſubcitrinum, odore debili, ſapore forti radicis, acidulato; cum vitr. martis color nil variat.

OBS. 2. Ut ſpecificum adverſus ſerpentum morſum ab Americanis diu adhibita eſt hæc radix, iſtamque ejus efficaciam poſtea plurimi adſtruxerunt. In eo caſu radix interne propinetur, doſi ſcrup. I vel drachm. ß, bis vel ter de die, radixque maſticata externe vulneri applicetur. Ob peculiarem hujus radicis ſaporem, medici eam in variis quoque aliis caſibus conducere arbitrati ſunt, illamque ideo propinarunt in pleuritide, hydrope, aſthmate, phthiſi pulmonali, arthritide &c. nec infructuoſam in quibusdam deprehenderunt; ego tamen cenſeo, caute eſſe adhibendam, dum febris urget pulſusque durus eſt.

ORDO
DECANDRIA.

375. GENISTA canarienſis. LINN. *Sp. pl.* 997. *Mat. m.* 347.

Cytiſus I. CLUS. *Hiſt.* I. *p.* 94.

Cy-

Cytiſus canarienſis ſempervirens & incanus. COMMEL. *Hort. 2. p. 103. t. 52.*

Pharm. RHODII Lignum.

Locus. Inſulæ Canariæ. *Arbor.*

FORMA. Lignum in fruſtulis cylindricis, distortis, craſſitie 1 vel 2 pollicum, ponderoſum, ſolidum, durum; alburno albido, tenuiore; medullari parte ampliſſima, viridi-rubeſcente; poſt ſectionem transverſalem notatum diſco discolore, undique diſtincto ſtriis minutiſſimis, a centro ad peripheriam tendentibus, parallelis, undique etiam adſperſo punctulis parvis, frequentibus, ſparſis; centro medullari ampliſſimo, in medio ſaturatius tincto, verſus marginem vero dilutius. Lignum veſtitum eſt *cortice* cinereo-brunneo, rugoſo, tenuiore.

PROPR. ligni raſi ſ. fricati: *Odor* fragrans, fere Roſæ damaſcenæ, gratus; *ſapor* ligni pulverati gratus, roſaceus, leniter amaricans, lingvæ inhærens calidiuſculus. Pulvis e ligno raſo flaveſcit. *Corticis* odor & ſapor debiles, non roſacei.

VIRTUS.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum ſcobis ligni colore aqueo-luteſcenti, odore grato, roſaceo, fragrante; ſapore roſaceo, leniter aromatico; vitriolo martis haud demutatur. *Oleum ſtillat.* luteum, odore roſaceo, grato, ſapore amaricante, aromatico. E Ligni libr. 80 cl. BAUMÉ obtinuit drachm. 9 olei ſtill. levis, luteſcentis, odore præſtantiſſimo; ſed ex eadem quantitate ligni Rhodii ſelectioris, durioris, magisque reſinoſi, alia vice olei ſtill. unc. 2 accepit cl. vir. *Aqua ſtill.* fragrans, aquæ Roſarum æmula. *Extractum* ſpirituoſum

 fra-

fragrans, roſaceum, tenax. Extr. aquoſ. vix olidum, amaricans.

OBS. 2. Difficile eſt invenire hoc lignum ſelectum in noſtris officinis. Id, quod deſcripſi, humanitati cl. EDV. SANDIFORT debeo. Communiter in pharmacopoliis, ſub nomine Ligni Rhodii occurrit lignum quoddam cylindricum, craſſitie pollicis vel ſupra, ſolidum, durum, pallidum, poſt ſectionem transverſalem notatum circulis concentricis, ſtriis radiantibus, & punctulis ſparſis; ſed odore debili, ſubroſaceo, ſapore amaricante, cujus infuſum aquoſ. rubeſcit & cum vitriolo martis leniter fuſceſcit. Inveni etiam in officinis radices arboris, diſtortas, craſſitie fere brachii, pedales vel ultra, extus cinereas, parencymate ligneo, duriſſimo, rubeſcente, centro ſaturatius tincto; odore grato roſaceo; unde patet, radicem arboris pari fragrantia pollere, atque ipſum truncum.

376. GENISTA tinctoria. LINN. *Sp. pl. 998. Mat. m. 346.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 6.* ZANNICH. *Venez. t. 165.* CLUS. *Hiſt. 1. p. 101.* DODON. *Pempt. 751.*

Tinctorius flos ſ. Geniſta humilis. DALECH. *Hiſt. 175.*

Pharm. *GENISTÆ* Folia, Flores, Semina.
Locus. Germania, Anglia, Svecia. *Frutex.*
FORMA.
PROPR. *Odor* nullus. *Sapor* amaricans.
VIRTUS: pellens, purgans, tinctoria.
USUS. Hydrops.

377. ONONIS ſpinoſa. LINN. *Sp. pl. 1006. Mat. m. 357.*

Ononis montana præcox purpurea fruteſcens. DUHAM. *Arbr. 1. p. 57. t. 21.*

Ano-

Anonis ſpinoſa flore purpureo. ZANNICH. *Venez. t. 210.*

Anonis. BLACKW. *Herb. t. 301.* DOD. *Pempt. 731.*

Pharm. ONONIDIS Radix, Herba.

Locus. Europa, in agris, aridis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix ſpithamæa, ſæpe pedalis vel ultra, cylindrica, craſſitie pennæ cygneæ, ſæpe digiti vel pollicis, fibrilloſa, extus fuſca, deſcendens; *parencymate* ſolidiuſculo, albido; poſt ſectionem transverſalem centro medullari ſtriato-radiato, obducto diſco latiore, minutim reticulato, & ſtriis longitudinalibus, frequentibus, ad corticem pertingentibus. *Caules* plures ex una radice, procumbentes, teretes, villoſi, dodrantales ſ. pedales, ramoſi: *ramis* paucis ſubdigitalibus, divaricato-patulis, ſpinoſis: ſpinis rigidis, pungentibus, ungvicularibus, folioſis & floriferis. *Folia* caulina ad ramulos, alterna, breviter petiolata, ternata: foliolis ovalibus, obtuſis, ſupra glabriuſculis, ſubtus pubeſcentibus, margine ſerratis; extimo ſerrato; *ramorum* vero & *ſpinarum* ſimplicia. *Stipulæ* ſolitariæ, planæ, latæ, lineares, obtuſæ ſ. truncatæ, ſerratæ, vaginæ loco petiolum baſi terminantes. *Flores* in ſummitate caulis, in ramis ſ. in ſpinis, ſolitarii, brevius pedicellati, axillares e foliis parvis. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, turbinato-tubulatum, hirſutum, ſtriatum, angulatum, 5-fidum: laciniis lineari-lanceolatis, obtuſiuſculis, carinatis, erectis, æqualibus; 4 ſupremis parallelis, approximatis; infima ſub carina. *COR.* papilionacea, calyce duplo longior. *Vexillum* orbiculatum, obtuſo-rotundatum, conduplicatum, ceteras partes floris includens, dilute rubicundum, extus

pubeſcens, erectum, baſi ſtriatum; ungve breviore. *Alæ* 2, albidæ, cuneiformes, vexillo fere duplo breviores, obtuſæ, baſi ſemiſagittatæ; ungve parvo lineari, incurvato. *Carina* albido-rubeſcens, reniformi-triangularis, apice ſubconico, compreſſo, adſcendente, baſi antice & pone fiſſa, alis fere longior; ungvibus 2 parvis. *STAM. Filam.* 10, in vaginam tubulatam, ſuperne fiſſam, cuncta convexa, carinæ incluſa. *Anth.* ſubrotundæ, nutantes. *PIST. Germen* ſuperum, parviuſculum, virideſcens, ovatum, apice hirtum. *Stylus* filiformis, glaber, adſcendens, ſtaminibus longior. *Stigma* obtuſum.

PROPR. rec. radic. Sapor ſeminis Piſi ſiccati; *Odor* conſimilis; *maſticata* tenax, vix comminuitur, ſaliva non tincta; *Herbæ odor & ſapor* æquales, fere herbæ Piſi, ſed fœtidiuſculi; *maſticata* ſubtenerior, ſaliva viridi.

VIRTUS: diuretica, aperiens.

USUS. Iſchuria calculi veſicæ, Sarcocele.

OBS. 1. *Infuſum* radicis rec. limpidum, tenue, colore potus Theæ, ſapore ſeminis Piſi, gravi, odore congruente, gravi. *Decoctum* radicis rec. ingratum, amarum; vitriolo martis non demutatum. Infuſum herbæ recentis luteum Theæ inſtar, odore & ſapore debili; vitriolo martis fuſceſcens.

OBS. 2. Decoctum radicis Ononidis inſignem levationem afferre ſæpius vidi in *Iſchuria* ex calculo veſicæ, ubi emulſiva omnia atque mucilaginoſa incaſſum adhibita fuere. Radicis drachmæ 3 vel 5, in aqua pura elixatæ, colaturæ libr. 1 reſponderunt. In *Sarcocele* etiam radix hæc commendatur. Vidi ego ſenem nobilem, qui per plures ſeptimanas ſumſit radic. drachm. 1, bis de die, cum notabili decreſcentia ſarcoceles, tandemque laudabili reſolutione. Cel. Ol. Acrel, qui ampliſſimam

mam praxin feliciter exercet, tres ægros, hydroſarcocele afflictos, poſt uſum radicis Ononidis reſtitutos vidit, & quidem plenaria reſolutione. Horum unus tumorem teſticuli habuerat, magis ad hydrocelen vergentem, ſubopacum tamen. Verum eſt quod aſſerit ALEX. PSISTERUS, radicem Ononidis interdum valde movere ægrotos, quod ipſe etiam obſervavi.

378. PHASEOLUS caule volubili, racemis multifloris, bracteis pedicellorum ſolitariis ovatis, leguminibus linearibus.

Phaſeolus vulgaris. LINN. *Sp. pl. 1016. Mat. m. 351.* LOBEL. *Icon. 59.*

Dolichus ſ. Phaſeolus. DOD. *Pempt. 509.*

Smilax hortenſis ſ. Dolichos. DALECH. *Hiſt. 474.*

Culinis PHASEOLI Legumina virentia, Semina.

Locus. India. Colitur ubique in hortis. *Annuus.*

FORMA. rec. Racemi axillares, pubeſcentes, ſolitarii, erecti, multiflori, fructibus geminis, quadrijugis, pedicellatis. *Bracteæ* ſolitariæ, glabræ, pedicellis ſubjectæ, ſeſſiles, ovatæ, acutæ, concaviuſculæ, ſtriis parallelis, patentes, apice inflexæ; ad calyces vero 2 oppoſitæ, reliquis conformes, obtuſæ, ſubpatentes, calyce longiores. *Perianth.* campanulatum, ore ſuperne truncato, inferne tridentato: laciniis ovato-acutis; intermedia paullo majore. *Legumina* pendula, fragilia, ſpithamæa, viridia, linearia, recta, dorſo groſſius repanda, glabra, ſed minutiſſime oblique & interrupte ſtriato-rugoſa, verſus baſin paullulum attenuata, apice terminata mucrone conico-ſubulato, transverſim compreſſo, incurvato; immatura multilocularia, carnoſo-ſucculenta; ma-

tura coriacea, polyſperma. *Semina* matura nitidiuſcula, alba, ovali-oblonga, reniformia, utrinque compreſſo-planiuſcula, hilo albo in ſinu, obducta tunica pergamena; *parencymate* albo, cotyledoneo, bipartibili.

PROPR. rec. leguminum: Odor crudus, h. e. moderate ſubhircinus; *ſapor* dulceſcens, ſubnauſeoſus; *maſticata* ſubtenera, ſuccoſa, ſaliva ſubvirideſcente. *Cocta* tenera, ſapida. *Seminum* maturorum *ſapor* ſeminis Piſi.

OBS. Semina hujus generis, matura ſiccataque, *amylum* dant, uti ſemina Piſi; cocta & comeſta, nutriunt bene, tamquam Piſa, ſed flatulenta non ſunt.

379. PHASEOLUS caule volubili, racemis multifloris, bracteis pedicellorum ternis lanceolatis, leguminibus acinaciformibus hirtis.

Phaſeolus puniceo flore. CORNUT. *Canad.* 184.

Culinis PHASEOLI FLORALIS Legumina virentia.

Locus. Colitur in hortis. *Annuus.*

FORMA. rec. Racemi axillares, elongati, multiflori, leguminibus geminis, pedicellatis. *Bracteæ* 3, parvæ, lanceolatæ, acutæ, ad pedicellos, glabriuſculæ; quarum exteriores reflexæ; intermedia erecta, paullo major; calycum vero 2 oppoſitæ, calycis baſi utrinque adnatæ, lineari-ovales, calycis longitudine. *Perianth.* campanulatum, truncatum, ore ſubbilabiato, ſuperne emarginatum, inferne minutim tridentatum. *Legumina* pendula, acinaciformia, compreſſa, utrinque attenuata, apice acuto, transverſaliter compreſſo, ſubtus ſulcato; minutim rugoſa, villoſo-hirta, dorſo tuberculata, bipollicaria vel ultra, triſperma.

PRO-

PROPR. rec. Odor ſubhircinus. *Sapor* dulceſcens, odori congruens; *maſticata* parencymate tenero, corticali parte tenaciore, ſaliva ſubvirideſcente; *cocta* priori ſapidiora.

VIRTUS &
USUS, ut in antecedente.

380. PHASEOLUS caule ſubvolubili, pedunculis axillaribus, quadrifloris, calycibus ſuperne truncatis

Culinis PHASEOLI SACCHARATI Legumina virentia, Semina.

Locus. Colitur in hortis. *Annuus.*

FORMA. rec. Pedunculi teretes, axillares, erecti, quadriflori, pubeſcentes. *Bracteæ* ovatæ, acutæ, nervoſo-ſtriatæ, glabræ, patentes, pedicellis ſubjectæ, ſolitariæ; 2 vero oppoſitæ calyci ſubjectæ, reflexo-patentes, calyce majores. *Perianth.* glabrum, parviuſculum, truncatum, ſubtus paullulum productum, tridentatum. *Legumen* carnoſo-ſuccoſum, fragile, teretiuſculum, utrinque compreſſum, apice mucronatum: mucrone transverſaliter compreſſo, utrinque ſulcato; palmare, incurvatum, atomis oblongiuſculis minutim ſubrugoſum, ceterum glabrum, pentaſpermum. *Semina* ovata, ferruginea, utrinque truncato-rotundata, compreſſa, glabra, nitidiuſcula, ſemiungvicularia, hilo laterali, oblongo; *parencymate* albo, bipartibili.

PROPR. rec. legumin. Odor ſubhircinus; *ſapor* dulceſcens, ab odore non abludens; *cocta* tenera, ſapidiora.

VIRTUS &
USUS, ut in antecedentibus.

881. PHASEOLUS caule brevi erectiuſculo diffuſo, pedunculis oppoſitifoliis, calycis labio ſuperiore emarginato.

Phaſeolus nanus. LINN. *Sp. pl. 1017.*

Phaſeolus vulgaris italicus humilis ſ. minor, albus cum orbita nigricante. BAUH. *Hiſt.* 2. *p.* 358.

Culinis PHASEOLI NANI Legumina virentia, Semina.

Locus. India. Colitur in hortis. *Annuus.*

FORMA. rec. Pedunculi oppoſitifolii, erecti, teretes, pubeſcentes, nudi, multiflori, 4-vel 6-flori, leguminibus geminis, diſtantibus, pedicellatis. *Bracteæ* ovatæ, acutæ, glabræ, nervis parallelis ſtriatæ, patentes, ad pedunculos ſolitariæ, ad calycem vero oppoſitæ, calyce longiores. *Perianth.* perſiſtens, urceolatum, viride, vix pubeſcens, ſuperne emarcidum, bilabiatum: labio ſuperiore obſoleto, emarginato; inferiore longius producto, tridentato. *Legumen* carnoſum, ſuccoſum, fragile, viride, lineare, ſpithamæum, undique minutim rugoſum, ſubleviuſculum, utrinque compreſſum, ſutura longitudinali dorſali, apice acuminato: acumine inflexiuſculo, conico, ſupra & infra ſulcato; bivalve, polyſpermum. *Semina* 6, ovato-cylindrica, ungvicularia, vix reniformia, utrinque obtuſo-rotundata, colore ſordide albo, picta venis obſoletis non elevatis, glabra, nitidiuſcula; *parencymate* cineraſcente, bipartibili.

PROPR. rec. legumin. Odor moderate ſubhircinus; *ſapor* dulceſcens, ſubnauſeoſus; *cocta* tenera, ſapida. *Semin.* ſapor idem qui ſeminis Piſi.

VIRTUS &

USUS ut in antecedentibus.

OBS.

OBS. *Amylum* ſeparavi ex hiſce ſeminibus, albiſſimum, inter digitos crepulum, pulcherrimum, videlicet amyli grana 48 e ſeminum unc. I.

382. DOLICHOS urens. LINN. *Sp. pl. 1020.* JACQUIN *Hiſt. 202. t. 182. f. 84.*

Phaſeolus ſiliquis latis hiſpidis rugoſis, fructu nigro. PLUM. *Icon. t. 107.*

Pharm. DOLICHI URENTIS lanugo.

Locus. America meridionalis. *Frutex.*

FORMA. Scabrities leguminum, conſtans e pilis ſubulatis, rigidiuſculis, ſubpungentibus.

PROPR. Odor nullus, neque *ſapor.*

VIRTUS: irritans, ſtimulans, anthelminthica.

USUS. Lumbrici.

OBS. Fide cl. BANCROFT (*) hoc novum ſimplex excito; ſed ex propria experientia nihil habeo quod ſcribam. Secundum hunc virum, incolæ totius Gvianæ, potiſſimum ſervi nigritæ, lumbricis inteſtinalibus vexantur, adverſus quos nullum aptius antidotum inventum eſt, quam lanugo Dolichi, quæ a leguminibus abradi debet, & cum Syrupo quodam in Electuarium redigi, cujus doſis adultis eſt uncia I vel plures, quovis mane per triduum, ſumto inſimul Rheo. Medium hoc æque tutum ipſis infantibus eſt, doſi nimirum ad ætatem aptata. Poſt ſecundam doſin propinatam, vim lumbricorum communiter excernere ſolent. Quovis tertio aut quarto menſe curam hanc iterant. Millenis caſibus uſum hujus lanuginis comprobatum vidit BANCROFT. Agit ſtimulatione & irritatione, vermibus moleſta, qui ideo ex ſumto purgante facile profligantur. Video cl. PATR. BROWNE hanc curam etiam commemorare.

383.

(*) *Naturgeſchichte von Gviana, p. 241.*

383. DOLICHOS Soja. Linn. *Sp. pl. 1023. Mat. m. 363.*

Soja-bôna. *K. Vet. Acad. Handl. v. 25. p. 272.* t. 9.*

Phaſeolus erectus, ſiliquis Lupini, fructu Piſi majoris candido. Kæmpf. *Amœn. p. 837. t. 838.*

Culinis SOJA.

Locus. India; Japonia. *Annuus.*

FORMA. Liquor fuſco-niger, opacus, vini meracioris ſpiſſitudine, cum aqua dilutus rubro-aurantius evadens.

PROPR. Odor exacte ut Rob Sambuci; *ſapor* ſalſus, obſcure ſubpingviuſculus, in Rob Sambuci incidens; vitriolum martis colorem liquoris non demutat.

VIRTUS: appetitum excitans.

USUS. Cibi condimentum.

OBS. 1. Ex obſervatione cl. Ellis (*), Sojam ſequenti modo præparant Chinenſes: Rc. Sem. Daidſu (h. e. Dolich. Sojæ) cong. 1. Coquantur in aqua quoad molleſcant; admiſceatur Tritici vel Hordei contuſ. anatica pars. Stent in vaſe clauſo per nycthemeron, loco tepido, ut fermententur. Tum addantur ſalis culinaris cong. 1 & aquæ puræ cong. 2 ß. Tota hæc mixtio vaſi fictili immittatur, quod probe obturetur, & per 2 vel 3 menſes quovis die bis vel ter bene quaſſetur, ut omnia eo melius commiſceantur. Poſtea coletur cum expreſſione liquor, qui in vaſe ligneo deinde aſſervari debet. Quo vero antiquior, eo præſtantior evadit hæc Soja. Reſiduo iterum plus aquæ affundi poteſt, ſubſequente nova eademque valida quaſſatione; ſic aliquanto poſt plus Sojæ denuo exprimi poteſt. Alium

(*) *American philoſ. transact. vol. 1. p. 259.*

Alium præparandi modum docuit cl. CAROL. G. EKEBERG (*), e China redux, qui ita ſe habet. Rc. Sem. Pactau (h. e. ſem. Dol. Sojæ, prout vidi in ſeminibus ab hoc viro allatis & ſatis) libr. 35; per horas 2 vel 3, in aheno clauſo, igne moderato, in aquæ puræ, ſenſim adjectæ, ſ. q. coquantur, quoad ſemina hæc digitis facile comprimi poſſint. Exemta ex aqua ſemina in cribro reponantur, ut aqua liberentur; adhuc vero humida convolvantur in farina ſeminum Pactau, ut eadem quaſi incruſtentur. Tum rare extendantur ſupra lamellas pertuſas, in cophino aperto diſponendas, ſitu horizontali, alia ſupra aliam, ad diſtantiam pollicis unius cum dimidio, quo facto cophinus iſte circumtegatur ſtorea quadam vel panno, atque ita relinquatur, dum ſemina multo obducantur mucore, id quod tridui vel quatridui ſpatio fieri ſolet. Poſtea, remoto hocce tegumento, aëri primum, deinde vero ardori ſolis vel furni calori exponantur dicta ſemina, dum in tantam duritiem exaruerint, ut ad mallei ictum diſſiliant. Poſthinc ea inter manus fricentur, quoad tota cruſta farinæ, mucore imbuta, ſecedat, quæ tunc in unam amphoram, vel etiam plures urceos, injiciatur, eique ſuperinfundatur lixivium ſalinum limpidum, e ſalis culinar. libr. 20 & aquæ puræ libr. 100 paratum. Hi demum urcei quovis die in ſole collocari debent aperti, quavis autem nocte obturari, ne pateant frigori aërisque humiditati; & vero ſolis defectu in loco calido poni poſſunt, ubi ſtent per 6 ſeptimanas, ut extractio rite procedat. Poſtquam lixivium ſalinum fuſcum evaſit, decantari debet, & per unam alteramve ebullitionem ad debitam conſiſtentiam leniter evaporari. Nonnullis placet aromata addere.

OBS. 2.

(*) *K. Vetenſk. Acad. Handl. vol. 25. p. 38.*

OBS. 2. Soja apud nos in menſis opulentiorum adhibetur, & embammatibus immiſcetur, unde ſapor exaltatur apud carnes, piſces &c.

884. PISUM ſativum. LINN. *Sp. pl.* 1020. *Mat. m.* 352.

Piſum. BLACKW. *Herb. t.* 83. CAMER. *Epit.* 213. DALECH. *Hiſt.* 450.

Culinis: PISI Legumina virentia, Semina.

Locus. Europa in agris, ſeritur ubique. *Annuum.*

FORMA. rec. Legumina 2 vel 3, pedunculata, pendula, immatura, carnoſo-ſucculenta, fragilia, acinaciformia, ſubincurvata, glabra, lucidiuſcula, dorſo recta, inferne antice paullulum attenuata, utrinque acutiuſcula, apice terminata *ſtylo* perſiſtente, ſuperne barbato, baſi infima veſtita *Perianthio* perſiſtente, campanulato, glabro, 5-fido. *Vagina* ſtaminum perſiſtens, emarcida, intra calycem. *Semina* 5 vel 7, breviter pedicellata; *immatura* ovali-ſubturbinata, glabra, pallide virideſcentia, ſuccoſa; *matura* duriuſcula, ſphærica, alba, undique lævia, hilo laterali, furcato, *parencymate* cotyledoneo, dilute luteſcente, bipartibili: lobis conniventibus; transverſaliter ſecto æquali, uniformi, intra tunicam ſubpergamenam.

PROPR. rec. Legumin. immatur. *Odor* moderatus; *ſapor* dulceſcenti-herbaceus, odori congruens; *maſticata* teneriora, ſubcrepula, comminuuntur, extrahuntur, ſaliva ſubvirideſcente; *cocta* tenera. *Seminum* matur. *Odor* vix ullus; *ſapor* ſubdulceſcens; *maſticata* comminuuntur, ſapore validiore ſubingrato, ſolvuntur fere, ſali-

liva emulſiva; *cocta* ſapidiora, magis dulceſcentia, odore alimentari.

VIRTUS: legumin. nutriens, eccoprotica. *Semin.* fortius nutriens, ſubflatulenta.

USUS: culinaris.

OBS. 1. Piſi ſemina integra, baln. m. in aqua fontana digeſta, emolleſcunt, mole tument, & *infuſum* dant aqueo-ſubcitrinum, odore alimentari, ſapore dulceſcente, vitriolo martis nil demutatum. Si vero hæc ſemina in aqua fluviatili ſ. lacuſtri coquuntur, dum penitus molleſcant & ſponte rumpantur, elicitur cotyledonea pars & cum aqua miſcetur; unde *Decoctum* ſaturatum ſpiſſum evadit; ſed dilutius decoctum opaleſcit, quamdiu calet, refrigeratum vero ſubſidit, ſcilicet cotyledonea pars fundum petit, ſupernatante liquido dulceſcente, ſeri lactis facie. Sic non ſolvitur cotyledonea pars perfecte in aqua, verum in minimas particulas reſolvitur & commiſcetur cum aqua. Si decoctum ſaturatius Piſorum vitri lateri illinitur, vitrum deprehenditur obfuſcatum atomis ſubrotundis, diſcretis, ſubpellucidis. Piſi ſemina plurimum mucilaginis continent, quod e decocto Piſorum præcipitatur cum alcohole vini & omnibus ſalibus imperfectis, ſive baſis ſit terrea, ſive metallica. Hinc ratio elucet, cur Piſa ad mollitiem non poſſint elixari in aqua puteali, quæ ſæpiſſime ejusmodi ſale fœcunda eſt. Vitriolo martis decoctum Piſorum coagulatur, non fuſceſcit. Si ſemina Piſi ſiccata cum aqua frigida contunduntur, *Emulſionem* dant lacteo-ſubluteſcentem, ſpiſſiuſculam, perſiſtentem, quæ, virgula agitata, ſpumeſcit, tamquam ſolutio ſaponis: ſpuma alba, copioſa, tardiſſime extingvibili. Hæc emulſio ſapore eſt dulceſcente, inſimul leniter ſubamaricante, Piſi ſapori congruente. Non alteratur ex affuſa ſolutione ſalis culinaris, vel ſpiritu vitrioli, ſed præcipitatur cum alcohole vini & ſolutione

aluminis. Sub contuſione Piſorum in emulſionem, amylacea pars ſecedit, & tandem ad fundum ſubſidit *Amylum* pulchrum, album, inter digitos crepulum, frumentorum amylo ſimile, in aqua coctum gelatineſcens, bene glutinans. E ſemin. Piſi uncia 1 obtinui amyli drachm. 2. Piſi ſemina, pulverata, in *farinam* abeunt albo-luteſcentem. Hæc farina cum Tartaro cereviſiæ bene fermentatur, & dat *panem* perfectum, facie panis ſecalini, ſed ponderoſum, ſatis gratum dum recens, ſapore Piſorum dulceſcente, odore panis ordinarii, & dum maſticatur in ore ſolubilem; ſed per dies nonnullos ſervatum, ſiccum & non ſapidum. Requiritur tamen, ut paſtæ fermentatio ſit breviſſima, perinde ut de Hordeo dictum eſt. *Puls*, ex farina Piſorum in aqua leniter cocta, bene glutinat, dum chartæ illinitur. Ex dictis liquet, ſemina Piſi admodum *nutrire*, idque duplici principio, amylaceo nimirum & dulci. Certe experimentis mihi conſtitit, ſemina Piſi plus amyli largiri quam congeneres, quare etiam ea magis nutrire ſtatuo.

OBS. 2. Quandoquidem emulſio Piſorum adeo ſpumeſcens fuit, lintea mihi ſumſi ejus ope dealbanda. Inter lavandum ſpumeſcentia quidem ſolutionem ſaponis mentiebatur, ſed maculas non delebat, nec lintea adeo alba reddebat, uti ſolent ſapones. Nihilo tamen minus dubitari vix poterit, quin Piſa facultatem habeant ſaponaceam, ſiquidem, ut ſupra allatum eſt, pari modo ſe habent ad reagentia, atque verus ſapo.

OBS. 3. Reliqua ſemina hujus claſſis eſculenta, ut Phaſeoli, Viciæ, Ervi, cum aqua contuſa, pari modo, ac de Piſo dictum eſt, Emulſionem dederunt, quæ ad fundum depoſuit Amylum. Harum emulſionum potiſſimum amaricans fuit illa, quæ ab Ervo Lente parata erat. Phaſeolus ſaccharatus dulceſcentem emulſionem protulit, ut Piſum, ſed reliqui Phaſeoli emulſiones vix dulceſcentes ſtiterunt.

385. LATHYRUS tuberoſus. Linn. *Sp. pl. 1033.* Kniph. *Bot. orig. cent. 5.* Munt. *Aardgew. t. 193.*

Terræ glandes. Dodon. *Pempt. 540.*

Culinis GLANDES TERRÆ recentes.

Locus. Sibiria. In Belgio inter ſegetes conſeritur. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix tuberoſa, conica, ſæpe cylindrica, digitalis, apice germinans, veſtita cortice firmo, ex nigro fuſco; *parencymate* albo, firmiuſculo, æquali.

PROPR. radic. rec. Odor ſubaphrodiſiacus; *ſapor* leguminum virentium Piſi hortenſis, ſimul dulcis. *Coƈta* radix adhuc firmiuſcula; *maſticata* ſenſim ſolubilis, ſapore ſubleguminoſo.

VIRTUS: nutriens.

USUS: culinaris.

OBS. 1. Glandes terræ *amylum* dant pulcherrimum, album, coƈtione ex aqua gelatineſcens, bene glutinans. Amylum hæcce tubera copioſius largiuntur quam Solanum tuberoſum, namque horum tuber. libra 1 dat amyli unc. 3, dum ex pari pondere Solani tuberoſi vix amyli unc. 1 obtinetur. Sub extraƈtione amyli, aqua ſupernatans laƈteſcit.

OBS. 2. In culinis tubera hæc in aqua elixantur, & eduntur cum butyro recente, cute nigra detraƈta. Tartari ad Krasnojarſk ut alimentum primarium radices Lathyri tuberoſi adhibent; J. G. Gmelin.

386. VICIA Faba. Linn. *Sp. pl. 1039 Mat. m. 353.* Faba ſativa. Dalech. *Hiſt. 451.* Blackw. *Herb. t. 19.*

Bona ſ. Phaſeolus major. Dod. *Pempt. 504.*

Culinis & Pharm. FABÆ Flores, Legumina tenera, Semina.

Locus. Ægyptus. Seritur in agris & hortis. *Annua.*

FORMA. rec. Racemi parvi, axillares e foliis, 5-vel 6-flori, petiolis breviores. *Flores* ſubſeſſiles. *Bracteæ* nullæ, ſed margo parvus turbinatus. *CAL. Per.* tubulatum, cylindricum, album, glabrum, antice obſolete angulatum, 5-fidum: laciniis lanceolatis, acutis; 2 ſuperioribus brevioribus. *COR.* papilionacea, calyce duplo longior. *Vexillum* obovatum, obtuſum, erectum, concavum, carinatum: carina apice acuta, ſubreflexa; album, intus pictum ſtriis rubicundis, parallelis; ungve lato, elongato, in tubum convoluto. *Alæ* 2, vexillo breviores, albæ, cum macula maxima nigricante in medio alæ ſita; obtuſæ, dorſo convexæ, baſi antice ſemiſagittatæ, ungvibus linearibus. *Carina* alba, alis multum brevior, navicularis, triangulari-lunulata, concava, compreſſa, ungve lineari, baſi bifido. *STAM. Filam.* 10, coalita in vaginam cylindricam, rima longitudinali antice hiantem, ſuperne libera. *Anth.* ſubrotundæ, didymæ, hinc planiuſculæ, inde triſulcatæ, carinæ incluſæ. *PISTILL.* in carina juxta ſtamina reconditum. *Germen* lineare, minutim villoſum, viride, ſuperne albidum. *Stylus* ad angulum rectum flexus, ſubulatus. *Stigma* capitatum, penicillo barbæ obtectum. *Legumen* viride, glabriuſculum, lucidiuſculum, tereti-compreſſum, palmare vel ultra, ſubtoruloſum, ſutura utrinque marginali, baſi paullulum attenuatum, fulcitum calyce perſiſtente & emarcido, apice obtuſo-rotundatum cum mucrone conico ſubulato, incurvo, e ſtylo perſiſtente orto, ſæpe terminato ſtigmate reflexo; uniloculare, ſubtetraſpermum, bivalve: val-

valvis carnoſis: tomento ſpiſſo, ſpongioſo, ſuccoſo. *Semina* pedicellata, magna, reniformi-ovata, utrinque compreſſo-plana, glabra, alba, apice obtuſo rotundata, baſi obtuſa, utrinque gibboſa, hilo lineari notata, orto e pedicelli apice clavato-lineari, longitudinaliter ſemini adnato; *Parencyma* cotyledoneum, viride, intra tunicam firmam.

PROPR. rec. florum: Odor debilior, gratus; *Sapor* oleraceus; *maſticati* flores teneri, ſucculenti. *Legumin. odor* leguminis Piſi; *ſapor* conſimilis; *tenella* tenera, *cocta* ſapida. *Seminum* immaturor. *ſapor* dulceſcens; *maſticata* tenera, ſuccoſa, ſaliva virideſcente; ipſa tunica ſubſucculenta.

VIRTUS: legum. & *ſemin.* nutriens.

USUS: culinaris.

OBS. 1. Legumina tenella ſapida ſunt, pariter ac ſemina immatura. Coquuntur communiter hæc ſemina cum radice Dauci in aqua, & parantur cum butyro & Petroſelino. Solent etiam noſtri ſiccare hæc ſemina immatura, in aqua fervida antea citiſſime infuſa, atque demum in uſum hiemalem ſervare.

OBS. 2. *Amylum* album, & inter digitos crepulum, hæcce ſemina largiuntur, nimirum e ſemin. unc. 1 amyli gr. 75.

387. ERVUM Lens. LINN. *Sp. pl. 1039. Mat. m. 360.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 9.*

Lens major & minor. DALECH. *Hiſt. 475.*

Lens. DOD. *Pempt. 517.*

Culinis LENTIUM Semina.

Locus. Europa inter ſegetes. *Annuum.*

FORMA. ſicc. Semina ſubrotunda, utrinque compreſſa, margine undique acutiuſculo, lævia, cineraſcentia, magnitudine vix Piſi minoris.

PROPR. Odor vix ullus. *Sapor* ſeminis Piſi, ſubamaricans.

VIRTUS: nutriens.

USUS: culinaris.

OBS. 1. *Juſculum* e Lentibus, cum carne paratum, in culinis invaluit. A quibusdam præfertur juſculo e Piſis. Nutriunt Lentes pari fere modo ac Piſa, quantumvis minus dulceſcentes. Priſci Arabes multum ſibi ex Lentium ſeminibus ſperarunt in variolis, qua in re plures ex veteribus medicis aſſeclas habuere. Noſtra variolarum theoria nunc longe alia eſt.

OBS. 2. *Amylum*, quod ex hiſce ſeminibus obtinetur, album eſt & inter digitos crepulum; videlicet amyli grana 98 e ſemin. unc. 1.

388. CICER arietinum. LINN. *Sp. pl. 1040. Mat. m. 359.* DOD. *Pempt. 515.* CLEWB. *Frument. & legum. ſpec. in S. cod. V. T. memor. t. 1. f. 1.*

Cicer ſativum. DALECH. *Hiſt. 461.*

Cicer ſativum arietinum. LOB. *Hiſt. 519.*

Pharm. & Culin. CICERIS Semina.

Locus. Europa auſtralis, inter ſegetes. *Annuum.*

FORMA. Semina ſubrotunda, magnitudine ſeminis Piſi, alba vel rubra, poſtice ſulcato-depreſſa, antice breviter roſtrata; puncto excavato proxime ſub roſtro; elevato autem puncto ſubtus, longius a roſtro. *Parencyma* luteſcens, uniforme, cotyledoneum.

PROPR. eadem quæ ſeminis Piſi.

VIRTUS: nutriens.

USUS: culinaris.

OBS. 1.

OBS. 1. Hæc ſemina inde a priſcis temporibus culinaria fuerunt, & GALENUS de illis ſtatuit, quod validius nutriunt quam Faba. Apud veteres Romanos frequentiſſimi uſus erant pro cibo, & quidem plerumque ſimpliciter fricta in ſartagine ſicca, cum ſale modico, ſub qua forma etiam in theatris vendebantur plebi, qui Cicere fricto, dum fabulæ agebantur, famem ſedare ſolebat. Hodie etiamnum in culinis uſurpantur, & ſapida cenſentur; minus tamen increbuerunt in noſtris oris, quam in Europa auſtrali atque Oriente. In Barbaria a quibusque inter delicatiores cibos connumerantur, tamenetſi non aliter apparata ſunt, quam frigendo quoad colorem cinereum induant (*).

OBS. 2. Poſt ſemina Piſi, ſemina Ciceris validius nutriunt, quod, ex abundantia ſubſtantiæ amylaceæ apud hæc ſemina, concludo. Ex ſemin. Cicer. unc. 1 obtinui *amyli* albi & pulchri grana 102.

389. GLYCYRRHIZA glabra. LINN. *Sp. pl. 1046. Mat. m. 362.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 4.*
Glycyrrhiza ſiliquoſa. ZANNICH. *Venez. t. 160.*
Glycyrrhiza non echinata, ſcythica herba. DALECH. *Hiſt. 248.*
Glycyrrhiza. BLACKW. *Herb. t. 495.*
Pharm. LIQUIRITIÆ Radix, Succus inſpiſſatus.
Locus. Europa auſtralis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix ſarmentoſa, profunde deſcendens, ſub terra repens, ramis teretibus, extus ferrugineis, craſſitie pennæ anſerinæ, digiti minoris vel pollicis, inſtructis fibris radicantibus ſparſis; *parencymate* ſubcarnoſo, luteſcente, poſt ſectionem transverſalem notato centro medullari ſubrotun-

 do,

(*) SHAW *Voyage dans la Barbarie & le Levant, Tom. 1. p. 288.*

do, parviuſculo, diſco undique punctato, radiato-ſtriato: radiis a centro medullari ad peripheriam; conſtante ex circulis 2, quorum interior magis flaveſcit. *Siccata* radix dura.

PROPR. rec. Odor crudus, exacte leguminum rec. Phaſeoli vulgaris; *Sapor* intenſe dulcis, ſimul in legumen Piſi incidens; *maſticata* mucilaginoſa. *Siccatæ odor* nullus; *ſapor* intenſe dulcis; *maſticata* emollitur & ſubpulpoſa fit.

VIRTUS: edulcorans, pectoralis, ſitim extingvens.

USUS. Tuſſis, Arthritis, Rheumatiſmus.

OBS. 1. *Infuſum* rad. ſicc. aquoſum, frigide pariter atque calide paratum, luteſcens, odore nullo, ſapore intenſius dulci; vitriolo martis non demutatum ſecundum colorem, ſed turbidum fit. Extrahitur radix hæc menſtruo aquoſo & ſpirituoſo. Hujus radic. libræ 12 & unc. 8 ſimplici infuſione in aqua frigida dederunt Extracti ſicci libr. 2 & unc. 4; Baumé. Ut obſervat cl. vir, radix hæc, per ſucceſſivas infuſiones in aqua frigida, diverſa extracta dat; etenim quod per primam infuſionem obtinetur, extractum, flaveſcens eſt, ſapore dulci & grato; extractum vero ſecundæ infuſionis magis obſcurum eſt & minus dulce. Si autem reſiduum in aqua elixatur, obtinetur extractum nigrum, ſapore acri, vix dulci. *Decoctum* radicis Liquiritiæ aquoſ. acriuſculum eſt & nauſeoſum; hinc fortem non admittit ebullitionem hæc radix; hinc etiam in decoctis faciendis ſub fine ebullitionis addenda, vel potius infundenda.

OBS. 2. *Succus Liquiritiæ*, ex Hiſpania huc allatus, extractum eſt nigricans, lucidum, plaſticum, duriuſculum, in magdaliis, foliis Lauri obtectis, allatum. Odor vix ullus; ſapor Liquiritiæ. Solvitur in ore, ſalivam fulvam reddens; ſolvitur etiam in aqua & ſpiri-

ritu vini. In candelæ flammā vix accenditur, nec ſunditur in igne clauſo; neque facilius accenditur calefactus. Hiſpani eum parant ſequenti modo: radices recentes effodiuntur in menſe Julii, purgantur & ſuspenduntur in aëre, ut ſemiſicceſcant; tum conſcinduntur, & in aqua elixantur in decoctum ſaturatiſſimum, quod, quiete depuratum, poſtea in extractum inſpiſſatur, & in ſole ſiccatur.

OBS. 3. *Glycyrrhiza echinata* etiam radicem dulciſſimam gerit. Refert cl. Lerche, maximam quantitatem hujus radicis circa fluvium Volgæ quotannis colligi, unde tanta Succi Liquiritiæ copia, quanta pro toto imperio Ruſſico ſufficiat, in officinis Aſtracanenſibus apparatur (*).

390. INDIGOFERA argentea. Linn. *Mant.* 2. *p.* 273. *

Colutea fruticoſa argentea, floribus ſpicatis e viridi purpureis, ſiliquis falcatis. Sloan. *Jam.* 2. *p.* 37. *t.* 176. *f.* 3.

L' Indigo franc. Beauv. Raseau *Indigotier p.* 49. *. *t.* 1. *f.* 1. & *t.* 8. *f.* 1. March. *Hiſt. de l' Acad. des ſcienc.* 1718. *p.* 92. *c. fig.*

Pharm. *INDIGO COMMUNE.*

Locus. Colitur ubique in America. *Suffrutex.*

FORMA. *Maſſa* ſolida, ſubponderoſa, duriuſcula, homogenea, difficulter fragilis: fragmentis indeterminatis, rugoſis; violaceo-rubicunda, vix friabilis, inter digitos fricata illos cæruleo colore inquinans.

PROPRIET. *Odor* nullus; *ſapor* nullus; Indigo *maſticatum* comminuitur, ſaliva cærulea.

VIRTUS.

USUS: tinctorius.

(*) Cfr. Gmelin *Flor. Sibir. vol.* 4. *p.* 32.

OBS. 1. Indigo, in aqua pura digeſtum, non ſolvitur, verum inſolutum in fundo vaſis jacet, aqua ſupernatante colore luteſcente tincta. Sed ſi Indigo in oleo tartari p. d. vel alio lixivio alcalino digeritur, imperfecte ſolvitur: ſolutione cærulea; quod ſignum eſt ſolutionis imperfectæ; omnes enim colores cærulei vegetabiles cum alcali fixo trideſcunt; quorſum accedit, quod ſolutio hæc quiete præcipitatur. Addita calce viva, vel paſta panis acidi, ſub fermentatione excitata, paullo melius ſolvitur, ſed non tamen perfecte niſi in acidis. Sic in Spiritu vitrioli ſolvitur Indigo, ſub digeſtione: ſolutione belle cærulea; ſolvitur etiam in Spiritu nitri: ſolutione lutea. In acido ſalis non ſolvitur, nec in ſpiritu vini.

OBS. 2. Indigo eſt fæcula tinctoria, fermentationis putridæ ope generata e planta Indigofera. Præparatur maceratione plantæ recentis, ante infloreſcentiam collectæ, (ſubinde etiam ſiccatæ, pro diverſa methodo præparandi) in aqua fluviatili, cum ſubſequente fermentatione juſta, l. a. excitata, poſteaque ſtrenua agitatione liquaminis, herba prorſus liberati, in alio vaſe; quæ agitatio tamdiu durare debet, dum juſculum a magmate ſubtiliſſimo turbidum evaſerit, quod tandem, inſequente quiete, ſponte ſubſidit, fæculasque cæruleas efformat. De Indigo præparatione optime ſcripſit cl. DE BEAUVAIS RASEAU (*).

OBS. 3. *Indigoferam tinctoriam* LINN. *Sp. pl. 1061.* excitare debuiſſem, ſiquidem Indigo etiam ex illa paratur. Illud Indigo, quod in America producitur, communiter ex Indigofera argentea deſumitur, atque hoc in commerciis noſtris vulgatiſſimum eſt: Indigo autem orientale ex Indigofera tinctoria elaboratur. Parant Indigo ex pluribus ſpeciebus hujus generis, etiam in America, ubi Indigofera tinctoria pariter coli-

(*) *L' art de l' Indigotier.* Paris 1770. fol.

colitur. Javanenſes & Chinenſes Indigo præparant fermentationis ope, addita calce viva, ut obſervavit cl. Car. Gust. Ekeberg. Colligunt plantam recentem, ſed maturatam, quam in magnis lagenis cum calce viva collocant per ſtrata, ſuperaffuſa tandem aqua. Sic perficitur pigmentum cæruleum, quo ſtatim, & absque prævia ſiccatione, tingunt telas bombycinas. Nigritæ in Senegal ſuum Indigo ſine multis ambagibus præparant. Colligunt folia recentia, illaque in mortario contundunt in paſtam, unde formant globulos, quos deinde exſiccant & ſervant uſui. Cum tingere volunt, hos globulos emolliunt & ſolvunt in lixivio alcalino, parato ex cineribus Seſuvii Portulacaſtri Linn. Sic obtinent lixivium tinctorium cæruleum, quo frigide tingunt, pannos ſemel, bis vel ſæpius immergendo, prout dilutiorem ſeu ſaturatiorem volunt colorem; Adanson (*). Relatio de plantatione, collectione & exſiccatione Indici, vulgo *Indigo* dicti, prout in regione Tſinſie & vicinis locis exerceri ſolet; pariter ac alia relatio, qua ratione optimum & genuinum Indicum in oris ſupradictis paretur; legi poſſunt in extenſo apud Valentini (**). En contentorum ſynopſin. Folia ante non colligenda, quam ſemina produxerit planta. Tunc caute reſecandi ramuſculi, nec prope caulem amputandi, ne fruticulus emoriatur. Ramuſculi ſic reſecti primum ſiccandi, dein baculis triturandi, ut folia ſecedant, tum de novo fuſtiganda ſunt folia, ut comminuantur, quæ poſtea in locis clauſis, ventis minus perviis, in acervos cumulanda, qui bene undique integumentis obtegi debent, ſicque per 20 vel 25 dies relinqui, ut apta fiant præparationi Indici. Folia ſic præparata infunduntur in aqua frigida, nullo diſcrimine habito ſive ſit ſalſa ſeu dulcis, modo limpida, atque probe concutiuntur. Hæc ma-

(*) *Hiſt. nat. du Senegal, p. 165.*

(**) *Ind. literat. p. 481. 482. ſeq.*

maceratio debet fieri in ſummo ſolis calore, quoad folia intumeſcant, & ſubſtantiam quandam viſcidam, inſtar fæcis fermenteſcentis, ejicere incipiant, quod communiter intra 4 horas fit. Tum coletur infuſum per linteum, reſiduum vero novam iterum ſubeat macerationem, usquedum omne colorans prorſus fuerit extractum. Poſtea debet infuſum bene agitari & quasſari, non aliter ac cum lacte bubulo fieri ſolet in vaſe butyraceo. Exſurgit tunc ſpuma, initio pallide purpurea, poſt ſucceſſive albidior, tandem vero in colorem cæruleum abiens; ipſum vero infuſum prorſus atrum ſ. nigricans apparet. Subſequente demum quiete, fæculæ ſubſidunt, quæ, exſiccatæ, bonum & perfectum Indigo conſtituunt.

OBS. 4. Dum vaccæ planta Indigofera veſcuntur, earum lac colorem cæruleum induit; GARDEN (*).

391. ASTRAGALUS Tragacantha. LINN. *Sp. pl. 1073. Mat. m. 358.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 3.*
Tragacantha maſſilienſis. DUHAM. *Arbr. 2. p. 344. t. 100.*
Tragacanta alpina ſempervirens, floribus purpuraſcentibus. GARID. *Aix. p. 469. t. 104.*
Tragacantha orientalis veſicaria, erectior, caule ab imo ad ſummum florido. RUSS. *Alep. t. 5.*
Tragacantha altera, Poterium forte. CLUS. *Hiſt. 108.* DUHAM. *Arbr. 2. p. 344. t. 101.*
Tragacantha. BLACKW. *Herb. t. 264.* DOD. *Pempt. 739.*
Pharm. TRAGACANTHÆ Gummi.
Locus. Europa auſtralis, Oriens. *Frutex.*

FORMA. Gummi pallidum, ſubdiaphanum, læve, facie cornea, leve, ſubſplendens, fragile, po-

(*) *Philoſ. transact. vol. 50. p. 296.*

polymorphum: fruſtulis compreſſis, communiter flexuoſis ſ. intortis, ſæpe anguſtis, lineari-vermiformibus, ſæpe in grumulis oblongis ſ. ſubrotundis.

PROPR. Odor nullus. *Sapor* nullus; *maſticatum* durum, comminuitur, plenarie ſolvitur. In ore retentum absque maſticatione, emollitur, tardius ſolvitur. G. Tragacanthæ in ignis flamma tardius accenditur, flagrat difficulter: flamma parva, cæruleſcente; intumeſcit, niſi probe antea ſiccatum, nigreſcit, odorem ſpargit fere lintei accenſi. Accenſum, ignem diu retinet, ſed deflagratum abit in favillam impalpabilem, albiſſimam, cum ſpiritu vitrioli efferveſcentem. In igne aperto, vaſe ferreo, nigreſcit, non accenditur, ignitum fit; admota vero flamma, mox accenditur & flagrat: flamma ſatis vivida, cærulea, quæ, ſponte extincta, maſſam ignitam refert, ſatis diu perſiſtentem, relicta favilla. Gummi hoc non ſolvitur in oleis, vel ſpiritu vini, ſed ſatis facile in aqua, tamquam reliqua gummata; largam tamen aquæ copiam ad ſui ſolutionem requirit.

VIRTUS: demulcens, obtundens, incraſſans.

USUS. Dyſenteria, Diarrhœa, Stranguria.

OBS. 1. Gummi Tragacanthæ, aquæ frigidæ immiſſum, brevi mucore quaſi obductum conſpicitur, dein ſenſim intumeſcit, vertitur in *gelatinam* albidam, ſubdiaphanam, glutinantem, quæ, cum aqua ſupernatante agitata, flocculos natantes aquæ immiſcet. Idem etiam accidit in calore balnei. Decoctione perfectius ſolvitur: ſolutione opaleſcente, velut decoctum Hordei tenuius, ſpiſſiuſcula, ſapore mucilaginoſo, fatuo.

OBS. 2. Multo fortius eſt hoc gummi, quam G. arabicum, ſc. ut 1 ad 24. Etenim dum G. Tragac. ſcrup.

ſcrup. 8 aquæ puræ libr. 2 in conſiſtentiam Syrupi redigunt, requiruntur G. arab. unc. 8 ad eundem effectum præſtandum.

OBS. 3. Gummi Tragacanthæ tranſudat in Oriente, menſibus æſtivalibus, ab ipſa ſubſtantia ligni, ſub ſpecie ſucci gummoſi, & deponit ſe in poroſitate corticis, unde ſponte exprimitur, & in aëre indureſcit ſub forma grumulorum vermiformium, vel laminularum tortarum; TOURNEFORT.

392. TRIFOLIUM Melilotus officinalis. LINN. *Sp. pl.* 1078. *Mat. m.* 355. KNIPH. *Botan. or. cent.* 7.

Melilotus. BLACKW. *Herb. t.* 80.

Trifolium odoratum ſ. melilotus. DODON. *Pempt.* 557.

Pharm. *MELILOTI* Herba, Flores, Semina.

Locus. Europa, Virginia. *Bienne.*

FORMA. *rec.* *Radix* annua, fuſiformis, fibrilloſa, extus pallida, intus alba. *Caules* plures ex una radice, erecti, bi-vel tripedales vel ultra, teretes, glabri, virides, angulis tribus inſtar linearum elevatarum, a ſingulo ramo decurrentibus, parallelis, remotis; ramoſus. *Rami* alterni, erecti, angulati, glabri, ſtriati. *Folia* alterna, petiolata, ternata; foliolis ovali-oblongis, apice truncatis, margine acute ſerratis, ſubpollicaribus, utrinque glabris, ſupra obſcure viridibus, ſubtus pallidioribus, nervis tenuibus ſuboppoſitis, a coſta obliquis; 2 inferioribus ſubſeſſilibus; intermedio paullo majore, petiolato, petiolelli apice ſurſum flexo. *Petioli* ſuperne ſulcati, baſi ovati, concaviuſculi, amplexicaules. *Stipulæ* 2, oppoſitæ, lineari-ſubulatæ, parvæ. *Racemi* florum axillares, pedunculati, erecti, ſubcy-

cylindrici, nudi, pubeſcentes, ſecundi, floribus pedicellatis, nutantibus. *Bracteæ* parvæ, lineari-ſubulatæ, ſubpiloſæ, ad pedicellos ſolitariæ, illisque breviores. *CAL. Perianth.* campanulatum, parviuſculum, minutim pubeſcens: ore 5-fido, acuto, erecto. *COR.* lutea, calyce triplo longior. *Vexillum* obovatum, obtuſo-rotundatum, emarginatum, planum, carinatum, ſubrevolutum, ungve concavo. *Alæ* 2, lineares, obtuſæ, longitudine vexilli, baſi ſemiſagittatæ. *Carina* navicularis, dorſo convexa, longitudine fere alarum, ungve lineari. *STAM. Filam.* 10, ſimplex & novemfidum, carinæ incluſa. *Anth.* ſubrotundæ. *PIST. Germen* lineari-ovale, utrinque acutum, virideſcens, compreſſum. *Stylus* ſubulatus, longitudine ſtaminum. *Stigma* ſimplex. *Legumen* pendulum, calyce longius, ovale, utrinque acutum, dorſo convexum, antice margine acuto, undique rugoſum, uniloculare, diſpermum. *Semina* ſubrotunda.

PROPR. rec. Odor ſvaveolens, in Aſperulam odoratam incidens; *ſapor* herbaceus, amaricans, ſimul in Piſum incidens. *Sicc.* fere conſimilis; odor paullum fortior.

VIRTUS: reſolvens, ſubemolliens, anodyna.

USUS: externus.

OBS. *Infuſ.* aquoſ. luteſcens, odore grato ambroſiaco, ſapore conſimili amaricante; vitriolo martis fuſco-viride.

393. TRIFOLIUM repens. LINN. *Sp. pl.* 1080. *Mat. m.* 354. RIVIN. *Tetrap.* 17.

Pharm. TRIFOLII ALBI Flores.

Locus. Europa, in paſcuis. *Perenne.*

FOR-

FORMA. rec. Florum *umbella* ſimplex, longius pedunculata, capitato-globoſa. *Pedicelli* teretiuſculi, uniflori, ſuperiores ſenſim longiores. *Bracteæ* ſolitariæ, parvæ, membranaceæ, ovato-oblongæ, acuminatæ, pedicellis breviores. *CAL. Per.* 1-phyllum, albidum, 10-angulatum, 5-fidum: laciniis ſubulatis, ſubæqualibus; 2 ſuperioribus paullo longioribus. *COR.* alba, papilionacea. *Vexillum* ovale, obtuſum, calyce multo longius, planum, ſubcarinatum, ungve oblongo, concavo. *Alæ* 2, ſubobovatæ, obtuſæ, ſemiſagittatæ, vexillo breviores, ungvibus linearibus. *Carina* navicularis, carinata, acutiuſcula, longitudine alarum. *STAM.* diadelpha, ſimplex & 9-fidum, profunde diviſum, in carina recondita. *Anth.* ovales, didymæ, incumbentes. *PIST. Germen* lineare, rudimento ſeminum 4, viride, glabrum. *Stylus* ſubulatus, apice incurvus, ſtaminibus longior. *Stigma* obtuſum.

PROPR. rec. & *ſicc. Odor* melligineus; *ſapor* vix ullus.

VIRTUS: reſtringens.

USUS.

OBS 1. *Infuſ.* aquoſ. flor. ſicc. aqueo-citrinum potus Theæ inſtar, odore nullo, ſapore amaricante; cum vitr. martis nigro-fuſcum.

OBS. 2. Ut euporiſton contra Leucorrhœam, a mulierculis adhibentur hi flores in infuſo.

394. TRIGONELLA Fœnum græcum. LINN. *Sp. pl. 1095. Mat. m. 356.*

Fœnum græcum ſativum. DALECH. *Hiſt. 480.* CAMER. *Epit. 199.* DOD. *Pempt. 526.* BLACKW. *Herb. t. 384.*

Pharm. *FOENUGRÆCI* Semina.

Locus. Europa auſtralis. *Annua.* FOR-

FORMA. *Semina* oblonga, teretiuſcula, compreſſiuſcula, utrinque truncata, glabra, brunnea, undique adſperſa atomis excavatis, inciſura laterali utrinque ſtria depreſſa decurrente, magnitudine ſeminis Cannabis vel ultra; *parencymate* cotyledoneo, luteſcente: cotyledone bifido, laciniis ovalibus, obtuſis, baſi cylindrica, inflexa.

PROPR. *Odor* fragrans, ungventaceus. *Sapor* ſeminis Piſi, odori congruens; *maſticata* mucilaginoſa.

VIRTUS: emolliens.

USUS: externus; Clyſmata.

OBS. 1. Semin. Fœnugræci drachm. 1, in aquæ fervidæ unc. 6 infuſa, *infuſum* dederunt agitatione ſpumeſcens: ſpuma alba; luteſcens, vix mucilaginoſum, odore debili itemque ſapore. Si vero plus ſeminum ſumitur, fit *mucilago* ſpiſſa, quæ ab adjecto vitriolo martis vix fuſceſcit.

OBS. 2. Fœnum græcum apud veteres Romanos culinare fuit. Parabatur cum garo, oleo & vino; Apicius Coelius (*). Nunc temporis equinum medicamentum.

(*) *De arte coquinaria*, p. 159.

CLASSIS XVIII.

POLYADELPHIA.

ORDO

PENTANDRIA.

395. THEOBROMA Cacao. LINN. *Sp. pl. 1100. Mat. m. 364.* JACQUIN *Obſerv. 1. p. 2.* *
Cacao Cluſii. MERIAN. *Surin. p 26. t. 26. & 63.*
Cacao. SONNERAT *Nouv. Guin. p. 101. t. 61.* SLOAN. *Hiſt. 2. p. 15. t. 160.* CATESB. *Carolin. 3. p. 6. t. 6.* BLACKW. *Herb. t. 373.* ANON. *Hiſt. nat. de Cacao. p. 3. t. 1.*
Arbor cacavifera americana. PLUKEN. *Almag. 40. t. 268. f. 3.*
Cacaotier ou cacoyer. LABAT *voy. aux iſl. amer. t. 6. p. 1. t. 1.*
Pharm. CACAO Fructus; Oleum.
Locus. America meridionalis, locis depreſſis, umbroſis. *Arbor.*

FORMA. Nuclei ovato-oblongi, utrinque obtuſi, utrinque compreſſi, magnitudine nucis avellanæ, incluſi cortice papyraceo, cinereo-olivaceo, fragiliuſculo; *parencymate* cotyledoneo, pingvi, fuſco-nigricante, violaceo, conſtante e lobulis intortis & conniventibus, tenui pellicula interſtinctis.

PROPR. ſicc. Odor vix ullus, niſi nuclei toſti, & tunc debilis; *Sapor* pingviuſculus, leniter ſubadſtringens, amaricans, ſatis gratus; *maſticati* nuclei comminuuntur, in ore ſenſim ſolvuntur: ſali-

ſaliva fuſco-brunnea. Hi nuclei, ignis flammæ admoti, accenduntur, flagrant: flamma luminoſa, non fumante, vix fuliginoſa.

VIRTUS: nucl. nutriens, leniter reſtringens; *olei*: relaxans.

USUS. nucl. diæteticus; Alvus laxa. *olei*: Rhagades, Hæmorrhoides cæcæ.

OBS. 1. *Decoctum* ſaturatum nucleorum *crudorum* fuſco-brunneum, amaricans, turbidum; dilutum vero rubicundo-ſubpurpuraſcens; cum vitr. martis fuſco-nigreſcens. Decocti guttæ 10, aquæ unciæ ß inſtillatæ, addito vitr. martis, colorem fuſco-virideſcentem reddiderunt. Nuclei *multum uſtulati* Decoctum dant ſaturate rubrum, empyreumaticum, ſapore amaricante, & odore in oleum animale incidente.

OBS. 2. Nuclei Cacao recentes in ſolo natali triplici modo *oleum* dant, nempe deſtillatione, expreſſione & decoctione. Oleum *ſtillatitium* duplex obtinetur: alterum craſſius, rubicundum, ſubbutyraceum; alterum tenue, albidum, volatile, plus minus empyreumaticum; *expreſſum* liquidum, circiter unc. 2 e nucleor. libr. 1; *coctum* butyraceo-ſebaceum, ſubbrunneum, ſed repetitis lotionibus in aqua calida album, ætate in ſebum ſe inſpiſſans, vix ranceſcens. Idem fere ex nucleis ſiccatis apud nos obtinetur; oleum vero expreſſum ſebaceum eſt, & oleum coctum magis butyraceum. In hunc finem nuclei torreantur, mundentur, & ſupra lapidem calidum terantur, poſtea coquantur cum larga quantitate aquæ, fere quoad conſumta ſit aqua; tum nova iterum affundatur aqua calida, unde oleum adſcendit in ſuperficiem aquæ, butyri inſtar ſupernatantis, poſtquam aqua refriguit. Hoc oleum odoris fere expers eſt, ſapore miti, in calore liqueſcit; ex balneo arenæ deſtillatum tranſcendit, tum iterum butyraceum evadit, ſubempyreumaticum. Si nuclei

Cacao ſiccati decorticati groſſo modo contunduntur, ſacculoque includuntur, deinde prelo excalefacto ſubjiciuntur, obtinentur olei butyracei, cocto ſimilis, unciæ 2 ex Nucleor. libra 1. Hoc oleum, dum exprimitur, liquidum eſt, ſed refrigeratum brevi concreſcit in ſebum album, odore nucleorum, & ſapore aromatico, odori congruente, diu ſe ſervans absque rancore. Ætate tamen ſatis facile ranceſcit, ſi in loco frigido non fuerit ſervatum. Si ſacculus, in quo nuclei contuſi incluſi ſunt, ſupra vaporem aquæ tenetur, usquedum vapor omnem pulverem nucleorum penetraverit, poſteaque prelo calefacto committitur, ex nucl. Cacao libra 1 obtinentur unciæ 6 olei expr. priori ſimilis. HOMBERGIUS deſtillatione ex Cacao libr. 1 extraxit olei unc. 3; e nucleor. calefact. libr. 1 expreſſione obtinuit olei unc. 2, ſed e reſiduo per decoctionem ſ. deſtillationem oleum ulterius extraxit; nucleos cacao calido lapide trivit in maſſam; hujus maſſæ unc. 13 ſuperinfudit aquæ bullientis libras 8, quæ, refrigeratæ, nullam pingvedinem extraxerunt; ſed per ebullitionem pingvedo ſeceſſit, unc. 6 effecit, ſebacea fuit, odore Cacao. Alii (*) ex nucleor. non torrefactor. unc. 16 obtinuerunt unc. 3 ß olei cocti, butyracei, odore gratiſſimo, ſapore dulci, aromatico.

OBS. 3. Chocolatæ *panes* apparantur ſequenti modo. Nuclei primum uſtulatione leni torrefiant, adeo ut cortex fractus ſecedat, qui bene removendus, deinde de novo torrefiant, quoad ſaporem ſubſuccoſum & colorem brunneum, ſed non nigricantem, acquiſiverint. Tum contundantur in mortario ferreo calefacto, piſtillo ferreo pariter tepido, & poſtea redigantur in maſſam tenuiſſimam, quæ, cum oleoſa parte nucleorum, dum refriguit, ſponte in panem concreſcit. Sub uſtu-

(*) *Commerc. litt. Norimb.* 1737. *p.* 82.

uſtulatione ſexta pars ponderis perditur, adeo ut nucleor. libræ 30 dent nucleor. decorticat. libr. 25. Quidam addunt ſaccharum, ſiliquas Vanillæ, Cinnamomum Caryophyllosque aromaticos. Hi panes, in ſcobem conciſi, coquuntur unica ebullitione in parca aqua, ſc. panis absque ſaccharo unc. ß in aquæ unc. 5, addito ſaccharo ad conciliandum ſaporem, poſtea fortiter agitari oportet decoctum; ſic obtinetur pulmentum fuſcum, amaricans, fragrans, ſpumeſcens: ſpuma ſubperſiſtente. Si fruſtulum parvum ſaponis additur, magis ſpumeſcens fit hic potus.

OBS. 4. Nuclei Cacao e Caracco minores, & inſimul pingviores; qui vero e Coſta Rica apportantur, latiores & compreſſiores ſunt. Theobroma colitur plurimis in locis Americæ calidioris, ubi arbores a nucleis conſitis proveniunt, & quarto vel quinto anno frugiferæ evadunt. Nuclei includuntur pericarpiis oblongis, quæ ex ipſis ramis grandioribus, vel illorum axillis, dependent, & conſtant cortice coriaceo ſubligneo, pollicis fere craſſitie, fragiliuſculo. Quodlibet pericarpium circiter 100 continet nucleos, per ſeries quinquefariam diſpoſitos, arcte compreſſos. Bis in anno, ſcilicet menſe Junii & Decembris, fructus matureſcunt, ſed inæqualiter, quare etiam ſingulis diebus arbores viſitandæ & fructus ſucceſſive decerpendi. Sed arbores non multum frugiferæ ſunt; vix ultra 30 pericarpia quælibet arbor profert. Hi fructus decerpti in acervum cumulantur, ut ſudent, tum manibus diffringuntur & nuclei eximuntur, qui poſtea in ſole ſiccandi. Sic demum in Europam transferuntur. In ſinu Campeſcano monetæ vicem ſuſtinent; Dampier. Cum ranceſcunt hi nuclei, fiunt rubicundo-brunnei, ſæpeque obducuntur cruſta ferruginea rancida. Sed non adeo facile fit, ut ranceſcant, idque vix ætate, niſi locis humidis con-

ſervetur, aut a pluviis vel alio modo ſub itinere madeſiant.

ORDO
ICOSANDRIA.

396. CITRUS Medica. LINN. *Sp. pl. 1100. Mat. m. 366.*
Malum citreum vulgare. FERRAR. *Heſp. p. 56. t. 69.*
Citria malus. BLACKW. *Herb. t. 361.*
Malus medica. DOD. *Pempt. 779.*
Malus citrina. DALECH. *Hiſt. p. 298.*
Pharm. CITRI Flores, Malum, Flavedo, Semina.
Locus. Oriens. Colitur in Europa auſtrali. *Arbor.*

FORMA. rec. Pomum ovale, utrinque attenuatum, magnitudine ovi anſerini vel ſupra, undique rugoſum, punctatum, ad tactum læviuſculum, colore pallide luteo; cortice coriaceo-carnoſo, albo, ſubinſipido; epidermide (*flavedine*) craſſiuſculo, celluloſo: cellulis ſubrotundis, oleo eſſentiali gratiſſimo fœcundis, ſingulis terminatis poro, occluſo membrana tenui. *Parencyma* 9-loculare: loculis diſpermis; veſiculatum: veſiculis parallelis, pedunculatis, cylindricis, teneris, diaphanis, ſucco limpidiſſimo turgidis. *Semina* albida, ovato-gibba, undique minutim rugoſa, dorſo & baſi convexa, ſtriata, antice ſubmarginata, apice acuta, undique obducta gelatina lubrica; parencymate cotyledoneo, bipartibili.

PROPR. rec. Flavedin. Odor fragrans, gratiſſimus; *ſapor* conſimilis, calidiuſculus, vix amari-

ricans. *Pulpæ odor* debilis, gratus, ab epidermide infectus; *ſapor* intenſius acidus, purus. *Seminum ſapor* amaricans.

VIRTUS: flavedin. calefaciens, cardiaca; *pulpæ:* refrigerans, antiſcorbutica, diuretica.

USUS: Flaved. Condimentum cibi & medicaminum; *Pulpæ:* Febres phlogiſticæ,ślioſæ, putridæ, Scorbutus calidus, Stomacace.

OBS. 1. *Infuſum* cort. Citri luteum, odore fragrante, ſapore amaricante; cum vitr. martis nigreſcit.

OBS. 2. *Oleum* præſtantiſſimum e floribus & flavedine corticis Citri præparant exteri. E *floribus* citri: Rc. Flor. recent. libr. 1, vaſi idoneo immitte, & adde aquæ puræ egelidæ libr. 6. f. deſtillatio igne primum minuto, ſenſim aucto, quoad cervix vaſis ex humore deſtillaturo incipit incaleſcere, tum ignis caute temperandus, ne fæces oleum deſtillaturum deturpent. E florum libr. 60 obtinetur unc. 1 olei ſtillatitii, ſuccineo flavi, & leviter odorati. E *flavedine* corticis citri recenti duplici modo ab Italis oleum extrahitur, vel deſtillatione vel expreſſione. In priori caſu ſumantur mala citri recentia, & decorticentur ſupra catinum fictilem, aqua pura ad medium repletum, in quem cortices immittantur. Tum cortices hi una cum aqua in alembicum conjiciantur, & poſt macerationem in loco tepido, tandem deſtillentur igne leni. Surgit tunc a primo oleum tenuius & præſtantiſſimum, *Eſſentia* vel *oleum Cedri* dictum, coloris aquei, odoris acutiſſimi, vaſculo idoneo vel etiam goſſypio ab aqua ſocia ſeparandum. Deinde ſequitur oleum craſſius, viridiuſculum, bonum tamen. Ex 100 malis citreis, nec maturatiſſimis, nec nimium crudis, habetur olei primarii tenuioris unc. 1, & olei craſſioris unc. ß. Expreſſione ſimplici e malis citreis oleum etiam obtinetur; in quem finem mala citrea in longitudinem incidantur, ſeg-

 men-

mentis digitalibus, acutiuſculis, e quibus ſingulis medulla & caro reſecetur; tum ſupra patinam fictilem, in menſa collocatam, exprimantur hæc ſegmenta utraque vola, cubitis menſæ innixis, unico niſu, in adverſam patinam recurvatis, ut uno impetu emicans oleum minutiſſima patinam adſpergine irroret. Ex 100 malis citreis accipiunt unc. 1 olei expreſſi, fragrantiſſimi, oleo deſtillato ſvavioris, non tamen æque perfecte ſe conſervantis. Si cortices hi expreſſi deinde deſtillentur, oleum craſſius obtinetur. FERRARIUS (*). Sed in Gallo-Provincia & Luſitania faciliori encheireſi oleum hoc expreſſum parant; nempe abradunt flavedinem Citri omnem inſtrumento idoneo ſcabro, quam deinde inter duo vitra exprimunt, & oleum expreſſum gratiſſimum, per ſubſidentiam depuratum, decantant & ſervant. BAUMÉ.

OBS. 3. *Succus*, e parencymate Citri recenter expreſſus, colore & conſiſtentia eſt ſeri lactis limpidi, ſapore acido & odore debiliore citri. Si reſiduum, nempe pelliculæ veſicularum, per linteum fortius exprimitur, permeat ſubſtantia quædam gelatinoſa, ſimilis gelatinæ amyli vel pomorum, linteoque adhæret. Hæc gelatina acida eſt, in ore ſolubilis, ſed nequicquam in aqua frigida, neque in ſpiritu vini. Si ſuccus Citri *frigore* condenſetur, acidiſſimus evadit, quod a priori non crederes, quandoquidem experientia docuit, mala citrea integra, frigori expoſita ut gelu conſtringantur, prorſus corrumpi, pulpamque vappidam & fere inſipidam deprehendi. Plura itaque experimenta cum ſucco citri, gelatione concentrato, inſtituimus, cum ego, tum cl. viri, J. C. WILCKE, C. J. SALBERG, J. C. GEORGII & LAUR. COLLIN; e quibus, inter ſe collatis, ſequentia didicimus. Si Succus Citri antiquior, quiete & decantatione a ſuo viſcoſo probe defæcatus, in-

(*) *Heſperides*, p. 173. ſ.

intenſo frigori exponitur, ſenſim congelatur in *glaciem* friabilem & ſpongioſam, conſtantem lamellis tenuibus, nucleo ſolidiore, ſub qua glacie ſuccus citri liquidus & non gelatus deprehenditur, qui, ſi deguſtétur, ſolito acidior eſt, idque pro gradu concentrationis. Si vero ſuccum penitius in glaciem verti ſinas, invenies glaciem lamellatam, priori ſimillimam, ſed ſuccum Citri liquidum inter lamellas involventem. Hæc moles glaciei, ſi vaſculo vitreo imponitur, loco calidiuſculo, mox deſtillat ſuccus concentratus, coloris rubri, quem guttatim ſtillare permittas, quoad albeſcat, quod ſignum eſt, ipſas lamellas glaciei, ex aquoſa parte conſtantes, incipere liqueſcere, quare poſterior ille ſuccus minus valet, ideoque ſpernendus eſt. Interim ſi reſiduum glaciei ſenſim regelare facies, id in aquam abit acidulam, quod etiam indicio eſt, plus ſucci acidi in eo adhuc ineſſe, quod denique nova gelatione iterum cogere poteris. Ex hoc experimento, ſæpius repetito, didicimus, ſuccum citri plus frigoris ad gelationem requirere, quam aquam puram; ſuccum vero citri, gelu ſtrictum, in calore citius regelare, quam aquam puram; ceterum huncce ſuccum, concentratum & liquidum factum, frigoris poſtea perquam patientem eſſe, nec in glaciem iterum verti, niſi infra gradum 15. ſub 0 in thermom. ſvecico. Porro ſuccum, e malis citreis recentiſſime expreſſum, gelu expoſuimus; ille vero ſub congelatione non tingebatur colore rubro, uti præcedens, ſed faciem ſeri lactis limpidi ſervabat, tamen poſt aliquod tempus colorem rubrum aſſumſit. Præſtat ſine dubio gelationi exponere ſuccum citri antiquiorem & probe defæcatum, quam recenter expresſum, nam viſcoſum illud, quod in hocce deprehenditur, difficillime ſeparatur, cum id colum papyraceum permeet, atque ſuccum turbidum reddat, aptumque putredini. Succus citri, gelu rite concentratus,

acidiſſimus eſt, itemque ruber; Spiritui vini vel aquæ puræ immiſſus, fundum petit, nec miſcetur, niſi agitatione; ætate ſitum non contrahit, ſed diu ſe ſervat absque ulla additione. Ego equidem apud me laguneulam, ejusmodi ſucco concentrato repletam, in feneſtra ſoli expoſitam habui per integrum biennium, neque vero minus ſuccum incorruptum deprehendi, & æque gratum ſapore, colore atque odore; proinde quoque perquam præſtabilis erit tam pharmacopoliis quam culinis. Alcali fixum copioſius requirit ad ſui ſaturationem, ita quidem, ut cum ſucci citri vulgaris unc. ß ad perfectam ſaturationem requirit ſalis tartari ſcrup. ß & gr. 3, par quantitas hujuſce concentrati fere triplarem portionem alcali, ſc. ſalis tartari drachm. ß, poſtulet, vel etiam plus, ſi ſucci concentratio intenſior fuit; atque hinc emergit mixtura quædam ſalina, eo ſaturatius rubra, quo fortius acidum adhibitum fuerit. Gradus concentrationis difficillime conſtituitur, nam variat is pro diverſo gelationis gradu. At experiundo didicimus, ſuccum citri, ad dimidium duntaxat concentratum, etſi per tantulum tempus bene ſe ſuſtinet, tamen non perdurare, ſed tandem ſitum ducere. Neque magis edurat ſuccus gelatus ſecundarius, tametſi ſatis acidus guſtatu, ſed mucore brevi obducitur. Ceterum methodum faciliorem ſuccum Citri gelandi poſtea dedit cl. J. C. Georgii (*). Exponit is ſuccum Citri, e ſolo natali allatum, leniori hiemis frigori, inter grad. 3 & 5 in thermom. ſvec., & tantum quod aliquid illius, quæ in eo ineſt, aquæ gelu adſtrictum eſt, glaciem ſenſim demit, quoad glacies acidum reſipere occipiat; vel etiam formatam in ſuperficie glaciem pertundit, protenusque ſubjacentem ſuccum per foramina decantat. Atque hacce methodo pereunt qui-

(*) *K. Vetenſk. Acad. handl. vol. 35. p. 245.*

quidem ipſi $\frac{7}{8}$ partes, octava ſolum remanente, tamen nullam ideo ſe pati jacturam arbitratur, ſiquidem eadem illa reſidua pars non minus valens & ad uſus quoslibet idonea eſt, quam fuerat antea totum.

OBS. 4. E ſucco Citri & aceto fortiſſimo Saturni commixtis, ſ. q. & proportione juſta, paratur epithema, cremori lactis ſimillimum, in morbis cutis utile, quod *Cremor Saturni* dicitur (*). Phænomenon illud explicatur e qualitate acidi Citri, ſalia in aqua inſolubilia formandi, ſi cum calce vel plumbo ſaturetur.

OBS. 5. Succus Citri in officinis, pariter atque culinis, crebro uſurpatur. Medici ejus ope parant ſerum lactis, mixturas ſalinas, &c. Ut bonum antiſcorbuticum, ſuccis antiſcorbuticis additur; ut optimum refrigerans, in omni febris ſpecie copioſius adhibetur, potui ægrotorum inſtillatus. Eryſipelati ſcorbutico tibiarum identidem medicatus ſum frictione cum pulpa Citri; quo etiam remedio cum ſucceſſu uſus ſum adverſus gingivas ſcorbuticas, atque ubi noma oboritur.

OBS. 6. De Malo citreo egerunt D. NEBELIUS (**), LANZONUS (***) & H. GRUBE (†), quorum poſtremus recenſet imprimis formulas plures, ex hoc fructu profectas.

β) Malus Limonia acida. BAUH. *Pin.* 436.
Limon vulgaris. FERRAR. *Heſp.* 191. *t.* 193.
Limœn-boom. COMMEL. *Heſper. p.* 6. *t.* 6. 7.
Malus Limonia. DOD. *Pempt.* 779. DALECH. *Hiſt.* 301.
Pharm. *LIMONII* Succus.
Locus. India. *Arbor.*

PRO-

(*) *Pharmacop. Svecic.* p 84.
(**) *Diſſert. de Malo citreo*, in VALENTINI *Simpl. p.* 625.
(***) *Citrologia*, in Oper. ejus T. 1. p. 309.
(†) *Analyſis mali citrei.* Hafn. 1668.

PROPR. *Succi:* *Odor* debiliter aromaticus. *Sapor* acidus, Citri ſucco acidior. Hujus Succi drachm. 6 ſaturant ſalis tartari drachm. ß.

VIRTUS &
USUS præcedentis.

OBS. *Eſſentia* Limonum eſt oleum ſtillatitium e corticibus recentibus Limonum, limpidum, aqueum, odore fragrante, grato, ſapore calido, congruente.

397. CITRUS Aurantium. LINN. *Sp. pl. 1100. Mat. m. 367.* KNIPH. *Botan. orig. cent. 9.*
Oranje-boom. COMMEL. *Heſp. p. 12. t. 12.*
Aurantium vulgare. FERRAR. *Heſp. p. 374. t. 369.*
Malus Anarantia. DOD. *Pempt. 780.*
Aurantia mala. DALECH. *Hiſt. 302.* CAMER. *Epit. 150.* BLACKW. *Herb. t. 349.*
Pharm. *NAPHÆ* Flores.
AURANTII Folia, Malum.
Locus. India orientalis. Colitur in Europa auſtrali. *Arbor.*

FORMA. rec. *Folia* alterna, petiolata, coriacea, ſempervirentia, ovato-oblonga, utrinque attenuata, acutiuſcula, margine ſubſerrata: ſerraturis remotis, obſoletis, adpreſſis; utrinque lævia, lucidiuſcula, undique punctata: punctis ſubdiaphanis, excavatis, diſci folii parvis, marginis vero majoribus, tripollicaria, patentia, ſaturate viridia; *tenera* citrina. *Petioli* foliis quadruplo breviores, baſi teretes, ſuperne alati: ala plana, cuneiformi, apice obtuſo-rotundato, petiolo breviore. Flores in ramulis terminales, 2 vel 3 congeſti, ſæpe ſolitarii, axillares, pedunculati. *Pedunculi* petiolis breviores, albi, punctati, ſuperne ſenſim incraſſati. *Bracteæ* 2, parvæ, oppoſi-

tæ

tæ, lineari-ſubulatæ, ciliatæ, ad baſin pedunculi, erectæ. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, album, punctatum; minutim pubeſcens, parviuſculum, 5-dentatum: laciniis ovato-acutis, ſubcarinatis, erectis; 3 proximioribus. *COR.* alba, carnoſa. *Petala* 5, ſeſſilia, lineari-lanceolata, obtuſa, calyce pluries longiora, utrinque plana, glabra, ſubtus punctata, patentia. *STAM.* alba, carnoſa. *Fil.* glabra, in orbem poſita, connexa in 5 vel 6 corpora linearia, apice fiſſa, corolla breviora, erecta. *Anth.* circiter 20, lineari-cordatæ, erectæ, luteæ. *PIST. Germen* ſuperum, globoſum, viride, glabrum, ſubangulatum, ſubrugoſum. *Stylus* cylindricus, craſſus, longitudine ſtaminum. *Stigma* capitatum, globoſum, colore aurantio, ſummo apice depreſſum. *Pomum* globoſum, apice & baſi compreſſiuſculum, apice umbilico minuto, colore fulvo, magnitudine ovi anſerini vel pugni, undique adſperſum punctis excavatis, glabrum; cortice coriaceo-carnoſo, albido; epidermide craſſiuſculo, celluloſo: cellulis diſcretis, ſubrotundis, oleo eſſentiali fœcundis, ſingula terminata poro, membrana tenui tecto. *Parencyma* 8-vel 10-loculare: loculis diſpermis; veſiculatum veſiculis pedunculatis, cylindricis, acutis, parallelis, turgidis ſucco diaphano, limpidiſſimo. *Semina* ſubovata, baſi oblique truncata, apice obtuſiuſcula, hinc ſtriata, inde planiuſcula, lævia, *parencymate* cotyledoneo, bipartibili. *Columella* carnoſa, albida.

PROPR. rec. folior. Odor debilius fragrans, graviuſculus; *ſapor* aromaticus, amaricans, calidiuſculus; *Florum: odor* fragantiſſimus, ſvaveolens, temulentans; *ſapor* amaricans, gratus, aromaticus; *maſticati* amari, mox aromate o-

do-

dori congruente, tum aromate corticis fructus, debiliore tamen. *Mali* flavedinis *odor* fragrans, ingratior citro; *ſapor* amarus, aromaticus; *maſticata* lingvam & fauces calefacit; *caro* corticis amara; *pulpa* acida, amaricans.

VIRTUS: folior. tonica; *florum:* analeptica; *cort.* tonica, calefaciens, ſtomachica; *pulpæ:* antiſcorbutica.

USUS: folior. Convulſiones, Hyſteria; *corticis:* Colica frigida; *pulpæ:* Scorbutus, Febres putridæ.

OBS. 1. Si flores & Mala aurantia eodem modo tractantur, ut de Malo citreo dictum eſt, *oleum ſtillatitium* & *expreſſum* præſtantiſſimum præbent. E floribus recentibus obtinetur *aqua ſtillat.* pereximia, ſi flores recenter collecti & integri immittuntur matellæ, ad dimidium repletæ, & in calore cineris conſudare coguntur. Hoc modo elicitur parca quantitate aqua ſtill. limpida, fontanæ ſimillima, odoris jucundiſſimi, & ſaporis ſvaviter amaricantis. Si vero flores cum adjecta aqua deſtillantur, obtinetur aqua ſtillat. fragrans, cum pauxillo *olei ſtillat.* ſupernatantis, rubentis & odoratiſſimi, *Eſſentia* vel oleum *Neroli* dicti, cari & pretioſi, ſiquidem Florum libr. 600 vix olei unciam dant. FERRARIUS (*). Cortex Mali aurantii ſiccatus ſ. recens extrahitur menſtruo aquoſo ſive ſpirituoſo. Sub deſtillatione cum aqua vel ſpiritu vini adſcendit *Spiritus* ſive *aqua ſtillat.* fragrans, grata, aromate corticis.

OBS. 2. *Succus* expreſſus Aurantiorum acidus eſt, amaricans, aromaticus. Miſcetur ſpiritu vini, & bene fert evaporationem igne moderato in conſiſtentiam Extracti mollis. Hinc triplici modo ſervari poteſt hic ſuc-

(*) L. c. Cfr. *Philoſ. transact. vol.* 27. *p.* 456.

ſuccus, ſc. vel inſpiſſatione, vel mixtione cum ſpiritu vini, vel etiam condimento ſacchari.

OBS. 3. Succus Aurantiorum bonum eſt antiſcorbuticum; cortex vero ſtomachicum inſigne. Folia Aurantiorum multum levaminis attulerunt 9 epilepticis, e 15, quibus data fuerant, non tamen curarunt. MAX. LOCHER (*).

OBS. 4. De hoc Malo egit P. BURGGRAFIUS (**).

β. Burgamot-Tree. HUGHES *Barbad. p.* 127. *.

Pharm. BERGAMOT Oleum.

Locus. Inſula Barbados. *Arbor.*

FORMA & PROPR. Oleum eſſentiale pallide citrinum, odore grato, aromatico, ſapore conſimili, calido.

VIRTUS: calefaciens, excitans.

USUS. Odoramenta.

ORDO
POLYANDRIA.

398. MELALEUCA Leucadendra. LINN. *Mant.* 1. *p.* 105.

Arbor alba Cayputi. RUMPH. *Amboin.* 2. *p.* 72. *t.* 16. 17. *f.* 1.

Pharm. CAJEPUTI Oleum.

Locus. India orientalis. *Arbor.*

FORMA & PROPR. Oleum ſtillatitium liquidum, citrinum vel virideſcens, *odore* perquam fragrante, in Cardamomum incidente; *ſapore* calido, odori congruente. Hoc oleum, temporibus

(*) *Obſervat. pract. p.* 47.

(**) *Diſſert. de Malo Sinenſi aureo,* in VALENTINI *Simpl. p.* 647.

bus illinitum, ſtricturam facit ſuper bulbum oculi, inſtar flatus frigidi.

VIRTUS: calefaciens, roborans, reſolvens.

USUS: Luxatio, Viſus obfuſcatio, Odontalgia.

OBS. De oleo Cajeputi varia curioſa profert VAN DER BECK (*).

399. HYPERICUM quadrangulum. LINN. *Sp. pl.* 1104.

Aſcyron. DODON. *Pemptad.* 78.

Pharm. HYPERICI Herba.

Locus. Europa, in pratis. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix repens, horizontalis, cylindrica, extus rubra, ſubtus inſtructa fibris carnoſis, deſcendentibus, undique pulchre ſangvineis; *parencymate* albo. *Caulis* erectus, glaber, tetragonus: angulis acutis, adſperſis punctis parvis, nigricantibus, ſparſis; pedalis, inferne ſimplex, ſuperne ramoſus: ramis alternatim oppoſitis, breviuſculis, inferne tetragonis, ſuperne ancipitibus. *Folia* oppoſita, ſeſſilia, ovali-oblonga, obtuſa, pollicaria, internodii longitudine, glabra, ſupra viridia, lineata, rugoſa, utrinque nervuloſa, ſubtus pallidiora, nervoſa, patentia, adſperſa punctis diaphanis, parcius ſparſis per diſcum, & punctis aliis nigris undique ſub margine; *ramea* folia minora. *Corymbus* terminalis glaber, faſtigiatus, ſimpliciuſculus, folioſus, conſtructus e ramis caulis erectis, ſuperne floriferis, pedunculis alternatim oppoſitis, bifloris, intermedio flore ſolitario, priore. *Bracteæ* ovali-oblongæ, obtuſæ, oppoſitæ, ad pedicellos, patentes. *CAL. Perianth.* 5-partitum: laciniis ovali-oblongis, obtuſis, glabris, trinerveis, nigro-punctatis. *COR.*

(*) *Act. phyſ. med. A. N. C. vol. 1. app. p. 123.*

COR. *Petala* 5, ovali-oblonga, obtuſa, ſeſſilia, patentia, calyce duplo longiora, lutea, venoſa, ſubtus adſperſa punctis parvis, nigris, polymorphis, frequentibus. *STAM.* *Filam.* plurima, lutea, baſi in faſciculos cohærentia, corolla breviora. *Anth.* ſubrotundæ, didymæ, ſingulæ terminatæ puncto nigro. *PIST.* *Germen* ſuperum, viride, ovatum, glabrum, majuſculum, longitudine calycis, trigonum: angulis rotundatis; deſinens in *Stylos* 3, ſubulatos, longitudine ſtaminum. *Stigmata* ſimplicia, nigricantia.

PROPR. *rec.* *Florum:* *Odor* debilis; *ſapor* amaricans, balſamicus; *maſticati* ſalivam purpureo tingunt. *Foliorum:* *odor* debilis, in odorem angelicæ ſylveſtris incidens; *ſapor* amaricans, ſubſtypticus, ſubbalſamicus; *maſticata* ſalivam viridescenti tingunt.

VIRTUS: balſamica, vulneraria, anthelminthica, tonica.

USUS: Hæmoptyſis, Ulcera interna, Vulnera.

OBS. 1. In pharmacopoliis noſtris indiſcrete colligunt Hypericum perforatum & quadrangulum; quod perinde quoque eſſe poterit, cum ambæ ſpecies puncta nigricantia gerant; quadrangulum vero plurima. Hæc puncta ſunt totidem veſiculæ, turgidæ liquore reſinoſo-oleoſo, purpureo; qui, oleo expreſſo vel ſpiritu vini extractus, ſangvineam tincturam producit. In floribus ſemieruptis liquor tingens valentior eſt, quam in eruptis, ubi fere exſiccatæ & vacuæ ſunt hæ veſiculæ. Itaque flores ante eruptionem colligendi. *Infuſum* aquoſum florum recent. & nondum eruptorum, in B. M. digeſtum, rubro-purpureum fit, odore nullo, ſapore debiliſſimo; cum Spiritu vitrioli itemque ſucco Citri gelato rubeſcit, & id quod purpureum eſt evane-

 ſcit;

ſcit; cum ſolut. aluminis purpuraſcit, & omne quod rubrum eſt evaneſcit; cum vitr. martis ſubito nigreſcit.

OBS. 2. *Radix* recens Hyperici quadranguli decoctum dat ſapore debili, ſubauſtero, colore fere infuſi florum, & cum reagentibus eadem fere phænomena monſtrans ac Flores. *Folia* viridia Infuſum dederunt citrino-ſubrubicundum, odore balſamico, ſapore amaricanti-ſalſo, auſtero, lingvæ fortiter ſe imprimente, vitriolo martis ſubito nigreſcens.

OBS. 3. De Hyperico ſcripſit cl. C. N. Hellenius (*), botanice. Enumerat 35 ſpecies hujus generis. Laudat Hypericum in phthiſi pulmonali, decocto vinoſo, ſc. Rc. Summitat. Hyperic. manip. 1, coque in Vini hiſp. libr. 4 ad tertiæ partis remanentiam; hujus colaturæ libr. ß ſvadet propinari omni mane & veſpera.

CLAS-

(*) *Diſſ. de Hyperico*, Præſ. ill. v. Linné. Upſ. 1776.

CLASSIS XIX.
SYNGENESIA.
ORDO
POLYGAMIA ÆQUALIS.

400. TRAGOPOGON pratenſe. LINN. *Sp. pl.* 1109. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 9.

Tragopogon. DOD. *Pempt.* 256. LOB. *Hiſt.* 297.

Pharm. BARBÆ HIRCI Radix.

Locus. Europa, in pratis. *Bienne.*

FORMA. rec. Radix ſimplex, fuſiformis, ſpithamæa vel ultra, fibrilloſa, deſcendens, extus fuſca in ſpontanea, albida in culta, rugis transverſalibus, annularibus, approximatis; *parencymate* albido, carnoſo, luteſcente; poſt ſectionem transverſalem diſtincto centro medullari orbiculato, minutim ſtriato, ſtriis radiantibus, obducto corticali parte incarnata in ſpontanea, alba vero in culta.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* ſubdulceſcens.

VIRTUS: aperiens, mundificans.

USUS: culinaris.

OBS. 1. *Lac* radicis recentiſſime ſectæ e corticali parte profluit, album, ſpiſſum, cremori lactis ſimillimum; quod, aëri expoſitum, brevi fit ſangvineo-fuſceſcens, ſapore dulci-amaricante. Si lac hoc chartæ albæ illinitur, illam maculat & tingit colore rubicundo; in cute vero maculas ſangvineas relinquit, aqua frigida facile eluendas, tenaxque fit, adhærens, in fila ductile. Hoc

lac, vaſculo exceptum & exſiccatum, abit in maſſam rubro-fuſcam, gummi-reſinoſam, inter digitos tenacem, ſapore debili, ſubſtyptico, in aqua ſolubilem: ſolutione ſangvinea. Atque hæc cauſſa eſt, cur radix recens, in taleolas ſecta, & in aëre relicta, ſubito rubeſcat; ſed ut hoc evitetur, expedit taleolas ſectas ſtatim in aquam frigidam immittere, quæ ſuccum abſorbet, ipſa rubicunda evadens.

OBS. 2. Radices primo autumno vel ſubſequente vere effodiendæ, antequam in caulem excreſcant; poſtea nil valent.

OBS. 3. Folia, primo vere nuper erupta, reſecantur prope radicem, & inter ſaturas ſapidas locum tenent.

401. SCORZONERA hiſpanica. LINN. *Sp. pl.* 1112. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 7.

Scorzonera major hiſpanica 1. CLUS. *Hiſt.* 2. *p.* 137.

Scorzonera ſ. viperaria. BLACKW. *Herb. t.* 406.

Scorzonera. DOD. *Pempt.* 256. LOB. *Hiſt.* 298.

Pharm. *SCORZONERÆ* Radix.

Locus. Europa. Colitur in hortis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix fuſiformi-cylindrica, ſpithamæa, deſcendens, extus veſtita nigro cortice & rugoſo: rugis annularibus, parce fibrilloſa; *parencymate* carnoſo, albo; poſt ſectionem transverſalem notato centro medullari orbiculato, amplo, ſtriato: ſtriis radiantibus, obſoletis; obducto annulo incarnato, punctato; corticali parte alba, lacteſcente. *Sicc.* Radix in officinis ſecta in taleolas longitudinales occurrit, extus rubras, intus albas, flexili-fragiles.

PROPR. rec. Odor. nullus. *Sapor* aquoſo-ſucculentus, ſubinſipidus. *Siccata* radix, conſciſ-

ſa

ſa & inter digitos tractata, ſubadhæret, quod ex principio melligineo derivatur; *maſticata* comminuitur, pulpoſa fit, ſapore dulceſcente, grato, absque omni aromate.

VIRTUS: nutriens, aperiens, temperans.

USUS: culinaris; Apozemata.

OBS. 1. Radices recentes reſectæ ferrugineæ evadunt, ſi in aëre linquuntur; ſi vero mox, ubi reſectæ fuerunt, in aquam frigidam immittuntur, albæ manent, & aquam tingunt colore ferrugineo. *Lac*, e radice inciſa emanans, ſpiſſum eſt, album, cremori lactis ſimillimum; ſi chartæ albæ illinitur, maculis rubro-ferrugineis eam inquinat. Hoc lac, vaſculis exceptum, quando ſicceſcit, colorem aſſumit ferrugineum, ſpiſſeſcit, induitur pellicula fuſca, tandem abit in Gummireſinam, ſicciorem, fragilem, ſuperficie fuſca, fragmentis albidis, odore nullo, ſapore ſtyptico. Hæc maſſa, fricata cum aqua pura, ſolvitur: ſolutione rubra. In aqua pura trituratione maximam partem ſolvitur: ſolutione primum lacteſcente, cinerea, deinde mora & quiete ſenſim rubra evadente, turbida, cum ſedimento in fundo vaſis; vitriolo martis huic ſolutioni addito, fuſceſcit, præcipitatur. In ſpiritu vini ſolvitur minor ejus pars, quam in aqua: ſolutione turbida, lacteſcente, non rubra. Maſſa ipſa, in parca aquæ quantitate tractata, emollitur, tenax fit, digitis paullulum adhæret. In candelæ flamma accenditur hæc gummi-reſina, flagrat, flamma vivida, non fumante, non fuliginoſa, relicta favilla. Si vero ſub accenſione flamma extingvitur, fumat, nidore olei olivarum accenſi. *Infuſum* rad. ſiccatæ aquoſum, citrinum, limpidiuſculum, dulce, cum vitr. martis vix fuſceſcit.

OBS. 2. Radices Scorzoneræ pariter ac Barbæ hirci in culinis invaluerunt, menſisque apponuntur in aqua elixatæ, cum tali embammate, quali utimur ad aſparagos.

OBS. 3. De Scorzonera ſcripſit J. M. Fehr (*). Præmiſſis præparatis, formulis, deſcriptioneque Scorzoneræ, uſum ejus in morbis malignis & febribus, in epilepſia & convulſionibus, atque in melancholia laudat. Scripſit bene & ex propria experientia: imprimis legi merentur ea, quæ de febribus immiſcuit, obſervata, revera utilia & vere practica. His addi poſſunt, quæ de diebus criticis commentatur, ubi diem quartum in febribus magni facit. Scorzoneram in febribus adhibet ſub forma decocti, malis citreis acidulari, vel ptiſanam parat ex Hordeo mundato, radic. Scorzoneræ & Acetoſæ, cum ſyrupo limonum & aceto roſaceo.

402. LACTUCA ſativa. Linn. *Sp. pl.* 1118. *Mat. m.* 370.

Lactuca ſativa ſeſſilis ſive capitata. Lob. *Icon.* 242.

Lactuca capitata criſpis Braſſicæ foliis. Lob. *Hiſt.* 121.

Lactuca capitata. Dod. *Pempt.* 634.

Culinis LACTUCÆ caput.

Locus. Colitur ubique in hortis. *Annua.*

FORMA. *rec.* *Radix* fibroſa. *Caudex* breviſſimus. *Folia* petiolata, approximata, ſubrotunda ſ. ovalia, apice obtuſo-rotundata, utrinque glabra, luteo-virideſcentia, baſi pallida, diſco bullata ſ. plicato-rugoſa; margine plana, vix plicata, tenuia, repanda, denticulato-ſerrata; exteriora magis rotunda, patentia, interiora magis oblonga, obovata, pallidiora, citrina, conniventia in caput laxiuſculum, magnitudine pugni vel ultra. *Petioli* breviuſculi, lineares, ſupra plani, ſubtus carinati, albi, fragiles, in caudice imbricati.

PROPR. *rec.* *Odor* nullus; *ſapor* debiliſſime ole-

(*) *Anchora ſacra vel Scorzonera.* Jenæ 1666.

oleraceus, vix ſubamaricans. *Maſticata* folia fragilia, ſubſucculenta, comminuuntur: ſaliva ſubvirideſcente, ſc. e foliis comminutis.

VIRTUS: temperans, ſubrefrigerans.

USUS: culinaris; Ardor viſcerum, Hypochondriaſis.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. Lactucæ recentis luteſcens, debilius odoratum, ſapore Lactucæ; a vitr. martis nil demutatum.

OBS. 2. Lactuca inter antiquiſſima oleracea merito numerari poteſt. Apud priſcos Romanos e primariis deliciis fuit, ſæpeque cœnam inchoaverunt Lactuca: *Claudere quæ cœnas Lactuca ſolebat avorum, Dic mihi, cur noſtras incboat illa dapes?* Martialis. Apud nos Lactuca plerumque editur recens crudaque, cum oleo, aceto & ſale. Satis facilis eſt digeſtionis; ſi veſperi comedatur, noctes tranquillas facit. Coquitur etiam uti alia oleracea, & tenerrima fit.

403. LEONTODON Taraxacum. Linn. *Sp. pl.* *1122. Mat. m. 368.* Oed. *Icon. t. 574.*

Dens leonis. Blackw. *Herb. t. 1.* Lob. *Hiſt. 117.* Zannich. *Venez. t. 288.* Dod. *Pempt. 625.*

Taraxacon. Merian. *Eruc. ort. p. 4. t. 9.*

Piſſenlit *vulgo.*

Pharm. TARAXACI Radix, Herba.

Locus. Europa, Virginia, in paſcuis *Perenne.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, albido-cinerea, rugis transverſalibus, ſubannulatis, craſſitie vix digiti minimi, ſpithamæa, ſubramoſa, fibris capillaribus ſerie longitudinali ſimplici utrinque diſpoſita. *Parencyma* carnoſum, e tunicis congeſtis conſtans, fibra centrali rigida, tenaci, poſt ſectionem transverſalem toto diſco annulatum: annulis concentricis, puncto centrali, e fibra abſci-

ſciſſa; lacteſcens. *Folia* cuncta radicalia, plura congeſta, petiolata, palmaria, utrinque pubeſcentia, patentia, acuta, runcinato-pinnatifida: lobis oppoſitis, confluentibus, triangularibus, acutis, ſurſum excurrentibus, baſi rectis, undique dentatis; coſta tenaci, albida, teretiuſcula. *Petioli* marginati, baſi vaginato-plani, albi. *Scapi* plures ex una radice, erecti, teretes, vix tomentoſi, nudi, uniflori, longitudine vix foliorum. *CALYX* communis glaber, duplex: *exterior* pallidus, polyphyllus: ſquamis linearibus, planis, acutis, imbricatis, reflexis; *interior* viridis, polyphyllus: ſquamis parallelis, linearibus, contiguis, erectis, carinatis, apice fuſcis, calyce exteriore paullo longioribus. *COR.* compoſita, æqualis, hermaphrodita. *Propria* ligulata, truncata, 5-crenata, ſupra lutea, ſubtus purpuraſcens. *STAM.* ſyngeneſiæ, lutea. *PIST.* *Germen* ovatum, ſcabridum; *pappo* ſtipitato, ſimplici. *Stylus* ſtaminibus longior. *Stigmata* 2, revoluta, lutea. *Receptac.* nudum.

PROPR. *rec.* & *ſiccat.* *rad.* *Odor* nullus. *Sapor* initio obſcure dulceſcens, tum amarus. Primo vere minus amaricans, magis abundans ſucco melligineo; æſtate magis amaricans. *Herbæ odor* debilis; *ſapor* amarus.

VIRTUS: aperiens, diuretica.

USUS. Obſtructio hepatis, Hypochondriaſis, Icterus.

OBS. 1. Tota planta vegetans lacteſcit: *lacte* ſpiſſo, albiſſimo, cremori lactis ſimillimo, ſapore amaro. Radix recentiſſime effoſſa admodum lacteſcit, ſed ante deſinit lac fundere, quam evidenter marceſcere occipit planta. Radix, ſcapus, petioli, nervique foliorum lac ſtillant, ſed ipſa ſubſtantia folii minime. Hoc lac pro-

rum-

rumpit intra tunicas radicis, ipſis tunicis non lactiferis. Neque fibra centralis lacte fœcunda. Si lac illud chartæ albæ tenuiter illinitur & ſiccatur, maculam relinquit ſplendentem; ſin craſſius inungitur charta, eadem macula rubicunda inquinatur. Lac, in vaſculo receptum & exſiccatum, pariter ſe habuit, ac de lacte Scorzoneræ dictum eſt.

OBS. 2. *Succus*, e radicibus Taraxaci, tempore vernali vel autumnali effoſſis, expreſſus cauteque inſpiſſatus, tenax fit, in fila ductilis, melligineus, limpidiuſculus, colore rubicundo, ſapore decocti maltæ inſpiſſati. Qui vero e radicibus, ſub æſtate collectis, paratur, turbidus fit, ſubfuſcus, amaricans.

OBS. 3. Principio ſuo dulci nutrientem vim exſerit hæc radix, quare etiam in culinas introduci jam pridem cœpit. Petioli teneri crudi eduntur in ſatura herbaria. Radices a Talpis colliguntur, quemadmodum aliæ radices eſculentæ.

OBS. 4. *Infuſum* aquoſ. *radicis* ſiccatæ limpidum, luteſcens, ſapore radicis; vitr. martis paullulum fuſceſcit. Infuſum *foliorum* ſiccat. luteſcens, leniter amaricans; vitriolo martis nigreſcit.

OBS. 5. In hepatis morbis præſtantiſſima eſt radix hæc recens, ſero lactis, juſculis & apozematibus incocta. Præclara identidem inde vidi, ubi alia fefellerunt. Sæpe mihi ſucceſſit reſolvere duritiem hepatis cum juſculo, parato e radice rec. Taraxaci & fol. rec. Acetoſæ, in ſero lactis coctis, vel in aqua, addito vitello ovi, quod juſculum quotidie per plures ſeptimanas, immo menſes, ſumſerunt ægroti, propinato ſimul cremore Tartari. Hoc regimen exoptata præſtitit etiam in calculo felleo & in aſcitide.

404. CICHORIUM Intybus. LINN. *Sp. pl.* 1142. *Mat. m.* 373.

Intybus ſylveſtris. CAMER. *Epit.* 285.
Cichorium ſativum. BLACKW. *Herb. t.* 177.
Cichorium ſylveſtre. BLACKW. *Herb. t.* 183.
DOD. *Pempt.* 624.
Pharm. *CICHORII* Radix.
Culinis ——— Folia tenera virentia.
Locus. Europa, ad margines agrorum. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix fuſiformi-cylindrica, craſſitie digiti, ſpithamæa, ſæpe pedalis, deſcendens, fibrilloſa, fibrillis ſparſis; *parencymate* albo, poſt ſectionem transverſalem notato centro medullari orbiculato, duriuſculo, ſtriato-radiato; corticali parte carnoſa, lacteſcente: lacte albo. *Folia* radicalia primi anni tenera, longius petiolata, cuneiformi-oblonga, obtuſa, ſubſucculenta, integra, ſubdentata, pollicaria vel ultra, utrinque glabra, inferne attenuata, in petiolum decurrentia. *Petioli* ſupra concavi, ſubtus convexo-teretes.

PROPR. rec. rad. Odor nullus; *ſapor* intenſius amarus. *Folior. tener. Odor* nullus; *ſapor* grate amaricans; *maſticata* tenera, comminuuntur: ſaliva viridi-luteſcente.

VIRTUS: aperiens, tonica, diuretica.

USUS. Hypochondriaſis, Obſtructio hepatis, Icterus.

OBS. 1. *Infuſum* radic. ſicc. aquoſum limpidum, citrinum, odore nullo, ſapore primum dulceſcente, mox amaro; cum vitr. martis color ſibi conſtat.

OBS. 2. Folia tenera ſecantur pro ſatura herbaria, ſapida amaritie grata.

405. CICHORIUM Endivia. LINN. *Sp pl.* 1142. *Mat. m.* 374.

In-

Intybum ſativum. Dod. *Pemptad.* 623. Lob. *Hiſt.* 117.
Endivia criſpa. Bauh. *Pin.* 125.
Endivia. Blackw. *Herb. t.* 378.
Culinis ENDIVIÆ Herba virens.
Locus. Colitur ubique in hortis. *Bienne.*

FORMA. rec. Radix cylindrico-fuſiformis, fibrilloſa. *Caulis* dodrantalis, erectus, ſimplex, teres, glabriuſculus, vix lanuginoſus, pallide virideſcens. *Folia* alterna, lanceolato-cuneiformia, inferne attenuata, apice obtuſa, dilute viridia, utrinque glabra, ſed coſta ſcabrida, fragili; ſpithamæa, erecta, venoſa, margine undique dentata: dentibus linearibus, inæqualibus, acutiuſculis, ciliato-ſcabris, ſubdenticulatis, parvis interjectis; *ſuperiora* folia ſeſſilia, amplexicaulia, magis linearia; *ſuprema* inferne ovato-oblonga, dentata, ſuperne ſenſim lineari-lanceolata, ſerrata, ciliata; *inferiora* ut & *radicalia* longius petiolata. *Petioli* profunde canaliculati, ſubtus convexi, ſupra concavi, margine utrinque denticulato-ſerrato. *Flores* axillares, ſolitarii, pedunculati.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* grate amaricans; *maſticata* comminuuntur: ſaliva viridi.

VIRTUS: aperiens, temperans.

USUS: culinaris.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum herbæ recent. luteſcens Theæ inſtar, odore nullo, ſapore amaricante; cum vitr. martis paullulum fuſceſcit.

OBS. 2. Si l. a. curabitur planta, in faſciculum liganda, unde folia magis albida teneraque evadunt, & flores vix erumpunt. Editur cruda, quaſi Lactuca, in ſatura herbaria.

406.

406\. ARCTIUM Lappa. LINN. *Sp. pl. 1143. Mat. m. 375.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 3.* OED. *Icon. t. 642.*

Bardana ſ. Lappa major. DOD. *Pempt. 38.*

Lappa major ſ. Arctium Dioſcoridis. ZANNICH. *Venez. t. 257.*

Perſonata. CAMERAR. *Epit. 887.*

Pharm. BARDANÆ Radix, Herba, Semina.

Locus. Europa, Virginia, Canada, in cultis. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix cylindrico-fuſiformis, majuſcula, ſubpedalis, deſcendens, inſtructa fibris filiformibus, ſerie longitudinali, oppoſita; extus fuſco-cinerea, apice ſquamis deuſtatis, emarcidis. *Parencyma* album, poſt ſectionem transverſalem diſtinctum centro medullari orbiculato, ſpongioſo, in annoſioribus cavo. *Caulis* erectus, tereтiuſculus, undique ſtriato-ſulcatus, groſſe villoſus, tripedalis, ramoſus, diffuſus. *Racemi* alterni, axillares e foliis, erecto-patentes, ramuloſi. *Folia* alterna, patentia, petiolata, cordata, ſupra obſcure viridia, rugoſa, ſubtus cinerea, villoſa, nervoſa, venuloſo-reticulata, nervis & venulis hiſpidiuſcula, pedalia, margine undulata, groſſe crenata, repanda, angulis poſticis rotundatis, erectis, unde concava baſi apparent. *Petioli* dodrantales, undique villoſi, ſubtriquetri, ſubtus ſulcato-angulati; angulis purpuraſcentibus; ſupra plani, purpurei, baſi latiores, ſubvaginati, ſubamplexicaules. *Corymbulus* florum terminalis, contractus, folioſus, floribus brevius pedunculatis. *Foliolum* loco bracteæ, ad quemvis calycem, calyce paullo longius. *CAL.* communis ovatus, imbricatus, glaber, ſed filis araneoſis implexus, viridi-purpuraſcens, undique ſquarroſus: ſquamis

mis apice hamatis; quarum inferiores ſubulatæ; interiores lineares, adpreſſæ, ſummo apice ſubulato-hamatæ. *COR.* compoſita, cærulea, longitudine calycis, tubulata. *Propria* infundibuliformis; tubo filiformi, albo; limbo tubuloſo-campanulato, violaceo, 5-fido, acuto, erecto. *STAM. Filam.* 5, capillaria, alba. *Anth.* tubuloſa, cærulea, ore 5-dentato, corolla paullo longior. *PIST. Germen* ſubtriquetrum, album, incurvatum, coronatum *Pappo* brevi, ſetaceo. *Stylus* albus, ſtaminibus longior. *Stigma* bifidum, ſubulatum, exſertum. *Semina* oblonga, fuſca, ſtriata, craſſiuſcula. *Receptac.* paleaceum: paleis ſetoſis, albis.

PROPR. rec. rad. Odor vix ullus; *ſapor* debilis, vix amaricans, *ſicc.* in taleolas longitudinales ſciſſa, dura, fragilis, colore ſordido; *maſticata* emollitur in ore, comminuitur, non ingrata; *Herbæ* rec. *odor* nullus; *ſapor* amarus; *maſticatur* ſaliva viridi; *Seminum: ſapor* amarus.

VIRTUS radicis: mundificans, diuretica, diaphoretica.

USUS radicis: Arthritis.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum *rad.* ſicc. tenue, luteſcens, odore & ſapore debili; vitriolo martis non nigreſcit, ſed turbidum fit & opaleſcit.

OBS. 2. Radix junior effoſſa tenera eſt & eſculenta, & ſi, tanquam radix Scorzoneræ, pro menſa paratur, ſatis ſapida fit. Vernali tempore colliguntur etiam caules juniores, & parantur ut turiones aſparagi, ipſa radice ſapidiores.

OBS. 3. De radice Bardanæ ejusque in Arthritide uſu legiſſe juvat libellum cl. J. Hill (*). Folia Bardanæ

(*) *Management of the Gout, with the virtues of Burdock-root.* London 1758.

næ recentia laudat J. H. Schoenheyder (*) in excoriationibus & ulceribus apertis, extus adhibita; narratque, hæc folia opem tuliſſe, ubi remedia heroica fefellerunt.

OBS. 4. Sunt qui ſemina in nephritide magni æſtimant, ſub forma emulſionis propinata.

407. CARDUUS marianus. Linn. *Sp. pl.* 1153. *Mat. m.* 316. Kniph. *Bot. orig. cent.* 1.
Carduus Mariæ. Blackw. *Herb. t.* 79. Dalech. *Hiſt.* 1475.
Sylibum, Carduus Mariæ. Lobel. *Icon.* 2. *p.* 7.
Carduus leucographus. Dod. *Pempt.* 710.
Pharm. *CARDUI MARIÆ* Herba, Semina.
Locus. Europa auſtralis, Anglia, locis ruderatis. *Annuus.*

FORMA. rec. *Radix* cylindrica, deſcendens, undique fibroſa. *Caulis* erectus, angulatus, undique ſtriatus, minutim lanuginoſus, ſimpliciuſculus, bi-vel tripedalis, ſuperne ramoſus. *Folia* ovali-lanceolata, alterna, frequentia, ſeſſilia, amplexicaulia, glabra, nitida, ſupra ex albido & viridi variegata, ſubtus viridia, nervis hirſuta, ſubfragilia, margine ciliato-ſpinoſa; *inferiora* pedalia, petiolata, runcinata: lobis oppoſitis, ſubovatis, concavis marginibus undique erectis, quorum inferiores ſenſim minores; *ſuperiora* ſinuata, dentata, dentibus oblongis, ciliatis; *ſuprema* lanceolata, acuta, ciliato-ſpinoſa, concava. *Petioli* foliis breviores, piloſi, craſſi, ſucculenti, trigoni, ſupra concavi, albo-hirſuti, ſubtus convexi, utrinque compreſſi, margine utrinque veſtiti lobis foliaceis, oppoſitis, ſubcordatis, pariter ciliato-ſpinoſis, ſurſum currentibus, baſi liberis, erectis. *Flores* in ramis terminales, pedun-

(*) *Collectan. Societ. med. Havnienſ. vol.* 1. *p.* 228.

dunculati, ſolitarii: pedunculis foliofis. *CAL.* communis ovato-ſubrotundus, imbricatus: ſquamis infimis minoribus, cuneiformibus, obtuſis, minutim lanuginoſis, ciliatis, inæqualibus; mediis majuſculis, oblongis, adpreſſis, apice auctis foliolo ovato-oblongo, patentiſſimo, concavo, ciliato-ſpinoſo, terminato ſpina rigida, recta; ſupremis longioribus, auriculis ſenſim minoribus. *COR.* cærulea, æqualis, tubuloſa, calyce longior, hermaphrodita. *STAM.* ſyngeneſiæ. *Semina* obovata, obtuſa, utrinque compreſſiuſcula, ex albido & fuſco nebuloſa, nitida, coronata *Pappo* ſetaceo, ſimplici, inſtar penicilli. *Receptac.* carnoſum, ſetaceum.

PROPR. rec. herbæ: Odor nullus; *ſapor* herbaceus; *maſticata* folia ſuccoſa: ſaliva viridiſſima; *ſeminum: odor* debilis; *ſapor* dulceſcenti-leniter ſubamaricans, vix acriuſculus.

VIRTUS ſeminum: diaphoretica.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum *folior.* rec. obſcure viride, herbaceum; vitriolo martis nigro-fuſceſcit. Infuſum *ſeminum* contuſorum aqueo-emulſivum, ſuperficie pingvi, odore & ſapore nullo, a vitriolo martis non alteratur.

OBS. 2. Semina in praxi quotidiana pulveribus refrigerantibus contra Pleuritidem immiſcentur. Folia, utut ſaporis debilis herbacei, acidum tamen ſal eſſentiale continent, Tartaro vini analogum, ut obſervavit cl. MARGGRAF (*).

408. CYNARA Scolymus. LINN. *Sp. plant.* 1159. SCHWENCK. *Gewaſſ.* 442.

Ci-

(*) *Memoir. de l' Academ. des ſcienc. de Berlin,* 1747. p. 79.

Cinara hortenſis foliis non aculeatis. Zuck. *Mat. alim. 198.*

Cynara. Blackw. *Herb. t. 458.* Dod. *Pempt. 712.*

Culinis CYNARÆ capita virentia.

Locus. Europa auſtralis. Colitur in hortis. *Perennis.*

FORMA.rec. Flores (capita) ſubſolitarii, pedunculati: pedunculis craſſis, teretibus, ſtriatis, minutim lanuginoſis, folioſis: foliis petiolatis, cuneiformi-lanceolatis, obtuſis, retuſis, ſupra venoſis, glabriuſculis, ſubtus reticulatis, villoſis. *CAL.* communis ovatus, obtuſus, polyphyllus, imbricato-ſquarroſus, magnitudine fere pugni: ſquamis lanceolatis, bipollicaribus vel ultra, glabris, carnoſis, ad medium arcte adpreſſis, tum divaricatis, concavis, apice mucronatis, pungentibus; inferioribus ſenſim brevioribus. *COR.* compoſita, æqualis, tubuloſa, calyce vix longior; *propria* tubo longiſſimo, cylindrico, albo, apice clavato; limbo 5-partito: laciniis ſubulatis, ſuperne planiuſculis, obtuſis, ſordide ferrugineis, erectis. *STAM. Filam.* 5, ſetacea, clavæ tubi inſerta. *Anth.* cylindrica, ore 5-fido: laciniis linearibus, obtuſis. *PIST. Germen* ovato-tetragonum, glabrum, inſtructum *Pappo* ſimplici, ſetaceo, corolla breviore, albo. *Stylus* filiformis, corolla paullo brevior. *Stigmata* 2, ſubulata, conniventia, erecta, corolla longiora, cærulea, exſtantia. *Receptac.* carnoſum, ſetoſum: ſetis albis, longitudine fere Pappi.

PROPR. ſquamar. crud. Odor vix ullus; *ſapor* amaricans, ingratus; *coctar.* ſapor vix amaricans, gratus; *maſticatæ* carne tenera, abraſili.

VIRTUS: diuretica.

USUS: culinaris.

OBS.

OBS. 1. Calyces ante floreſcentiam reſecti elixantur in aqua ſubſalſa, & eduntur ſquamæ calycinæ, vehiculo embammatis, abradendo carnem lateris interioris; receptaculum, ut tenerrimum & magis carnoſum, maxime ſapidum eſt. Eſitantur etiam cocti & refrigerati, cum oleo, aceto & pipere.

OBS. 2. Corollæ rec. in aqua frigida per 48 horas infuſæ, addito pauxillo ſalis culinaris, lac coagularunt, fere ut coagulum animale, uti docet cl. YOUNG (*). Flores Cardui vulgaris, Jaceæ, ſuccus Acetoſæ, & Galium luteum, lac non coagularunt. In Barbaria utuntur Arabes & Mauri floribus Cynaræ ad caſeum conficiendum; SHAW (**).

409. CYNARA Carduncaulus. LINN. *Sp. pl. 1159.*
Carduus eſculentus. ZÜCK. *Mat. alim. p. 184.*
Scolymus aculeatus. TABERNÆM. *Hiſt. 1075.*
Culinis CARDUNCULI Herba.
Locus. Creta; colitur in hortis. *Perennis.*

FORMA. rec. Caulis erectus, teretiuſculus, bipedalis, craſſitie pollicis, undique ſulcatus, adſperſus pube rara, ſuperne ramoſus. *Rami* alterni, erecti, magis lanuginoſi, ſubviſcidi, digitis compreſſi debilius adglutinantes, compreſſiuſculi, ſtriati. *Folia* radicalia petiolata, ſubtus villoſa, albido-cinerea, reticulata, ſupra glabra, ſaturate viridia, nitidiuſcula, tripedalia, duplicato-pinnatifida: pinnis oppoſitis, oblongis, apice productis, baſi in coſtam decurrentibus, margine foliaceo, erecto, integro; ſingulis pinnatifidis; ſinubus ſubtus reflexis; laciniis lanceolatis, integris; *Caulina* alterna, ſeſſilia, brevius de-

(*) *Diſſert. de Lacte*, in cl. SANDIFORT *Theſaur. diſſert. vol.* 2. *p. 534.*

(**) *Voyage dans la Barbar. &c. tom. 1. p. 311.*

currentia: decurſu pinnatifido; longa, pedalia vel ultra, ſupra obſcure viridia, ſubviſcida, pubeſcentia, ſubtus albido-cinerea, villoſa, utrinque nervis reticulata, juxta coſtam ſupra concava, pinnatifida: laciniis oppoſitis, lanceolatis, acutiuſculis, obtuſe dentatis: dentibus rotundatis, inſtructis aculeis fragilibus. *Coſta* valida, ſubtus convexa, ſtriata, ſupra concava. *Petioli* craſſi, pubeſcentes, folio breviores, ſubtus convexi, undique ſulcati, ſupra concavi, margine utrinque dentati. *Flores* in ramis terminales, erecti, ſolitarii, pedunculati. *Pedunculi* craſſi, ſubfolioſi, uniflori. *CAL.* communis ovatus, imbricatus: ſquamis ovato-oblongis, glabris, vix pollicaribus, ſubcarnoſis, ultra medium adpreſſis, tum divaricatis, plano-concavis, apice mucronatis, pungentibus; inferioribus ſenſim minoribus. *COR.* compoſita æqualis, tubuloſa, calyce longior; *propria* tubo cylindrico, longiſſimo, albo, longitudine calycis, apice clavato: limbo 5-partito: laciniis ſetaceis, ferrugineis, apice planiuſculis, obtuſis, erectis. *STAM. Filam.* 5, ſetacea, clavæ tubi inſerta. *Anth.* cylindrica, ferruginea, ore 5-fido, erecto, obtuſiuſculo. *PIST. Germ.* oblongum, ſubtetragonum, glabrum, inſtructum *Pappo* ſetaceo, corolla duplo breviore. *Styl.* filiformis, corollæ vix longitudine. *Stigm.* 2, cærulea, cylindrica, conniventia, erecta, exſtantia. *Receptac.* carnoſum, ſetoſum: ſetis longitudine pappi, albis.

PROPR. rec. Odor debilis, graviuſculus, balſamicus; *ſapor* amarus, odori congruens; *coct.* ſapidus.

VIRTUS: diuretica.

USUS: culinaris.

OBS.

OBS. Folia virentia colliguntur in faſciculum, circumvolvuntur ſtramine, & poſtquam luteſcentia evaſerunt, eſitantur tamquam turiones Aſparagi, prævia infuſione in aqua calida, abjicienda, ſubſequente decoctione in aqua ſubſalſa; eduntur cum embammate, ad aſparagos uſurpari ſolito, vel condimento ex jure carnium, butyro & pauxillo macis vel piperis.

410. CARLINA acaulis. LINN. *Sp. pl.* 1160. *Mat. m.* 378.

Chamæleon albus. CLUS. *Hiſt.* 2. *p.* 155. CAMER. *Epit.* 428.

Carlina altera. DOD. *Pempt.* 715.

Pharm. *CARLINÆ* (*Cardopatiæ*) Radix.

Locus. Europa auſtralis, in apricis. *Perennis.*

FORMA. *ſicc.* *Radix* dodrantalis, cinerea, cylindrica, apice ramoſa, extus fuſca, longitudinaliter rugoſa, tuberculata: tuberculis ſparſis, e fibris reſectis; *parencyma* ſolidiuſculum; poſt ſectionem transverſalem notatum centro medullari, amplo, ſtriato: ſtriis radiantibus, obducto annulo fuſco, ſæpe tamen carioſo.

PROPR. *ſicc.* *Odor* fragrans, validus, non ingratus; *ſapor* aromaticus, acris, calidiuſculus, ſatis gratus; *maſticata* emollitur in ore, lingvam & fauces labiaque leniter mordet, diu inhærens, halitum oris aromaticum reddens, etiamſi fauces aqua frigida ſæpius eluuntur.

VIRTUS: alexiteria, ſudorifera.

USUS.

OBS. Radix *aquam ſtill.* dat fragrantem, cum *oleo ſtillatitio* pariter fragrante, in aqua ſubſidente; NEUMANN.

OBS. 2. Flores hujus plantæ, eodem modo ac Cyna-

nara ſolet parati, menſis in Helvetia ſubinde apponuntur; v. HALLER.

411. CARTHAMUS tinctorius. LINN. *Sp. pl. 1162.*
Mat. m. 377.
Cnicus indicus. RUMPH. *Amboin. 5. p. 215. t. 79. f. 2.*
Cnicus vulgaris. CLUS. *Hiſt. 2. p. 152.*
Pharm. CARTHAMI Flores, Semina.
Locus. Oriens, India. *Annuus.*

FORMA. Petala corollæ compoſitæ rubra, infundibuliformia; tubo filiformi, elongato; limbo 5-partito: laciniis linearibus, acutiuſculis, erectis, binerveis: nervo utrinque marginali, fuſco. *Semina* alba, nitida, conica, ſubincurvata, ſubtetragona, baſi latiora, apice oblique obtuſa, puncto excavato ad latus apicis, magnitudine ſeminis Pyri Mali vel ultra, ponderoſa. *Parencyma:* nucleus oleoſus, intra corticem cartilagineum.

PROPR. ſicc. Florum: Odor & *ſapor* debiles. *Seminum: Odor* nullus; *ſapor* ſubdulceſcens; *maſticata* leniter nauſeoſa, acriuſcula. Semina, aquæ immiſſa, ſubſidunt.

VIRTUS florum: tinctoria; *ſeminum:* purgans.

USUS.

OBS. Petala florum Carthami duplici prædita ſunt parte colorante, altera gummoſa, lutea, altera vero reſinoſa. Prior extrahitur aqua ſimplici; poſterior nonniſi in ſpiritu Vini vel lixiviis alcalinis ſolubilis. Hic color ruber eſt, in luteſcentem vergens; diluitur & belle ceriſeus fit ex addito ſucco citri. Sericum, bombyx & lintea hoc colore imbuentur, ſi juſculo Carthami alcalino, ſucco citri ſaturato, frigide immittantur, præcipue ſi Orleana pro baſi ſ. fundamento ſup-

ſuppoſita ſit. Repetitis infuſionibus, alternatim exſiccando, in materia tingenda color exaltari poteſt. Verum Carthami color fugax eſt, brevique evaneſcit a radiis ſolis, vel etiam ab aëre libero; deſtruitur porro ab omnibus alcalinis, acidis mineralibus, immo etiam a puriſſimo ſpiritu vini. Reducitur ſucco citri, quando cauſſa fuit alcalina.

412. SANTOLINA Chamæcypariſſus. LINN. *Sp. pl. 1179. Mat. m. 383.*

Abrotanum femina vulgaris. BLACKW. *Herb. t. 346.* CLUS. *Hiſt. 1. p. 341.*

Santolina. DOD. *Pempt. 269.*

Santolina foliis teretibus. DUHAM. *Arbr. 2. p. 258. t. 67.*

Pharm. SANTOLINÆ Herba.

Locus. Europa auſtralis. *Fruticulus.*

FORMA. rec. Caulis fruticoſus, pedalis vel ultra, teres, brunneus, cortice rimoſo, erectus, ramoſus, diffuſus. *Rami* ſparſi, patuli, ſimplices, teretes, erecti, inferne brunnei, ſuperne minutim tomentoſi, albi, folioſi, ramuloſi: ramulis breviſſimis, internodiis vix longioribus, ſubpatentibus, veſtitis foliis. *Folia* ramorum alterna, frequentia, internodiis longiora, petiolata, vix minutim pubeſcentia, pinnato-dentata: dentibus cylindricis ſ. turbinatis, obtuſis, brevibus, patulis, utrinque geminis, unde quadrifariam ſpectant; *tenera*, h. e. ramulorum, tomentoſa, quadrifariam imbricata: dentibus ſubgloboſis. *Petiolus* (ſ. rachis) compreſſus, ſupra verſus marginem utrinque longitudinaliter ſulcatus. *Pedunculi* laterales, ſolitarii, longiſſimi, dodrantales, teretiuſculi, ſtriati, inferne pubeſcentes, folioſi: foliis ſparſis; ſuperne glabri, nudi, uniflori. *CAL.*

communis glaber, hemiſphæricus, arcte imbricatus: foliolis ſubcarnoſis, convexis, linearibus, obtuſis, incurvis, adpreſſis, margine membranaceo-ſcarioſis, minutim ciliatis, apice obtuſis. *COR.* compoſita æqualis, diſcoidea, lutea, hemiſphærica, magnitudine fructus Ceraſi minoris; *propria* infundibuliformis. *Tubus* cylindricus, incurvus, calyce longior. *Limbus* 5-fidus: laciniis ovato-acutis, reflexis. *STAMINA* ſyngeneſiæ, longitudine vix corollæ. *PIST. Germ.* oblongum, obſolete tetragonum, glabrum, nudum. *Stylus* ſetaceus, corolla longior. *Stigm.* 2, ſubulata, revoluta, exſerta, lutea. *Receptac.* paleaceum: paleis membranaceis, linearibus, concavis, carinatis, obtuſis, germine paullo longioribus, apice ciliato-piloſis.

PROPR. rec. Odor fragrans, graviuſculus, non ingratus; *ſapor* amarus, aromaticus: aromate in Angelicam ſylveſtrem incidente.

VIRTUS: ſtomachica, anthelminthica.

USUS.

ORDO
POLYGAMIA SUPERFLUA.

413. TANACETUM vulgare. LINN. *Sp. pl. 1184. Mat. m. 381.* KNIPH. *Botan. orig. cent. 2.* GMEL. *Sibir. 2. p. 133. t. 65. f. 1.*

Tanacetum vulgare luteum. ZANNICH. *Venez. t. 283.* BLACKW. *Herb. t. 464.*

Tanacetum. DOD. *Pempt. 36.* LUDW. *Ectyp. p. 11 t. 22.*

Pharm. TANACETI Herba, Flores, Semina.

Locus. Europa. *Perenne.*

FOR-

FORMA. rec. Caules plures ex una radice, erecti, teretes, ſtriato-angulati, glabri, bi-vel tripedales, ſuperne ramoſi. *Rami* alterni, erecti, ſimplices, pariter ſtriato-angulati. *Folia* alterna, ſeſſilia, amplexicaulia, utrinque viridia, glabra, punctata: punctis excavatis, opacis; pinnata: pinnis ſeſſilibus, lineari-lanceolatis, inciſo-pinnatifidis, ſerratis; inferioribus ſeſſilibus, ſuperioribus in rachi communi usque ad pinnam proximam decurrentibus; coſta plana, utrinque dentata, ſerrata. *Corymbus* terminalis, in cauſe & ramis, ſeſſilis, faſtigiatus. *Bracteæ* lineari-ſubulatæ, in pedunculis. *CAL.* communis hemiſphæricus, glabriuſculus, luteo-virideſcens, imbricatus: ſquamis adpreſſis, lanceolatis, acutis, apice ſcarioſis, cineraſcentibus. *COR.* compoſita convexa, lutea, ſubæqualis, diſcoidea, calyce paullo longior. *Propria* hermaphrodita, tubulata, ſtriato-angulata; ore truncato, 5-fido, acuto, erecto; *fœmineæ* pauciſſimæ in radio, anguſtiores, trifidæ. *STAMINA* ſyngeneſiæ, corolla breviora. *PIST. Germen* oblongum, glabrum, nudum. *Stylus* ſetaceus, corolla longior. *Stigmata* 2, revoluta. *Receptac.* nudum. *Semina* parva, cylindrico-turbinata, angulata, utrinque truncata.

PROPR. rec. folior. Odor fortis, gravis, acutus; *ſapor* aromaticus, odori congruens, amarus, acutus. *Florum* rec. & ſiccat. *Odor* foliis conveniens, paullo tamen gratior; *ſapor* a foliis vix abludens, ſed magis aromaticus, magis calidus. *Seminum : odor* fragrans, fortis; *ſapor* amarus, acutus.

VIRTUS: tonica, ſtomachica, anthelminthica, emmenagoga, diuretica, reſolvens.

USUS: Hyſteria, Cachexia, Lumbrici.

OBS. 1. Extrahitur menſtruo aquoſo & ſpirituoſo. *Aqua ſtill.* fragrans. *Infuſum* aquoſum *folior.* rec. rubro-aurantium, odore fragrante Tanaceti, forti; ex vitr. martis nigreſcit. Infuſum *florum* recent. limpidiuſculum, luteum, odore & ſapore foliorum, infuſo congruente, magis tamen aromatico; vitriolo martis nigreſcit. *Extractum* florum aquoſum ad unam quartam partem obtinetur; ſpirituoſum vero ad unam ſextam partem; Cartheuser. *Oleum ſtillat.* flavum, acre & amaricans.

OBS. 2. Lumbricis validum eſt antidotum Tanacetum, præcipue ſemina, in praxi medica uſitatiſſima.

414. TANACETUM Balſamita. Linn. *Sp. pl.* *1184. Mat. m. 382.* Kniph. *Bot. orig. cent.* 2.
Mentha ſarracenica. Ludw. *Ectyp. p. 8. t. 16.*
Balſamita mas. Blackw. *Herb. t. 98.*
Coſtus hortenſis. Dalech. *Hiſt. 678.*
Balſamita major. Dod. *Pempt. 293.*
Pharm. BALSAMITÆ Herba.

Locus. Europa auſtralis. *Perenne.*

FORMA. rec. Caules plures ex una radice, bipedales, erecti, teretiuſculi, angulati, minutim pubeſcentes, ramuloſi, ramis alternis, breviuſculis. *Folia* alterna, petiolata, integra, ovata, obtuſa, margine undique obtuſe ſerrata, utrinque viridia, punctata, minutim pubeſcentia, palmaria vel ultra, erecto-patentia; *tenera* villoſa. *Petioli* foliis multo breviores, latiuſculi, ſupra plano-concavi, ſubtus carinati, baſi ſubdecurrentes. *Stipulæ* 2, oppoſitæ, ſubcuneiformes, inciſo-dentatæ; ſæpe ſtipulæ 2 aliæ, inferiores, parvæ;

væ, lineares, oppoſitæ, integræ. *Corymbus* terminalis, erectus, minutim lanuginoſus, ſeſſilis, faſtigiatus, compoſitus e ramis alternis, inferne folioſis, ſuperne ſingulis corymbuloſis. *Bracteæ* lineares, acutæ, ſolitariæ ad ramulos corymbi, & in pedunculis. *CAL.* communis hemiſphæricus, lanuginoſus, undique imbricatus: ſquamis plurimis linearibus, adpreſſis, ſubciliatis. *COR.* compoſita lutea, æqualis, tubuloſa, longitudine calycis; *propria* tubo rugoſo, ore quinquefido, acuto, patente. *STAMINA* ſyngeneſiæ, longitudine vix corollæ. *PIST.* *Germen* ſubcylindricum, ſtriatum, angulatum, glabrum, nudum. *Stylus* filiformis. *Stigm.* 2, linearia, truncata, patentia, corolla vix longiora. *Receptac.* nudum.

PROPR. rec. Odor fragrans, in Salviam incidens, ſed longe gratior; *ſapor* amaricans, aromaticus, ab odore non abludens, calidus; *maſticata* folia rec. in lingva calefaciunt, fere ut Camphora, ſed debilius.

VIRTUS: ſtomachica, tonica, reſolvens, emmenagoga.

USUS. Hyſteria.

OBS. *Infuſum* aquoſ. viridi-rubicundum, odore fragrante, ſapore amaricante, aromatico; vitriolo martis fuſco-nigreſcens.

415. ARTEMISIA Abrotanum. LINN. *Sp. pl. 1185. Mat. m. 385.*

Abrotanum mas anguſtifolium majus. DUHAM. *Arbr. 1. p. 20. t. 4.*

Abrotanum mas. DOD. *Pempt. 21.*

Pharm. ABROTANI Herba.

Locus. Europa auſtralis, Oriens. *Suffrutex.*

FORMA. rec. Caulis inferne fruticoſus, fuſcus, glabriuſculus, teretiuſculus, ſuperne her-

baceus, undique ſtriato-angulatus, tectus foliis & ramis, pedalis, minutim lanuginoſus. *Rami* ſparſi, frequentes, erecti, folioſi. *Folia* ſparſa, petiolata, utrinque punctata, minutim lanuginoſa, duplicato-pinnatifida: laciniis lineari-anguſtis, elongatis, obtuſis, integerrimis, ſupra biſulcatis, ſubtus obſolete carinatis; *ramea* ſimpliciora, longius petiolata. *Petioli* lineares, ſupra plani, biſulcati, ſubtus convexiuſculi. *Axillæ* omnes foliorum fœcundæ ramulis & eorum rudimentis. *Flores* racemoſi, ſubrotundi, nutantes, magnitudine ſeminis Raphani.

PROPR. rec. Odor fragrans, validior, ſubtemulentans, gratus; *ſapor* aromaticus, odori congruens, amaricans, calidiuſculus.

VIRTUS: tonica, ſtomachica, reſolvens, emmenagoga.

USUS. Cachexia, Gangræna.

OBS. Extrahitur potius menſtruo ſpirituoſo, quam aquoſo. *Infuſum* aquoſum luteſcens, odore fragrante, ſapore aromatico, amaricante; vitriolo martis nigreſcit.

416. ARTEMISIA tota cinerea. GRONOV. *Orient.* *259.*

Artemiſia contra. LINN. *Mant. 2. p. 282?*

Abſinthium Santonicum. RAUW. *Raiſ. p. 456. t. 42.*

Abſinthium Santonicum Judaicum. ZANON. *Hiſt. p. 1. t. 1.*

Abſinthium Seriphium ægyptium & ſemen ſanctum, Scheba Arabum. CAMER. *Epit. 457. t. 457. fig. infer.*

Sementina. JAGER *Epiſt. 388. 390.*

Pharm. CINÆ (Santonici) Semina.

Locus. Regnum Mogol, Perſia. *Perennis.*

FOR-

FORMA. ſicc. Summitates plantæ deraſæ, conſtantes e fruſtulis ramulorum & foliis plantæ viridulis, parvis, ſubulatis, obtuſis, utrinque compreſſis, ſupra & infra linea elevata carinatis, glabriuſculis, atque e capitulis parvis, ſubaggregatis, viridulis, ſubrotundis, obtuſis ſ. turbinatis, minutim pubeſcentibus, imbricatis: ſquamis ovatis, obtuſis, concavis, vix ciliatis, erectis, adpreſſiuſculis; quarum inferiores ſenſim minores.

PROPR. ſicc. Odor fragrans, fortis, graviuſculus, ſubnauſeoſus, balſamicus, fere Chenopodii Botryos; *ſapor* odori congruens, amaricans, calidiuſculus, aromaticus, inhærens; *maſticatæ* facile comminuuntur, calent in lingva, ſubſequente ſenſu quaſi frigoris.

VIRTUS: ſtomachica, anthelminthica, emmenagoga.

USUS. Lumbrici.

OBS. 1. Extrahitur menſtruo aquoſo & ſpirituoſo. *Extractum* aquoſum vix aromaticum; ſpirituoſum vero totum ferme aroma continens. *Infuſum* aquoſum rubicundum, odore & ſapore fragrante; vitr. martis addito nigro-fuſceſcit. Hujus infuſi guttæ 40, aquæ font. unc. ß inſtillatæ, addito vitr. martis, colorem fuſco-rubicundum protulerunt.

OBS. 2. Ad lumbricos profligandos revera multum valent ſemina Cinæ. Propinari debent in ſubſtantia, adultis drachm. 1 vel 2, bis de die. Pellunt communiter lumbricos, ſed larvas inſectorum minus certo; nec Tænia illis cedit, niſi in larga doſi ſumantur, & tunc ſolummodo fruſtula Tæniæ divulſa abeunt.

OBS. 3. Puellæ cuidam decenni, vermibus conflictanti, ſemina Santonici exhibui, ſed per illud tempus, quo iis utebatur, menſes fluxerunt, qua re cognita, uſum

ſum eorundem diſſvaſi, unde etiam fluxus ſponte ceſſavit.

OBS. 4. Intèr merces, quas mercatores Armeni per Orientem circumferre ſolent, ſemina Cinæ locum occupant, quæ e regno Mogol petita eſſe aſſerit TOURNEFORT (*).

417. ARTEMISIA pontica. LINN. *Sp. pl.* 1187. *Mat. m.* 387. KNIPH. *Bot. or. cent.* 6.
Abſinthium tenuifolium incanum. DUHAM. *Arbr.* 1. *p.* 24. *t.* 5. DOD. *Pempt.* 24.
Pharm. ABSINTHII PONTICI Herba.
Locus. Auſtria. Colitur in hortis pharmaceuticis. *Perennis.*

FORMA. rec. Caules plures ex una radice, teretes, minutim angulati, pedales, ſuperne pubeſcentes, ramuloſi. *Rami* alterni, breviuſculi, axillares e foliis, patentes. *Folia* alterna, petiolata, plana, ſupra minutim villoſa, murideſcentia, obſolete punctata, ſubtus cinerea, minutim tomentoſa, pollicaria vel ultra, duplicato-pinnatifida: laciniis lineari-ſubulatis, acutiuſculis, ſimplicibus vel dentatis; *ſuperiora* trifida. *Petioli* foliis breviores, ſupra canaliculati. *Stipulæ* loco foliola 2, oppoſita, pinnatifida, laciniis ſubulatis, petiolo breviora, erecta. *Racemi* florum virgati, in ramis terminales, elongati, patentes, ſinguli ſecundi, compoſiti e racemulis brevibus, folioſis: foliolis trifidis ſ. ſimplicibus, breviuſculis, vix patentibus. *Flores* ſubgloboſi, nutantes, breviter pedicellati: pedicellis folioſis. *Calyces* tomentoſi. *Corollæ* compoſita, calyce vix longior.

PRO-

(*) *Voyage du Levant*, T. 3. *p. m.* 111.

PROPR. rec. & *ſicc. Odor* fere Abrotani, ſed gravior, in Abſinthium vulgare incidens, verum gratior; *ſapor* aromaticus, calidiuſculus, in Tanacetum incidens, amarus; *maſticata* folia recentia debilius calent in ore & faucibus, ſaliva virideſcente.

VIRTUS: tonica, ſtomachica, emmenagoga, reſolvens.

USUS. Atonia.

OBS. *Infuſum* aquoſ. herbæ rec. pulchre luteum, aurei coloris, odore fragrante, ſapore aromatico, amaricante, grato; vitriolo martis ſubito fuſco-nigreſcit; hujus infuſi guttæ 20, cum aquæ puræ unc. ß & vitriolo martis, colorem obſcure virideſcentem ſtiterunt.

418. ARTEMISIA Abſinthium. LINN. *Sp. pl. 1188. Mat. m. 386.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 4.*

Abſinthium vulgare majus. DUHAM. *Arbr. 1. p. 24. t. 5.*

Abſinthium vulgare latifolium. FEHR *Abſinth. p. 11. t. 1.*

Abſinthium. CAMER. *Epit. 452.* BLACKW. *Herb. t. 17.*

Abſinthium latifolium. DOD. *Pempt. 23.*

Pharm. ABSINTHII VULGARIS Herba.

Locus. Europa, in ruderatis. *Perennis.*

FORMA. rec. Caulis erectus, bipedalis, teres, villoſus, albidus, ſtriato-angulatus, paniculatim ramoſus. *Rami* ſparſi, axillares e foliis, ſimplices, ſtriati, ſuperiores breviores. *Folia* alterna, petiolata, plana, minutim punctata & villoſa, mollia, pinnatifida: pinnis alternis, cuneiformibus, pinnatifidis: laciniis linearibus, obtuſiuſculis; *ſumma* ſeſſilia, cuneiformia, trilobata; *ſuprema* integra, lineari-lanceolata. *Racemi* florum

rum terminales in ramis, compoſiti, folioſi, ſecundi, virgati, floribus pedicellatis, nutantibus, magnitudine ſeminis Cannabis. *Bracteæ* lineari-ſubulatæ, ad pedicellos. *CAL.* communis ſubgloboſus, imbricatus: ſquamis exterioribus ſubulatis, obtuſis, ſuperne concaviuſculis, tomentoſis, paucioribus; interioribus ovatis, ſcarioſis, ferrugineis, carina villoſis, adpreſſiuſculis. *COR.* compoſita convexiuſcula, calyce paullo longior, ferrugineo luteſcens; *propria diſci* hermaphrodita, tubuloſa, ore 5-fido; *radii* fœminea, ſubulata, obtuſa. *STAM. Filam.* 5, capillaria. *Anth.* tubuloſa, corolla brevior. *PIST.* utrisque: *Germen* obovatum, glabrum, nudum. *Stylus* ſubulatus, corolla paullo longior. *Stigm.* 2, patentia; diſci linearia, truncata; radii ſubulata. *Receptac.* villoſum.

PROPR. rec. & *ſicc. Odor* fortis, fragrans, graviuſculus, temulentans; *ſapor* intenſius amarus.

VIRTUS: antiputredinoſa, antacida, anthelminthica, reſolvens, tonica, ſtomachica.

USUS. Vermes, Cachexia, Colica frigida, Appetitus langvidus.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum luteum, odore fragrante Abſinthii, ſapore amariſſimo; vitriolo martis fuſco-nigricans. *Oleum ſtill.* fuſco-viride, odore Abſinthii debiliore, ſapore debili Abſinthii, calidiore, terebinthinato. Ex herb. abſinth. libr. 25 olei eſſ. a drachm. 6 ad drachm. 10 obtinuit cl. Baumé. Inter decoquendum, id, quod in Abſinthio temulentiam facit, avolat; hinc *extractum* aquoſ. bonum, perquam amarum, $\frac{1}{3}$ fere ponderis foliorum.

OBS. 2. De Abſinthio ſcripſit J. M. Fehr (*). Laudat Abſinthium ut optimum ventriculo, & reliquis ama-

(*) *Hiera picra, vel de Abſinthio analecta.* Lipſ. 1668.

maris præſtabilius, cumprimis utile in hydrope, vermibus, obſtructionibus hepatis, ſcorbuto, calculo, podagra, febribus intermittentibus. Nocere vero dicit abſinthium epilepticis & apoplecticis. Scripſit pro tempore bene, & proprias obſervationes immiſcuit plurimas.

419. ARTEMISIA vulgaris. LINN. *Sp. pl. 1188. Mat. m. 384.* ZANNICH. *Venez. t. 237.* BAUH. *Hiſt. 3. p. 184.*

Artemiſia. BLACKW. *Herb. t. 431.*

Pharm. ARTEMISIÆ RUBRÆ Herba.

Locus. Europa, in cultis. *Perennis.*

FORMA. rec. Caulis erectus, bi-vel tripedalis, teres, ſtriato-angulatus, lanuginoſus, ramoſus. *Rami* virgati, ſimplices, ſtriati, pubeſcentes, erecto-patentes; inferiores ſenſim minores. *Folia* plana, alterna, ſeſſilia, bipollicaria, ſuperne viridia, glabra, lineata, ſubtus tomentoſa, cinerea, pinnatifida: lobis ſuboppoſitis, lanceolatis, acutis, pinnatifidis: laciniis lineari-lanceolatis, acutiuſculis, ſubdentatis; lobis inferioribus integris; infimis lunulatis, ſtipulæ loco circum caulem flexis. *Panicula* florum terminalis, virgata, compoſita e racemis compoſitis, elongatis, folioſis, in ramis terminalibus, conſtantibus e racemis axillaribus, ſimplicibus, ſecundis, erectis, floribus brevius pedicellatis. *Folia floralia* longitudine fere racemi, reflexo-patentia, integra; inferiora ſimpliciter pinnatifida; ſuprema ſimplicia, linearia. *Bracteæ* lineari-ſubulatæ, ad pedicellos ſitæ, longitudine fere florum. *CAL.* communis ſubgloboſus, magnitudine ſeminis cannabis, ſubtomentoſus, imbricatus: ſquamis erectis, adpreſſiuſculis; inferioribus linearibus; ſuperioribus

bus ovali-oblongis, obtuſiuſculis, membranaceis. *COR.* compoſita diſcoidea, longitudine calycis, truncata; *propria* diſci hermaphrodita, cinerea, tubo filiformi, limbo turbinato, ore 5-fido, acuto, revoluto; *radii* fœminea, ſetacea, ore bifido. *STAM. Filam.* 5, capillaria. *Anth.* cylindrica, corolla brevior. *PIST. Germ.* utrisque ovale, obtuſum, glabrum, nudum. *Styl.* ſetaceus, corolla longior. *Stigm.* 2, linearia, latere ſuperiore ſulcata, revoluta; radii ſubulata, acuta; diſci truncata, apice villoſa. *Receptac.* nudum.

PROPR. rec. fol. Odor ſubfragrans, ſubrancidus; *florum odor* fortior; *ſapor* herbaceus, vix amaricans; *maſticata* folia tenacia, ſaliva viridi.

VIRTUS: emmenagoga, tonica.

USUS. Menſes difficiles, Obſtructio menſium.

OBS. *Infuſum* aquoſum herbæ rec. obſcure rubro-aurantium, odore forti herbæ, ſapore odori congruente, vix amaricante; vitriolo martis nigro-fuſceſcens.

β. Artemiſia orientalis vulgaris facie, Maſia pattree malab. BROWN. *Philoſ. tranſact. vol.* 22. *p.* 1020.

Artemiſia chinenſis cujus mollugo Moxa dicitur. PLUK. *Almag.* 50. *t.* 15. *f.* 1.

Ambroſia, forſan e China, anguriæ foliis accedens. PLUK. *Alm.* 27. *t.* 10. *f.* 6.

Pharm. MOXA.

Locus. China, Japonia. *Perennis.*

FORMA. Fomes tomentoſus, virideſcenti-brunneus, leviſſimus, mollis, conſtans tomento conglomerato: pube tenui.

PROPR. Odor nullus, neque *ſapor.* Moxa optimo fomiti inſervit; accenditur facillime ex ſcintillis, absque flamma, igne gliſcente & ſerpente,

ce, usque dum conſumta fuerit, fumat: fumo non ingrato, remanente favilla molliſſima, ſubtomentoſa, nigra, inquinante. In ignis flamma accenditur & flagrat absque flamma. Moxæ fruſtulum magnitudine ſeminis Piſi majoris, foliis libri cujusdam impoſitum, accenſum & crematum, folium primum comburendo perforavit, maculamque nigram ſubjacenti folio impreſſit.

VIRTUS.

USUS. Cauterium actuale.

OBS. 1. Japonenſes ſequenti modo Moxam præparant. Sumunt Artemiſiam, in umbra exſiccatam, potiſſimum ejus ſummitates, tundunt, & inter ambas manus tamdiu conterunt, quoad nihil amplius quam fibræ internæ lanuginoſæ remanent, cortice externo decidente. Abhinc carminantur pectine, ita ut qui proceſſum non conſpexit, Artemiſiam amplius eſſe vix credere poſſet. A. Cleyerus (*).

OBS. 2. De Moxa illiusque uſu bene ſcripſit E. Kæmpferus (**). Gentibus plerisque Aſiaticis moris antiqui fuit, ut morbos doloresque cauterizando levarent ac depellerent. Arabes, Perſæ & Indi Muhamedani ſolent pannum goſſypinum cæruleum convolvere, & ſupra cutem comburere, ex quo ſequuntur ulcera, ſæpe conſolidatu difficillima. Indi gentiles medullam adhibent Junci, oleo Seſami imbutam, & poſt accenſam. Chinenſes & Japonenſes, revellendi ſcopo, Moxa igneſcenti pro cauterio utuntur. Scilicet portionem Moxæ in conum convolvunt, altitudinis pæne uncialis, quem loco inurendo affigunt, & illata faſtigio ſcintilla accendunt, atque ſic depaſci ſinunt. Imbecillibus 3 duntaxat Moxæ turundas ſingulis in locis applicant, robuſtioribus vero 10, 15,

(*) *Epiſtol.* apud Valentini *l. c. p. m.* 432.

(**) *Amoenit. exot. p.* 589. *ſeq.*

20 vel plures imponunt. Hic mos arthritidem, podagram & rheumatiſmum ope cauterii actualis curandi, ad alias migravit gentes. Sic Arabes Beduini goſſypium loco moxæ ſupra cutem accendunt (*). Lappones vero fomite ex Boleto igniario utuntur (**). Experimentis inſtitutis Leeuwenhoek (***) invenit, Goſſypii conciſi turundam, juxta Moxam chartæ impoſitam & accenſam, illi exacte reſpondere; ſic parum refert, utrum cum Moxa vel Goſſypio cauterium applicetur.

420. ARTEMISIA Dracunculus. Linn. *Sp. pl.* 1189. Gmel. *Sibir.* 2. *p.* 126. *t.* 59. 60. *f.* 1.
Dracunculus hortenſis. Blackw. *Herb. t.* 116.
Draco herba. Dod. *Pempt.* 697.
Pharm. DRACUNCULI Herba.
Locus. Sibiria, Tartaria. *Perennis.*

FORMA. rec. Caules plures ex una radice, bipedales vel ultra, erecti, teretes, ſuperne ſubangulati, glabri, ramoſi. *Rami* alterni, erecti; inferiores breviores. *Folia* alterna, ſeſſilia, integra, lanceolata, acuta, utrinque glabra, atomis minutiſſimis adſperſa, ſupra venuloſa; *caulina* bipollicaria, dependentia; *ramea* minora, patentia. *Stipulæ* 2, oppoſitæ, lineari-ſubulatæ, obtuſæ, erectæ, arcuatæ. *Racemus* terminalis, compoſitus, paniculatus, folioſus: foliolis linearibus. *Flores* pedunculati, parviuſculi, gemini, ovati, nutantes, magnitudine vix ſeminis Cannabis. *CAL.* communis imbricatus, ovatus, ſaturate viridis, vix minutim pubeſcens: ſquamis ovato-oblongis, convexis, obtuſis, concaviuſculis, margine tenui, mem-

(*) D'Arvieux *Voyage dans la Paleſt. p.* 254.
(**) Can. Leem *de Lapponib. Finmarch. p.* 378.
(***) Vide Rob. Hooke's *Philoſ. experim. and obſervat. p.* 73.

membranaceo; quarum inferiores minores. *COR. compoſita* calyce paullo longior, ferruginea, tubulata, mixta e floribus hermaphroditis & fœmineis; *propria* hermaphrodita, cylindrica, tubo ſubdiaphano, ore 5-fido, acuto; fœminea ovata, ſubdiaphana, acuta, hermaphroditis duplo brevior. *STAMINA* ſyngeneſiæ, corolla breviora. *PIST. Germen* hermaphroditis obſoletum; fœmineis cylindricum. *Stylus* cylindricus. *Stigma* hermaphroditis ſimplex, incluſum; fœmineis bifidum, revolutum, corolla longius. *Receptaculum* nudum.

PROPR. rec. Odor fragrans, ſvaveolens, ſubambroſiacus; *ſapor* aromaticus, odori congruens, gratus, vix amaricans; *maſticata* folia calidiuſcula, lingvam & fauces leniter calefacientia, ſaliva virideſcente.

VIRTUS: tonica, ſtomachica, emmenagoga.

USUS: culinaris.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum herbæ rec. luteſcens, odore fragrante, valido, ſapore aromatico; vitriolo martis fuſco-nigreſcit. *Acetum* Dracunculi gratiſſimum, fragrans.

OBS. 2. Folia Dracunculi ſiccata ſ. recentia adhibentur in culinis noſtris ad cibi condimentum, omnino gratum. In Perſia uſus culinaris hujus herbæ ab antiquiſſimis retro temporibus adeo invaluit, ut in omni menſa ſpargantur hujus folia, quæ a diſcumbentibus inter prandendum arripiuntur eduntur que, ad appetitum excitandum. Immo pauperes Perſarum cibi loco Dracunculum adhibent, contenti ſolo pane, cum Dracunculo & oxyſaccharo. P. Della Valle (*).

(*) *Reiß-beſchreib. part. 3. p. 54.*

421. GNAPHALIUM arenarium. LINN. *Sp. pl.* *1195. Mat. m. 389.*

Chryſocoma aureave coma. LOB. *Hiſt.* 256.

Stœchas citrina germanica. BAUH. *Hiſt.* 3. *p.* 153.

Pharm. *STOECHADIS CITRINÆ* Flores.

Locus. Europa, in campis arenoſis. *Annuum.*

FORMA. rec. Corymbus cymoſus, terminalis, ſubquarroſus: ſquamis alternis, linearibus, acutis, minutim tomentoſis, remotis. *CAL.* communis luteo-citrinus, ſubrotundus, imbricatus: ſquamis ſcarioſis, lanceolatis, acutis, laxiuſculis; inferioribus minoribus. *COR.* compoſita tubulata, calyce paullo longior, planiuſcula, lutea, uniformis, hermaphrodita; *propria* cylindrica, ore 5-fido, erecto. *STAM.* ſyngeneſiæ. *PIST. Germen* cylindricum, ſcabriuſculum, coronatum *Pappo* ſimplici, ſeſſili, longitudine corollæ. *Stylus* ſetaceus. *Stigm.* 2, ſubuluta. *Receptac.* nudum.

PROPR. ſicc. Odore & ſapore caret. *Recens* odoris eſt debilis, at grati.

VIRTUS: leniter adſtringens.

USUS. Suffimenta.

OBS. *Infuſum* aquoſ. luteſcenti-rubicundum, ſapore & odore debili; vitriolo martis fuſco-nigreſcit.

422. GNAPHALIUM dioicum. LINN. *Sp. pl.* 1199. *Mat. m.* 388. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 3.

Piloſella minor. DOD. *Pempt.* 68.

Pharm. *GNAPHALII* Flores.

Locus. Europa, in apricis. *Perenne.*

FORMA. rec. Flores pedunculati, corymboſi: corymbo terminali, ſimplici, tomentoſo, folioſo. *CAL.* communis imbricatus: ſquamis linearibus, virideſcentibus, tomentoſis, apice coronatis ſquama ſcarioſa, obovata, obtuſa, incarnata

vel

vel purpuraſcente, erecta, radium efformante. *COR.* compoſ. hermaphrodita, longitudine calycis; *propria* infundibuliformis; tubo cylindrico, virideſcente; limbo campanulato, villoſo, diaphano, 5-fido, acuto. *STAM.* ſyngeneſiæ. *PIST. Germ.* turbinatum, coronatum *Pappo* ſimplici, ſubcriſpo. *Styl.* cylindricus. *Stigma* ſimplex. *Fœminei* flores in diſtincta planta, corollulis cylindricis, anguſtis. *Receptac.* nudum, faveolatum.

PROPR. rec. Odor debiliſſimus; *ſapor* herbaceus, debilis.

VIRTUS: leniter adſtringens.

USUS. Suffimenta.

OBS. I. *Infuſum* aquoſ. colore potus Theæ, odore debili, ſapore ſubſtyptico; vitriolo martis nigreſcit.

423. TUSSILAGO Farfara. LINN. *Sp. pl. 1214. Mat. m. 391.* OED. *Icon. t. 595.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 6.* BLACKW. *Herb. t. 204.*

Tuſſilago vulgaris. ZANNICH. *Venez. t. 266.*

Tuſſilago. CLUS. *Hiſt. 140.* CAMER. *Epit. 590. 591.*

Tuſſilaginis flores & folia. LOB. *Hiſt. 320.*

Bechii ſive Farfaræ flores & folia. DODON. *Pempt. 586.*

Pharm. FARFARÆ Radix.

TUSSILAGINIS Folia, Flores.

Locus. Europa, locis humidiuſculis, argilloſis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix vivax, cylindrica, teres, repens, tuberculoſa: tuberculis ſparſis, ſubrotundis, ſubpiſiformibus; ramoſa, fibrilloſa. *Scapi* vernales, radicales, plures ex una radice, erecti, ſimplices, ſubſpithamæi, teretiuſculi, undique angulati, pubeſcentes, uniflori, ſquamoſi: *ſquamis* ſparſis, membranaceis, virideſcentibus

lanceolatis, concavis, obtuſiuſculis, ſubpatentibus, glabris. *Folia* poſt florem, æſtivalia, radicalia cuncta, longius petiolata, ſubrotundo-cordata, margine undique obſolete lobata, denticulata: denticulis ſubpurpuraſcentibus; ſpithamæa vel ultra, plana, patentia, ſupra glabra, venoſa, ſubtus tomentoſa, cinerea. *Petioli* teretes, ſupra plani, tomento raro adſperſi. *CAL.* communis cylindricus, undique ſulcatus, pubeſcens, utrinque truncatus, baſi tumidiuſculus, multipartitus: ſegmentis linearibus, parallelis, ſubæqualibus, convexis, marginibus membranaceis inflexis, apice pariter membranaceo, explanato, erecto, obtuſo. *COR.* compoſita radiata, lutea, calycis longitudine. *Radius* fœmineus, multiflorus, corollis linearibus, anguſtis. *Diſcus* hermaphroditus, corollis infundibuliformibus, tubo filiformi, elongato, limbo ſubdiaphano, campanulato, 5-fido, revoluto. *STAM.* ſyngeneſiæ, corolla paullo longiora. *PIST. Germ.* utrisque cylindricum, coronatum *Pappo* piloſo. *Styl.* cylindricus, fœmineis elongatus. *Stigma* hermaphrod. ſimplex; fœmineis 2, acuta. *Receptaculum* nudum.

PROPR. rec. Radicis: Sapor ſubſtypticus, leniter amaricans; *ſicc. odor* debilior, non ingratus, *ſapor* ut in recente. *Folior.* rec. *odor* debilis; *ſapor* amaricans; *maſticata* folia lubriciuſcula. *Florum* rec. *odor* debilis; *ſapor* amaricans, ſubgraviuſculus.

VIRTUS: pectoralis.

USUS. Tuſſis.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum *radicis* luteo-rubicundum, ſapore radicis; vitriolo martis nigreſcens. *Foliorum*

rum infuſum luteum, leniter amaricans, ſatis gratum; vitriolo martis ſubito fuſco-nigreſcit.

OBS. 2. Folia & flores Tuſſilaginis ſub forma infuſi frequenter adhibent noſtrates in Tuſſi. Cl. Th. Percival (*) uſum hujus herbæ comprobat in hectica & diarrhœa colliquativa.

424. TUSSILAGO Petaſites. Linn. *Sp. pl.* 1215. *Mat. m.* 390.

Tuſſilago major. Camer. *Epit.* 592.

Petaſites. Dod. *Pempt.* 487. Lobel. *Hiſt.* 321. Blackw. *Herb. t.* 222.

Pharm. PETASITIDIS Radix, Herba, Flores.

Locus. Europa, ſolo pingviore. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix vivax, majuſcula, craſſitie digiti, longa, deſcendens, nudiuſcula, glabra, apice incraſſata, ovata, fibris plurimis filiformibus, deſcendentibus, e capite radicis exeuntibus. *Parencyma* carnoſum; poſt transverſalem ſectionem notatum diſco medullari orbiculato, cincto annulo compoſito e punctis geminis, oblongis. *Petioli* radicales, teretiuſculi, ſtriati, villoſi, canaliculati, baſi vaginati. *Folia* cordata, ſubtomentoſa, quinquenervia: nervis ramoſis; margine inæqualiter ſerrato-dentata: denticulis fuſceſcentibus; poſt flores increſcentia, tandem magna. *Scapus* radicalis, angulatus, ſubtomentoſus, dodrantalis, adſperſus *ſquamis* lanceolatis, nervoſis, glabris, purpuraſcentibus. *Thyrſus* terminalis, ſimplex, ovatus, obtuſus, pedunculis unifloris. *Bracteæ* lineari-lanceolatæ, acutæ, ad baſin pedunculi inque ipſo pedunculo ſitæ, longitudine pedunculi. *CAL.* communis turbinatus,

(*) *Eſſays medical and experimental*, vol 2. p. 224.

glaber, multifidus; ſegmentis lineari-lanceolatis, obtuſiuſculis, parallelis, imbricatis, erectis, ſubæqualibus. *COR.* compoſita diſcoidea, hermaphrodita, violacea; *propria* infundibuliformis, tubo filiformi, elongato, limbo campanulato, 5-fido, revoluto. *STAM.* ſyngeneſiæ. *PIST. Germ.* teres, glabrum, coronatum *Pappo* ſimplici, pauciſſimo. *Stylus* ſtaminibus longior. *Stigma* ovatum, obtuſum, exſertum. *Receptac.* nudum.

PROPR. rec. Radic. Odor gravis; *ſapor* ingratus, amaricans, leniter ſtypticus. *Foliorum: ſapor* nauſeoſus, radice fortior, ingratus, amaricans; *odor* ingratus. *Flores* odore & ſapore conveniunt, ſed debiliores ſunt.

VIRTUS: tonica, alexiteria, ſudorifera, emmenagoga.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum radicis ſicc. rubicundo-luteſcens; cum vitr. martis nigrum. CARTHEUSER dicit, aquam ſtill. odoram eſſe, & parum olei ſtill. præbere; *Extractum* aquoſum ad unam quartam partem; ſpirituoſum vero ad unam octavam partem dare.

425. SOLIDAGO Virgaurea. LINN. *Sp. pl. 1235. Mat. m. 393.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 7.*

Virga aurea vulgaris latifolia. BAUH. *Hiſt. 2. p. 162.*

Virga aurea altera ſerrato folio. LOB. *Hiſt. 159.*

Virga aurea. DODON. *Pempt. 142.*

Pharm. VIRGÆ AUREÆ Herba.

Locus. Europa, in pratis ſylvaticis. *Perennis.*

FORMA. rec. Caulis erectus, pedalis vel ultra, ſimplex vel ramoſus, ſtriato-angulatus, glaber. *Folia* alterna, ovali-oblonga, acuta, argute ſerrata, minutim ciliata, venoſa, utrinque glabri-

briuſcula, ſupra adſperſa atomis cinereis, bipollicaria; inferiora caulina petiolata, ſuperiora ſpathulata, ſumma ſeſſilia, ovato-lanceolata, utrinque attenuata, integerrima; radicalia, h. e. folia primi anni novi ſurculi, longe majora, palmaria vel ultra, longius petiolata: petiolo profunde canaliculato. *Racemus* terminalis, pubeſcens, ſubſecundus, folioſus, erectus, compoſitus e racemulis axillaribus, foliis brevioribus, erectis, pedicellis inſtructis bracteis lineari-ſubulatis. *CAL.* communis imbricatus: ſquamis ſubmembranaceis, glabris, lineari-lanceolatis, acutiuſculis, carinatis, erectis, ſquarroſis; interioribus paullo majoribus. *COR.* compoſita lutea, radiata; *propria radii* ligulata, linearis, obtuſa, emarginata, calyce paullo longior, erecta; *diſci* tubulata, ore 5-fido, erecto, acuto. *STAM.* ſyngeneſiæ, longitudine corollæ. *PIST.* *Germen* utriſque oblongum, glabrum, coronatum *pappo* ſimplici, erecto. *Stylus* filiformis. *Stigm.* 2, ſubulata, revoluta. *Receptac.* nudum.

PROPR. rec. Odor debilis, aromaticus; *ſicc.* fortior. *Sapor* amaricans, calidiuſculus.

VIRTUS: tonica, vulneraria, diuretica.

USUS. Ulcera interna.

OBS. *Infuſum* aquoſum rubicundum, odore ſubbalſamico, ſapore herbaceo, ſubamaricante; cum vitr. martis nigro-fuſceſcit.

426. INULA Helenium. LINN. *Sp. pl. 1236. Mat. m. 392.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 7.*

Helenium. CAMER. *Epit. 35.* DOD. *Pempt. 342.* BLACKW. *Herb. t. 473.*

Pharm. ENULÆ Radix.

Locus. Europa auſtralis, Virginia. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix alba, majuſcula, ſuperne ramoſa: ramis teretibus, breviuſculis; undique obſeſſa fibris filiformibus, albis. *Parencyma* carnoſum, transverſaliter ſectum centro medullari albo, uniformi, circumdato annulo punctato, peripheria incarnata, ſtriis radiata.

PROPR. rec. Odor gravis, validiuſculus; *ſapor* amarus, ingratus, in Acorum incidens, diu inhærens; *maſticata* comminuitur, lingvam faucesque leniter calefaciens.

VIRTUS: tonica, ſtomachica, pectoralis, alexiteria, pellens, emmenagoga.

USUS. Tuſſis, Aſthma humidum.

OBS. *Infuſum* aquoſum luteo-rubicundum, odore & ſapore radicis; cum vitr. martis nigreſcens. Rad. recent. libræ 3 dant extr. aquoſi unc. 7. Deſtillatione aqua ſtill. fragrans obtinetur, una cum pauxillo camphoræ, ſub forma floccoſa, ut obſervavit cl. Malouin. Ex radic. rec. Enulæ libr. 12, drachm. ß olei ſtill. facile cryſtalliſibilis, obtinuit cl. Baumé.

427. ARNICA montana. Linn. *Sp. pl. 1245. Mat. m. 395.* Oed. *Icon. t. 63.*

Diuretica. Renealm. *Specim. 118.*

Caltha alpina. Tabernæm. *Icon. 336.*

Pharm. ARNICÆ Herba, Flores.

Locus. Europa frigidior, in pratis. *Perennis.*

FORMA. rec. Caulis teretiuſculus, ſubnudus, undique ſtriatus, pubeſcenti-ſcaber, erectus, pedalis, ſimplex vel ſubdiviſus: ramis binis, oppoſitis, ſimplicibus, erectis, nudiuſculis, elongatis, unifloris. *Folia* radicalia plura, ovato-lanceolata, obtuſiuſcula, ſeſſilia vel inferne attenuata in petiolos lineares, palmaria, integerrima, margine minutim ciliata, ſupra ſcabriuſcula, ſubtus glabra

bra, trinervia; *caulina* pauca, minora, alterna, lineari-lanceolata, ſeſſilia, ad ramificationem vero oppoſita. *Flores* terminales, ſolitarii, pedunculati, erecti. *CAL.* communis imbricatus, ſimplici ſerie: foliolis lineari-lanceolatis, acutis, æqualibus, pubeſcentibus, erectis. *COR.* compoſita radiata; *propria radii* ligulata, lanceolata, calyce triplo longior, patens, picta nervis longitudinalibus, parallelis, apice truncata, tridentata; *diſci* infundibuliformis, tubo cylindrico, pubeſcente, limbo cylindrico, glabro, quinquefido, laciniis revolutis, acutis, ſcabridis. *STAM. diſci*: *Filam.* 5, capillaria, minuta; *Anth.* cylindrica, corolla longior, ore 5-fido; *radii: Filam.* 5, tubo corollæ inſerta, ſterilia, absque anthera. *PIST.* utrisque. *Germ.* ſubulatum, undique longitudinaliter ſtriato-angulatum, ſcabrum, coronatum pappo. *Styl.* ſetaceus, ſtaminibus longior. *Stigm.* 2, ſubulata, ſpiraliter revoluta. *Semina* fuſca, germini conformia, coronata *Pappo* ſimplici, albido. *Receptac.* nudum.

PROPR. ſicc. Odor debilior; *rec.* graveolens, ſternutationem movens; *ſapor* herbaceus, acris. Folia ſiccata fragiliuſcula, inter manus confricata & olfacta ſternutationem excitant.

VIRTUS: emetica, errhina, diuretica, diaphoretica, emmenagoga.

USUS. Paralyſis.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum rubicundum, herbaceo ſapore, ſubſtyptico; vitriolo martis nigreſcit.

OBS. 2. Putant quidam, Arnicam ſangvinem reſolvere grumoſum, unde *Panaceam lapſorum* vocant. Sed a parca doſi incipiendum, ne moleſtiam creet, & ſenſim augendum. Propinatur communiter in infuſo, initio doſi drachm. 1, mane & veſperi, & prout circum-

cumſtantiæ ferunt ſenſim adſcendendo ad drachmas 2 vel ad unc. ß. Cl. H. J. Collin (*) pulchra experimenta inſtituit cum floribus Arnicæ. Laudat illos in paralyſi, quod 28 paralyticis profuerunt. In amauroſi 9 caſibus uſum illorum adſtruit, & obſervat, dolores acerbos in oculis circa finem curationis ſuperveniſſe. Præterea etiam antiſpasmodicos illos deprehendit, quod 7 caſibus teſtatur. Credit, hos flores vaſcula cerebri obſtructa infarctaque, & materiam ibi collectam ſolvere, atque ſic virtute quadam ſpecifica in ſenſorium commune & nervos agere. Apud pleroſque urinam cient, vel ſudorem movent, ſed identidem curant ſine ulla evacuatione ſenſibili. Sub actione florum communiter ſentiuntur formicationes, dolores lancinantes vel urentes, quæ quidem bona ſunt ſigna. Sub initio curæ ſæpe ſentiunt ægri moleſtiam in regione epigaſtrica, interdum etiam vomitum experiuntur. Si plethora & ſpiſſitudo humorum inflammatoria adeſt, præmitti debent evacuantia, antiphlogiſtica & refrigerantia. Alvus ſub uſu florum ſemper libera ſervanda, quare laxantia interponenda. Cl. V. B. Aaskow (**) curioſa experimenta cum floribus Arnicæ inſtituit, quibus confirmavit utilitatem horum florum, in tenuiori cereviſia infuſorum, in paralyſi, pro potu ordinario. Rheumatiſmum chronicum lumborum poſt 14 dies curavit flor. Arnic. unc ß, crem. tart. drachm. 2 & Nitri drachm. ß, in cereviſiæ tenuioris fervidæ libris 2 infuſis; cujus mixturæ dimidiam portionem omni mane & veſpera epotaret æger. Febres intermittentes protractas apud binas mulierculas curavit flor. Arnic. manip. ß, quem in cereviſia infudit, & 2 horis ante paroxyſmum propinavit. Valide operatum eſt hoc infuſum, cum vehementibus vomituritionibus, ſed tamen febrem ſuſtulit apud unam poſt binas

(*) *Obſervat. part. 4. p. 5. ſeq.*
(**) *Societ. med. Havnienſ. collectan. vol. 2. p. 162. ſeq.*

nas doſes, apud alteram vero poſt unicam. Ego herbæ Arnicæ unc. ß coquere feci cum cereviſia, cujus colaturam per plures dies omni mane ſumſerunt ægri, quartana laborantes; ſed febrim non ſuſtulit hoc decoctum, verum majorem in modum vexavit ægrotos. Nec radix Arnicæ mihi ſucceſſit in quartana, ſub forma pulveris exhibita.

428. DORONICUM Pardalianches. LINN. *Sp. pl.* 1247. *Mat. m.* 394. MILL. *Figur. t.* 128.
Doronicum maximum, foliis caulem amplexantibus. CAMER. *Epit.* 823.
Doronicum 7. auſtriacum. CLUS. *Hiſt.* 2. *p.* 19.
Aconitum Pardalianches primum. DOD. *Pempt.* 434.

Pharm. *DORONICI* Radix.

Locus. Alpes Helvetiæ, Pannoniæ. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix tuberoſa, ovata, vix pollicaris, alba, glabra, rugis annularibus, ciliatis; *parencymate* carnoſo, albo, poſt ſectionem transverſalem notato diſco æquali, annulo concentrico prope peripheriam, e punctis diſcretis, ſerie annulari diſpoſitis. *Siccata* dura, fragiliuſcula.

PROPR. rec. Odor debilis, aromaticus, in ſemen Nigellæ incidens; *ſapor* dulceſcens, gratus.

VIRTUS.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum rubicundo-luteſcens, odore leniter aromatico, ſapore dulceſcenti-amaricante, aromatico; cum vitr. martis fuſceſcit.

OBS. 2. Radices recentes cum voluptate eſitabat CONR. GESNERUS (*), inflationem vero præcordiorum inde paſſus. De vi hujus medica nihil certi ſtatuere poſſum; ſcri-

(*) *Epiſt. med. fol.* 18. 6.

ſcripſerunt multa veteres medici, ſed certa experientia deeſt. Radicem recentem integram cum annexis foliis floribusque cani cuidam intruſit W. COURTEN (*), ſed nullam noxam inſecutam vidit.

429. BELLIS arvenſis. LINN. *Sp. pl. 1248. Mat. m. 405.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 1.* BLACKW. *Herb. t. 200.*

Bellis ſylveſtris & hortenſis. DOD. *Pempt. 265.*

Bellis hortenſis multiplici flore. LOB. *Hiſt. 253.*

Pharm. BELLIDIS MINORIS Flores.

Locus. Europa, in apricis. Colitur in hortis. *Perennis.*

FORMA. rec. Flores ſolitarii, pedunculati, pleni. *CAL.* communis polyphyllus: foliolis ovali-linearibus, obtuſis, ciliatis, apice barbatis, viridibus, glabris, ſimplici ſerie imbricatis, erectis. *COR.* compoſita, rubro-incarnata, plena: corollis ligulatis, cuneiformibus, retuſis, bi vel tripartitis, baſi tubuloſis, tubo pubeſcenti, brevi. *STAM.* nulla. *PIST. Germ.* ovatum, compreſſum, glabrum. *Styl.* cylindricus, longitudine tubi, albidus. *Stigma* bifidum, acutum, luteſcens. *Receptac.* nudum.

PROPR. rec. Odor nullus; *ſapor* vix ullus.

VIRTUS.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum rubicundum, odore nullo, ſapore debili; vitriolo martis fuſco-nigreſcit.

430. CHRYSANTHEMUM Leucanthemum. LINN. *Sp. pl. 1251. Mat. m. 404.*

Grande margarite. BULLIARD *Fl. pariſ. t. 11.*

Bel-

(*) *Philoſ. tranſact. vol. 27. p. 485.*

Bellis major. CAMER. *Epit.* 635. DOD. *Pempt.* 265. BLACKW. *Herb.* t. 42.

Bellis major ſ. Conſolida media vulnerariorum. LOB. *Hiſt.* 253.

Pharm. *BELLIDIS PRATENSIS* Herba.

Locus. Europa, in pratis. *Perenne.*

FORMA. rec. Caulis erectus, pedalis, ſimplex, vix ramoſus, ſubpubeſcens. *Folia* alterna, ſubcarnoſa, obtuſa, ſubpubeſcentia, inciſo-ſerrata; inferiora petiolata, obovata; ſuperiora ſeſſilia, amplexicaulia, linearia, extrorſum latiora. *Flos* pedunculatus, terminalis, ſolitarius. *CAL.* communis hemiſphærico-planus, arcte imbricatus: ſquamis lanceolatis, obtuſiuſculis, adpreſſis, margine ſcarioſis, violaceis, vix pubeſcentibus, carinatis; inferioribus minoribus; intimis majoribus, linearibus, magis ſcarioſis. *COR.* compoſita radiata. *Diſcus* luteus, convexus; *radius* albus, patens. Corollæ *diſci* hermaphroditæ, tubuloſæ, tubo rugoſo, pallido, limbo paullo craſſiore, 5-fido: laciniis ovato-acutis; *radii* fœmineæ, lanceolatæ, inferne paullo anguſtiores, obtuſæ, tricrenatæ, nervis parallelis obſoletis inſtructæ, calyce triplo longiores. *STAM.* ſyngeneſiæ. *PIST.* utrisque: *Germ.* oblongum, utrinque obtuſum, ſtriatum, angulatum, glabrum, coronatum coronula paleacea, tenui, membranacea. *Stylus* ſetaceus. *Stigmata* 2, linearia, truncata, apice minutim ciliata.

PROPR. rec. Odor nullus; *ſapor* herbaceus; *maſticata* folia teneriora, ſaliva virideſcente.

VIRTUS.

USUS.

431. MATRICARIA Parthenium. LINN. *Sp. pl.* 1255. *Mat. m.* 400. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 5.

Ma-

Matricaria. BLACKW. *Herb. t.* 192. DOD. *Pempt.* 35.

Pharm. MATRICARIÆ Herba, Flores.

Locus. Europa auſtralis, locis ruderatis. *Subperennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, fibris plurimis aggregatis, longitudinaliter diſpoſitis. *Caulis* teres, erectus, undique ſtriato-angulatus, glaber, bipedalis, virgatim ramoſus. *Rami* alterni, ſtriato-angulati, erecti, minutim pubeſcentes. *Folia* alterna, ad ramos, petiolata, plana, utrinque glabra, undique adſperſa punctis parvis, excavatis, frequentibus; pinnatifida: pinnis ſuboppoſitis, ovato-oblongis, pinnatifidis, inciſo-ſerratis. *Petioli* ſubtriquetri. *Corymbus* terminalis in ramis, erectus, inferne folioſus, pedunculis elongatis, ſulcato-angulatis, pubeſcentibus. *Bracteæ* lineares, anguſtæ, ad baſin pedunculorum & in ipſis pedunculis, ſolitariæ. *CAL.* communis, hemiſphæricus, ſulcatus, cinereus, arcte imbricatus: ſquamis parvis linearibus, convexo-carinatis, margine membranaceis, ſubciliatis, apice ſcarioſis, adpreſſis. *COR.* compoſita, radiata. *Diſcus* luteus, hemiſphæricus, hermaphroditus. *Radius* albus, deflexus, hermaphroditus. *Propria diſci* tubuloſa, angulata, ſcabriuſcula, incurvata, calyce paullo longior, ore 5-fido; *radii*, ligulata, ovali-orbiculata, apice retuſa, tridentata, ſupra glabra, carinata, longitudine calycis, ſubtus rugoſa, tubo breviuſculo, utrinque marginato. *STAM. Diſci: Filam.* 5, capillaria; *Anthera* tubulata. *PIST.* utriſque. *Germ.* oblongum, ſtriato-angulatum, glabrum, nudum. *Stylus* filiformis, ſtaminibus paullo longior. *Stigm.*

2,

2, acuta, revoluta. *Semina* oblonga, angulata, nuda. *Receptac.* nudum.

PROPR. totius herbæ: *Odor* fragrans, validus, graviuſculus, in Chamomillam & Tanacetum incidens; ſed florum odor fortior; *ſapor* amaricans, aromaticus, odori congruens, calidiuſculus, præcipue florum.

VIRTUS: tonica, ſtomachica, reſolvens, emmenagoga.

USUS. Hyſteria.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. herbæ rec. ſaturate rubicundum, odore & ſapore herbæ; vitriolo martis nigrofuſcum. *Aqua ſtill.* fragrans. *Oleum ſtill.* leviter citrinum. Ex herb. Matricariæ libr. 56 accepit cl. BAUMÉ olei ſtill. unc. 1 ß. *Extractum* aquoſ. amarum, ſalinum, vix aromaticum. Extr. aquoſi ultra dimidium accepit NEUMANN; ſpirituoſi vero tres octonas partes.

OBS. 2. *Variat* floribus ſuis duplici modo, aut radio excluſo, aut diſco excluſo. Odor plantæ fragrans eximia in praxi medica pollicetur; certe hucusque apud nos neglecta planta.

432. MATRICARIA Chamomilla. LINN. *Sp. pl.* 1256. *Mat. m.* 402. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 9.

Anthemis vulgaris. LOB. *Icon.* 770.

Chamæmelum vulgare. DOD. *Pempt.* 257.

Pharm. *CHAMOMILLÆ NOSTRATIS* Herba, Flores.

Locus. Europa, in agris, cultis. *Annua.*

FORMA. rec. Caules communiter plures ex una radice, erecti, teretes, ſtriati, ſuperne angulati, inferne læves, ſuperne ramoſi, pedales. *Rami* alterni, erecti. *Folia* alterna, ſubcarnoſa, glabra, ſeſſilia, pinnato-multifida: laciniis ſubulatis, acutis. *Flores* terminales, ſubpaniculati, pedunculati:

pedunculis ſtriatis, nudis, unifloris. *CAL.* communis hemiſphæricus, arcte imbricatus: ſquamis lineari-oblongis, obtuſis, apice acutis membrana ſcarioſa. *COR.* compoſita, radiata; *Diſcus* hermaphroditus, luteus, conico-hemiſphæricus; *Radius* fœmineus, reflexus, albus. *Propria diſci:* tubulata, infundibuliformis, tubo craſſiore, membranaceo, rugoſo, ore 5-fido; *radii* ligulata, lineari-ſubcuneiformis, obtuſa, retuſa, tridentata. *STAM.* ſyngeneſiæ. *PIST.* utrisque. *Germ.* oblongum, nudum. *Styl.* breviuſculus. *Stigm.* 2, revoluta. *Receptac.* nudum.

PROPR. rec. foliorum: Odor debilius fragrans; *ſapor* acriuſculus, calidiuſculus, vix gratus. *Florum: Odor* fragrans, gratus, fortior; *ſapor* aromaticus, calidiuſculus; *ſicc.* conſimilis.

VIRTUS: diſcutiens, antiſeptica, ſtomachica.

USUS. Clyſmata, Balnea, Pediluvia, Species reſolventes.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum luteſcenti-rubrum, odore fragrante, ſapore herbæ; vitriolo martis parum fuſceſcit. *Extract.* aquoſ. dimidium ponderis florum accepit Neumann; ſpirituoſum vero ad tres octonas partes ponderis florum. *Oleum ſtill.* pulchre cæruleo-ſapphirinum. E florum libr. 1 olei cærulei drachm. 3 accepit cl. Lewis, ſcrup. 1 Neumann, & drachm. 1 cl. Spielmann. Hæſitavi ſuper colore cæruleo, dubitans, annon vaſa cuprea, ſub deſtillatione uſitata, aliquid ad eum conferre poſſent. Itaque deſtillavi Summitat. herb. Chamom. rec. libr. 20 cum aqua pura, in vaſis vitreis, & accepi ſcrup. 2 olei ſtill. ſaturate cærulei, opaci, odore fragrante Chamomillæ, ſed in oleum Terebinthinæ inſimul leviter incidente, ſapore aromatico chamomillæ, calido. Hoc oleum, guſtatum, ſalivam cæruleo tinxit; chartæ albæ illinitum, eandem cæruleo infe-

ſecit, qui tamen color temporis tractu ſponte oblitteratus eſt, ſola quippe ætate palleſcit hoc oleum in lagenis vitreis, in quibus ſervatur. Hinc color cæruleus non ex vaſis cupreis proficiſcitur, ſed huic oleo revera proprius eſt. Oleum vero Chamomillæ, quod in pharmacopoliis occurrit, ſubinde oleo Terebinthinæ defraudatum eſt; quod quidem didici, dum tale oleum in vaſis vitreis rectificavi, & purum oleum Terebinthinæ tranſcendere obſervavi. Cl. DEMACHY (*) ſtatuit, flores Chamomillæ oleum flavum dare, herbam vero cæruleum; ſed repugnat mea experientia.

OBS. 2. Flores chamomillæ frequentiſſimi ſunt uſus in balneis, ſpeciebus reſolventibus, clyſmatibus. Uſus internus rarior eſt; valent tamen identidem in ipſis febribus intermittentibus, ſi decoctum ſaturatum propinetur. Pulvis florum cortici Peruviano addi poteſt, quo quidem efficitur, ut febris, ſemel curata, adeo facile non repullulet. Oleum ſtill. oppido calidum eſt, & raro propinatur.

433. ACHILLEA Ptarmica. LINN. *Sp. pl.* 1266. *Mat. m.* 398. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 5.
Ptarmica vulgaris. CLUS. *Hiſt.* 2. *p.* 12. BLACKW. *Herb. t.* 276.
Ptarmica folio Taraconis. LOB. *Hiſt.* 243.
Draco ſylveſtris ſ. Ptarmice. DOD. *Pempt.* 698.
Pharm. *PTARMICÆ* Radix, Herba, Flores.
Locus. Europa media, Sibiria, America ſeptentrionalis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, craſſitie pennæ anſerinæ, ſubgeniculata: geniculis ſparſis, dimidiatis; alba, horizontalis, repens: fibriculis pluribus a geniculis exeuntibus. *Parencyma* album, poſt ſectionem tranſverſalem notatum cen-

(*) *Nov. act. phyſ med. A. N. C. vol.* 4. *p.* 63.

tro medullari orbiculato, parvo, cincto diſco undique ſtriato; corticali parte tenuiore. *Caulis* pedalis vel ultra, erectus, inferne teres, glaber, ſuperne ſubangulatus, villoſus, paniculatim ramoſus. *Rami* alterni, erecti. *Folia* frequentia, alterna, ſeſſilia, amplexicaulia, linearia, acuta, bi-vel tripollicaria, utrinque glabra, lucidiuſcula, ſaturate viridia, margine retrorſum ſcabra, crenata: crenis minutim ſerrulato-aculeolatis; ſubtus trinervia: nervis longitudinalibus, approximatis, quorum intermedius eſt coſta. *Corymbus* terminalis, compoſitus, erectus, villoſus, folioſus. *Bracteæ* lineares in pedunculis. *CAL.* communis globoſus, villoſus, undique arcte imbricatus: ſquamis ovato-oblongis, acutis, ſubcarinatis, margine membranaceis, apice obtuſis, ſubſcarioſis, minutim ciliatis. *COR.* compoſita, alba, plena, corollis ligulatis, fœmineis, ſubrotundis, apice obſolete tricrenatis, obtuſis. *Receptac.* paleaceum; ſquamis membranaceis, lineari-lanceolatis, obtuſis, longitudine vix florum.

PROPR. rec. radicis: Odor nullus; *ſapor* nullus; *maſticata* tenaciuſcula, primum inſipida, deinde vero acris, in lingva & faucibus mordens; *Foliorum: odor* & *ſapor* herbaceus, leviter amaricans, acris; maſticata teneriora, acria, mordentia in faucibus, fere ut radix; ſaliva viridi. *Florum*: *odor* nullus; *ſapor* in Millefolium incidens, ſed debilior, pariter acris, ſed minus quam folia.

VIRTUS: ſialagoga, ſternutatoria.

USUS. Odontalgia.

OBS. In Sibiria decoquunt totam herbam, & propinant decoctum mictu cruento vel hæmorrhagia uteri laborantibus; J. G. Gmelin (*). 434.

(*) *Flor. Sibir. tom. 2. p. 196.*

434. ACHILLEA Millefolium. LINN. *Sp. pl. 1267.* *Mat. m. 397.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 5. 7.*
Millefolium vulgare album. ZANNICH. *Venez. t. 143.*
Millefolium purpurei floris. DOD. *Pempt. 100.*
Millefolium. BLACKW. *Herb. t. 18.*
Miliifolium terreſtre. MERIAN. *Eruc. ort. p. 28. t. 71.*
Pharm. MILLEFOLII Herba.
Locus. Europa, Virginia, in paſcuis, agrorum marginibus. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix filiformis, deſcendens, fibrilloſa. *Caulis* erectus, pedalis, teretiuſculus, ſtriatus, ſubangulatus, lanuginoſus, ſimplex, ſuperne parce ramoſus. *Folia* ſeſſilia, amplexicaulia, lineari-lanceolata, alterna, pinnata: pinnulis obovatis, oppoſitis, bipinnatifidis, acutis, obliquis, ſupra minutim pubeſcentibus, ſubtus lanuginoſis; inferiora petiolata: petiolis membranaceis, ſubvaginatis. *Corymbus* florum terminalis, faſtigiatus, lanuginoſus. *Bracteæ* lineares, pinnatifidæ vel integræ, pubeſcentes, parviuſculæ, ad ramos corymbi & pedunculos. *CAL.* communis ovatus, pubeſcens, arcte imbricatus: ſquamis ovalibus, concavis, pubeſcentibus, obtuſiuſculis, ſuperne margine ciliatis. *COR.* compoſita, radiata. *Diſcus* 12-florus, longitudine calycis, hermaphroditus, albus. *Radius* 5-florus, albus, fœmineus, laxe imbricatus. *Propria diſci:* tubulata, infundibuliformis, tubo ſordide luteſcente, limbo ſubdiaphano, campanulato, albido, 5-fido: laciniis ovato-acutis, revolutis; *Radii* ligulata, alba, ſubrotunda, retuſa, tridentata, patens, tubo cylindrico, virideſcente, ſtriato, ſubpubeſcente, longitudine calycis. *STAM.* ſyngeneſiæ, corolla paul-

lo longiora, filamentis albis, anthera lutea. *PIST.* utriſque. *Germ.* oblongum, compreſſiuſculum, ſubtetragonum, album, nudum, glabrum. *Styl.* capillaris, ſtaminibus longior. *Stigm.* 2, linearia, truncata, patentia. *Receptac.* paleaceum: paleis teneris, membranaceis, oblongis, floribus brevioribus.

PROPR. rec. folior. Odor debilior, in odorem mucoris incidens; *ſapor* conſimilis, amaricans; *Florum: odor* foliorum, verum longe gratior; *ſapor* amaricans, ſubcalidiuſculus, leniter aromaticus; *ſicc.* ſapor conſimilis, leniter acriuſculus.

VIRTUS: tonica, vulneraria.

USUS. Hæmoptyſis, Hæmorrhoides, Hyſteria.

OBS. *Infuſum* aquoſ. ſummitatum luteum, odore & ſapore herbæ; vitr. martis nigreſcit. Herbæ Millefolii libr. 17 dant *Extracti* aquoſi libr. 1. Ex obſervatione cl. Lewis, herba Millefolii, ſolo pingvi lecta, *oleum* dabit *ſtillatitium* belle cæruleum; quæ vero in ſolo ſterili creſcit planta, oleum dabit luteſcens; nos autem deſtillatione accepimus oleum viride, aromate millefolii.

435. ANTHEMIS nobilis. Linn. *Sp. pl. 1260. Mat. m. 401.*

Chamæmelum odoratum. Dod. *Pempt. 259.*
Chamæmelum romanum flore multiplici. Camer. *Epit. 646.*
Chamæmelum. Blackw. *Herb. t. 298.*
Pharm. CHAMOMILLÆ ROMANÆ Flores.
Locus. Europa, in paſcuis apricis. *Annua.*

FORMA. rec. Flores pedunculati, ſæpe pleni. *CAL.* communis hemiſphæricus, minutim lanuginoſus, undique ſulcatus, imbricatus; ſquamis li-

linearibus, adpreſſis; inferioribus acutis, margine ſcarioſis; ſuperioribus paullo majoribus, pariter apice ſcarioſis, obtuſo-rotundatis. *COR.* compoſita, radiata. *Radius* fœmineus, albus, calyce duplo longior, corollis ligulatis, linearibus, obtuſis, crena duplici emarginatis, patentibus. *Diſcus* luteus, hermaphroditus, corollis infundibuliformibus, ore crenato. *STAM.* ſyngeneſiæ, corolla breviora. *PIST.* utriſque. *Germ.* lineare, nudum. *Styl.* ſubulatus. *Stigm.* 2, acuta, reflexa. *Receptac.* paleaceum: paleis ſcarioſis, linearibus, concaviuſculis, obtuſis, floribus brevioribus.

PROPR. rec. & ſicc. Odor fragrans, fortis, balſamicus, gratus, cephalicus, in Chenopodium Botrytidem incidens; *ſapor* odori congruens, amaricans, calidiuſculus.

VIRTUS: reſolvens, antiſeptica, ſtomachica.

USUS. Hyſteria, Febres intermittentes.

OBS. Extrahitur menſtruo aquoſo, ſed perfectius ſpirituoſo. *Infuſum* aquoſum luteſcens, odore fragrante, ſapore aromatico-amaricante; vitr. martis fuſco-nigreſcit. *Decoctione* odor perit; hinc *Extractum* aquoſum amarum, ſalinum, vix odoratum. *Aqua ſtill.* fragrans. *Oleum ſtill.* luteſcenti-ſubvirideſcens, fragrans, odore & ſapore florum. Oleum *coctum* fragrans. E flor. Chamom. rom. rec. & mundat. libr. 82, vaſe ſtanneo, per deſtillationem accepit cl. Baumé olei ſtill. drachm. 13, colore pulchre cæruleo. Alia vice ex eadem quantitate florum obtinuit olei ſtill. drachm. 18, ſcil. affuſa aqua ſtillatitia plantæ. Sed cum ramentorum herbæ libr. 80, ſepoſitis omnibus floribus, deſtillavit, accepit ſolummodo olei ſtill. drachm. ß, colore citrino.

436. ANTHEMIS Cotula. Linn. *Sp. pl.* 1261. *Mat. m.* 403.

Chamæmelum fœtidum ſ. Cotula fœtida. Bauh. *Hiſt.* 3. *p.* 36.

Cotula alba. Dod. *Pempt.* 258.

Cotula fœtida. Blackw. *Herb. t.* 67.

Pharm. *COTULÆ FOETIDÆ* Herba, Flores.

Locus. Europa, in agris & ad vias. *Annua.*

FORMA. rec. Radix fibroſa. *Caulis* erectus, ſæpe procumbens, pedalis, inferne teres, ſuperne ſtriato-angulatus, glaber, ramoſus, diffuſus. *Rami* alterni, erecti, cauli conformes. *Folia* ſubcarnoſa, glabra? viridescentia; caulina ad ramos, alterna, ſeſſilia, patentia, viridescentia, utrinque punctata, vix pubeſcentia, pollicaria vel ultra, duplicato-pinnatifida: laciniis lineari-ſubulatis, acuminatis, erectis. *Stipulæ* nullæ; verum laciniæ infimæ foliorum amplexicaules. *Pedunculi* elongati, erecti, in ramulis terminales, ſolitarii, ſtriati, minutim lanuginoſi ſeu pubeſcentes, nudi. *CAL.* communis hemiſphæricus, lanuginoſus, imbricatus: ſquamis lanceolatis, acutis, membranaceis, carinatis, adpreſſis; inferioribus minoribus. *COR.* compoſita, radiata. *Diſcus* luteus, convexo-conicus. *Radius* albus, patens. *Propria diſci* infundibuliformis; tubus craſſiuſculus, ſcabridus; limbus campanulatus, ore 5-fido, revoluto-patente. *Radii* ligulata, ovali-oblonga, obtuſa, tridentata, alba, ſulcis 2 depreſſis, glabra, patenti-reflexa; tubo cylindrico, ſcabrido. *STAM.* ſyngeneſiæ, corolla breviora. *PIST.* diſci: *Germen* albidum, obverſe conicum, pentagonum, ſcabridum, nudum. *Stylus* longitudine tubi. *Stigmata* 2, linearia, obtuſa, longitudine ſtaminum. Radii; *Germ.* cylindricum, ſcabridum; *ſtyl.* & *ſtigma*

ſtigma deſunt. *Semina* diſci: obverſe conica, angulata, punctis ſcabra, obtuſa, terminata puncto elevato; radii nulla; germina effœta. *Recept.* paleaceum: paleis ſetaceis, floribus brevioribus.

PROPR. rec. Odor fœtidus; folia floribus fœtidiora. *Sapor* ſubamaricans, calidiuſculus.

VIRTUS: antihyſterica.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſ. herbæ rec. luteo-rubicundum, odore fœtidiuſculo; ſapore ſubamaricante; vitriolo martis fuſceſcit. *Oleum* ſtillat. nullum e florum libris 30 obtinere potuit cl. SPIELMANN.

437. ANTHEMIS Pyrethrum. LINN. *Sp. pl. 1262. Mat. m. 396.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 11.*

Pyrethrum. BLACKW. *Herb. t. 390.* DOD. *Pempt. 344.*

Pyrethrum officinarum ſalivalis. LOB. *Hiſt. 447.*

Anthemis caulibus ſimplicibus, unifloris, decumbentibus. MILL. *Figur. t. 38.*

Pharm. PYRETHRI VERI Radix.

Locus. Barbaria. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix deſcendens, digitalis vel ultra, craſſitie pennæ anſerinæ, ſæpe cygneæ, cylindrica, recta, vix flexuoſa, extus longitudinaliter rugoſa, fuſco-cinerea, fibrillis capillaribus, ſparſis, apice ſetis & petiolis reſectis (in ſiccata) terminata. *Parencyma* album, ſubcarnoſum, poſt ſectionem transverſalem notatum centro medullari orbiculato, ſtellato, radiis obſoletis; *ſiccatæ* durum, fragile.

PROPR. ſicc. Odor vix ullus. *Sapor* peculiaris, acidus, acris, inhærens; *maſticata* dura, comminuitur, acida primum, dein acris, pungens,

gens, lingvæ labiisque inhærens, ſalivam copioſam alliciens, poſtea fauces irritans; *recentis* ſapor mitior.

VIRTUS: ſialagoga.

USUS. Odontalgia.

OBS. 1. Extrahitur in aqua, ſed perfectius in ſpiritu vini; quamobrem Extractum ſpirituoſum acrius. *Infuſum* aquoſum luteſcenti-rubicundum, limpidum, ſapore debili, vix acri, nec acidulo; ergo reſidet acrimonia in reſinoſo; vitriolo martis opaleſcit, præcipitatur.

OBS. 2. Hæc radix nondum rite cognita videtur. Fertur, illam olim inter bellaria menſis appoſitam fuiſſe, & quidem aceto conditam; certe apud veteres Romanos inter cibi condimenta fuit; ſed uſus culinaris inter Europæos hodiernos exolevit. Nonnulli jam illam ad uſum medicum internum, ut Aro æmulam, commendant. Recens, cuti applicata, agit fere ut Cortex Mezerei; ſi per 4 dies applicetur, cutem rubefacit & inflammat. Peculiaris profecto radix ſapore ſuo acido & acri. Arabibus dicta eſt *Guntuſs*, & in magna copia quotannis Conſtantinopolim & Cairum apportatur, ubi, ut narrat SHAW (*), conditur Saccharo, ad morbos pectoris & odontalgiam adhibenda.

ORDO
POLYGAMIA FRUSTRANEA.

438. HELIANTHUS tuberoſus. LINN. *Sp. pl.* 1277. ZÜCK. *Mat. alim. p. 83.*

Flos ſolis Farneſianus. COLUMN. *Ecphr.* 2. *p.* 11. *t.* 13.

Cu-

(*) *Voyage dans pluſieurs provinces de la Barbar. tom.* 2. *p.* 102.

Culinis: HELIANTHI TUBEROSI Radix recens.

Locus. Virginia. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix polymorpha, extus olivacea, conflata e *tuberibus* pluribus, ſubrotundis, glabris, concatenatis, divorſum ſpectantibus, inæqualibus; adſperſis fibris filiformibus, ſolitariis, elongatis, albido-ferrugineis. *Parencyma* album, carnoſum, poſt ſectionem transverſalem notatum diſco æquali-, uniformi.

PROPR. rec. Odor nullus; *ſapor* vix ullus; *maſticata* tenerior, comminuitur, ſubſucculenta. Radix recens, raſa, rubeſcit & aquam affuſam brunneo tingit; ſed amylum non dat. Tubera hæc, in aqua *cocta*, evadunt mollia, tenera, pulpoſa, dulceſcentia, albida, odore fere Piſi cocti.

VIRTUS: nutriens.

USUS: culinaris.

OBS. 1. Si in olla ferrea elixantur tubera hæc, tunica exterior obvolvens nigra fit, & parencyma colorem incarnatum ſubfuſceſcentem ducit; in olla vero cuprea colorem non mutant. Hoc *decoctum* rufeſcens eſt, ſapore tuberum; vitriolo martis nigreſcit & præcipitatur. Si decorticantur tubera & in juſculo carnium coquuntur, maxime albedinem ſuam retinent.

OBS. 2. In culinis noſtris notiſſima ſunt hæc tubera; communiter incoquuntur juſculis carnium, quibus etiam bonum ſaporem conciliant, atque ſapida fiunt ipſa, quamobrem etiam frequenter eduntur, ſed ſæpe flatus generant.

439. CENTAUREA Cyanus. Linn. *Sp. pl. 1289. Mat. m. 408.* Kniph. *Bot. orig. cent. 6.*
Bluet. Bulliard *Fl. pariſ. t. 4.*
Cyanus vulgaris. Lobel. *Icon. 546.*

Cy-

Cyanus flos. Dodon. *Pempt.* 250.
Pharm. *CYANI* Flores.

Locus. Europa, inter ſegetes. *Annua.*

FORMA. rec. Flores in ramis terminales, ſolitarii, pedunculati, erecti. *CAL.* communis ovatus, cinereus, tomentoſus, undique imbricatus: ſquamis adpreſſis: inferioribus minoribus, ovatis, acutis, margine undique ſerratis: ſerraturis membranaceis, albidis, acutis, apice fuſcis; ſuperioribus ſenſim longioribus, apice duntaxat ſerratis, obtuſis; ſupremis linearibus, pariter obtuſis, minutim ſerratis. *COR.* compoſita, radiata, pulcherrime dilute cærulea. *Diſcus* hermaphroditus, calyce duplo longior. *Radius* ſterilis. *Propria* diſci: tubulata, tubo cylindrico, albo, longitudine calycis; limbo cernuo, cæruleo, 5-angulari: angulis 3 gibboſis; 5-fidus: laciniis linearibus, anguſtis, obtuſiuſculis, tubo longioribus, erectis; *Radii* infundibuliformis, tubo filiformi, calyce longiore, inferne albo, ſuperne cæruleo; limbo ex tubo ſenſim ampliato, cæruleo, inæquali, circiter 8-fido: laciniis 5 exterioribus altioribus, lanceolatis, acutis, patentibus; 3 interioribus longe minoribus, profundius diviſis, ſuperne ſerratis. *STAM. Filam.* 5, alba, tubo paullo longiora, apice barbata. *Anthera* tubulata, cylindrica, ſaturate cærulea, corolla paullo longior. *PIST. hermaphr. Germen* obovatum, album, minutim pubeſcens, compreſſiuſculum, coronatum *Pappo* ſimplici, ſeſſili, albo, germine paullo longiore. *Stylus* filiformis, albus, longitudine fere ſtaminum, ſuperne cæruleſcens. *Stigm.* 2, cærulea, erecta. *Fœmineis: Germen* obſoletum. *Recept.* ſetoſum: ſetis paleaceis, anguſtiſſimis, albis.

PRO-

PROPR. rec. Odor remiſſior, parum gratus; *ſapor* vix amaricans; *maſticati* ſalivam violaceo colore tingunt. Flores recentes in papyro fricati, maculam relinquunt dilute cæruleam.

VIRTUS.

USUS.

OBS. Flores Cyani recentes, in aquam calidam immiſſi, *infuſum* ſiſtunt dilute violaceum, pulchrum. Hoc infuſum cum Spiritu vitrioli ſangvineum fit; cum ſucco citri ſangvineo-purpuraſcens; cum ſolut. aluminis obſcure violaceum, dein perbelle cæruleum; cum oleo tart. p. d. dilute citrino-virideſcens; cum vitr. martis fuſco-nigrum. Sub infuſione petala palleſcunt, & fere decolorantur. Si flores ſiccati infunduntur, infuſum fit ferrugineo-rubicundum, ſubinſipidum, cum reagentibus paria cum priore phænomena monſtrans. Si flores recentes cum ſaccharo teruntur, illud pulchrum eorum colorem perbibit, quo ipſo poſtmodum pharmacopœis ad tincturas colorandas idoneum fit.

440. CENTAUREA benedicta. LINN. *Sp. pl. 1296. Mat. m. 379.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 1.*

Carduus benedictus. CAMER. *Epit. 562.* DOD. *Pempt. 725.* BLACKW. *Herb. t. 476.* LUDW. *Ectyp. p. 3. t. 6.*

Pharm. CARDUI BENEDICTI Herba.

Locus. Virginia, Oriens, Europa auſtralis. Colitur apud nos. *Annua.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, ramoſa, alba, fibrilloſa. *Caulis* ſubbipedalis, erectus, teretiuſculus, ſulcato-angulatus, hiſpidus, ſuperne ramoſus. *Rami* ſparſi, ſulcato-angulati, erecti, ſuperne brevius ramuloſi. *Folia* ſpithamæa, obtuſa, rugoſa, hiſpidulo-ſcabra, ſubtus reticulatim venoſa, runcinata: lobis oppoſitis, oblongis, obtu-

tuſis cum mucrone, margine ciliatis, denticulato-aculeatis; inferiora petiolata; ſuperiora ſeſſilia, erecta. *Flores* 2 vel 3, in ramis terminales, pedunculati. *Pedunculi* teretes, hiſpido-lanati, folioſi, uniflori. *Involucr.* flori ſubjectum: foliis 10, inæqualibus, erectis; quorum 5 exteriora majora, ſeſſilia, lanceolata, dentata, margine undique denticulato aculeata; inferiora 5 minora, vix dentata, ciliato-aculeata. *CAL.* communis ovatus, magnitudine fructus Ceraſi majoris, glaber, arcte imbricatus: ſquamis adpreſſis, lævibus, acutis, terminatis ſpina elongata, divaricato-erecta, undique lanam exſerente inſtar telæ araneæ; inferioribus ovatis, ſpina ſimplici; ſuperioribus lanceolatis, ſpina pinnatifida inſtructis. *COR.* compoſita, æqualis, tubuloſa, hermaphrodita. *Propria* infundibuliformis; tubo longiſſimo, albo, cylindrico, calyce fere longiore; limbo luteo, ſubcylindrico, breviuſculo, pentagono, bilabiato: labio ſuperiore 4-fido: laciniis lanceolatis, obtuſiuſculis, ſubæqualibus, erectis; inferiore lanceolato, acutiuſculo, ſubpatente. *STAM. Fil.* 5, ſubulata, alba, pubeſcentia, baſi limbi inſerta. *Anth.* cylindrica, tubulata, brunnea, ſtriata, ore 5-fido, corolla paullo longior. *PIST. Germ.* obovatum, album, ſtriatum, coronatum *Pappo* piloſo, ſimplici, ſeſſili, tubo breviore. *Styl.* filiformis, longitudine ſtaminum. *Stigma* luteum, ſubexſertum, bipartitum: laciniis ovatis, obtuſis, planis. *Recept.* ſetoſum: ſetis albis, pappo conformibus. *Obſ.* Radius fœmineus nullus adfuit in plusquam 20, quos examinavi, floribus.

PROPR. rec. Odor nullus; *ſapor* corollarum rec.

rec. nullus, ſed foliorum intenſe amarus, non nauſeoſus, inhærens.

VIRTUS: antacida, corroborans, ſtomachica, ſudorifera, diuretica, eccoprotica.

USUS. Anorexia, Cachexia, Cephalalgia ſympatica, Arthritis, Febres intermittentes.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum potus Theæ inſtar luteſcens, odore debili, ſapore peramaro; cum vitr. martis fuſceſcit. Infuſum, frigidiuſcule paratum, præſtabilius eſt infuſione fervida vel decocto; prius enim gratius & purius amarum, ventriculo amicum, dum poſterius nauſeoſum, ſæpe ſubemeticum eſt; tamen hoc magis ſudoriferum. Videtur Carduus benedictus agere ut amarum absque excandeſcentia omni. Infuſum vinoſum adhuc gratius. *Extracti* aquoſi tres quartas partes e foliis accepit NEUMANN; Spirituoſi vero unam ſeptimam partem.

OBS. 2. Rheumatiſmis & arthritidi bonum eſt infuſum, e Card. bened. unc. 1 & vini Rhenani libr. 2 paratum, cujus cochl. 1 vel 2 ſumenda tempore matutino in lecto; agit communiter calore per totum corpus, fugaci tamen, ſubſequente ſudore tranquillo.

OBS. 3. De Carduo benedicto habemus G. C. PETRI (*) tractatum. Statuit, Cardui benedicti vim pneumonicam & antipleuriticam ex ſignatura externa innoteſcere. Porro laudat Carduum bened. in pleuritide, aliisque viſcerum internorum inflammationibus. Pulveri foliorum longius præfert ſal cardui benedicti ad profligandas febres intermittentes & malignas. Lumbricos latos uſu Cardui bened. propulſos tradit. Liber compilatus, proprias obſervationes Auctoris nullas continens. In plurimis morbis Carduum benedictum commendat auctor, im-

(*) *Aſylum langventium, ſ. Carduus ſanctus, vulgo benedictus, medicina Patrumfamilias polychreſta, veruſque pauperum theſaurus.* Jenæ 1669.

imprimis in morbis ventris, in peſte & contra venenum. Ceterum plurimas formulas e Carduo benedicto corradit. In culinis laudat folia teneriora Cardui benedicti, minutim conciſa & placentis frixis immixta, quæ vix amara futura ſunt, ſed palato amica.

ORDO
POLYGAMIA NECESSARIA.

441. CALENDULA officinalis. LINN. *Sp. pl. 1304. Mat. m. 407.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 6. 11.* Souci. BULLIARD *Fl. pariſ. t. 18.*

Calendula. DODON. *Pempt. 254.* BLACKW. *Herb. t. 106.*

Pharm. CALENDULÆ Herba, Flores.

Locus. Europa auſtralis, in arvis. *Annua.* Conſeritur in hortis.

FORMA. rec. Radix fuſiformi-cylindrica, alba, deſcendens, undique fibrilloſa. *Caulis* ſubſucculentus, ſtriato-angulatus, pubeſcens, pedalis, ramoſus, diffuſus. *Rami* alterni, ſimplices, cauli conformes. *Folia* ſubcarnoſa, alterna, ſpathulata, obtuſa cum tuberculo, inferne longius linearia, ſeſſilia, integerrima, utrinque glabra, margine minutim ciliata, tuberculis remotis notata, palmaria vel ultra; ſuperiora linearia. *Flores* ſolitarii, pedunculati, nudi, erecti. *CALYX* communis polyphyllus, pubeſcens, ſimplici ſerie imbricatus: ſquamis linearibus, acutis, apice fuſcis, erectis, extus convexis, intus concavis, ſubæqualibus, laxiuſculis. *COR.* compoſita fulva, radiata. *Diſcus* hermaphroditus, longitudine calycis; *radius* fœmineus, patens, (in culta) 20-florus, imbricatus; *Propria* diſci: infundibuliformis, tubo bre-

brevi, pubeſcente, limbo turbinato, glabro, 5-fido: laciniis ovato-acutis, margine undique incraſſato, erectis; *radii*: ligulata, obverſe lanceolata, plana, ſtricta, calyce duplo longior, baſi tubulata, pubeſcens, apice obtuſo, tricrenato. *STAMINA* ſyngeneſiæ, lutea, corollæ circiter longitudine. *PIST.* diſci: *Germen* cylindricum. *Stylus* cylindricus, corolla paullo longior. *Stigma* ſimplex, capitatum, luteum. Radii: *Germen* ſubcylindricum, incurvum, villoſum. *Stylus* cylindricus, longitudine tubuli radii. *Stigm.* 2, linearia, acuta, revoluta. *Receptac.* nudum.

PROPR. rec. Folior. Odor debilis, fugax; *maſticata* tenera, ſucculenta, *ſapore* acidulo, dein leniter amaricante, ſaliva rubro-lutea; *florum: odor* ſvaviter ſubnarcoticus; *ſapor* leniter acidulus, ſaliva luteſcente; *ſicc.* odor vix ullus, nec ſapor.

VIRTUS: temperans.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum florum luteſcens velut potus Theæ, odore debili, grato; ſapore debili, congruente; vitriolo martis fuſceſcit.

ORDO

MONOGAMIA.

442. VIOLA odorata. Linn. *Sp. pl. 1324. Mat. m. 410.* Oed. *Icon. t. 309.* Kniph. *Bot. orig. cent. 3.* Renealm. *Spec. 141. t. 140.*

Viola nigra ſ. purpurea. Dod. *Pempt. 156.*

Viola martia. Blackw. *Herb. t. 55.*

Pharm. VIOLÆ Herba, Flores, Semina.

Locus. Europa, in nemoribus umbroſis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix filiformis, ſpithamæa, repens, horizontalis, pallide luteſcens, glabra, fibris albidis, filiformibus, fibrilloſis, deſcendentibus, elongatis. *Folia* omnia radicalia, petiolata, patentia, cordata, obtuſa, margine crenata, minutim ciliata, ſupra glabra, nervis & venis arcuatis lineata, ſubtus nervis pubeſcentia, pollicaria vel ultra. *Petioli* erecti, pubeſcentes, ſubtus convexi, ſupra plano-canaliculati, foliis longiores. *Stipulæ* 2, radicales, membranaceæ, lanceolatæ, acutæ, ſerrato-ciliatæ. *Caulis* nullus. *Stolones* palmares, procumbentes, teretes, pallide virideſcentes, folioſi. *Pedunculi* radicales, filiformes, pubeſcentes, purpuraſcentes, hinc convexi, inde ſulcati, foliis breviores, uniflori. *Bracteæ* 2, lineares, oppoſitæ in medio pedunculi. *Flores* nutantes. *CAL. Perianth.* 5-phyllum: foliolis adnatis, ovali-linearibus, obtuſis, glabris, ſed atomis elevatis adſperſis, viridi-fuſceſcentibus, erectis, 2 utrinque lateralibus, imbricatis; unico ſuperiore. *COR.* violacea, 5-petala, calyce duplo longior, irregularis, petalis obovatis, obtuſo-rotundatis, ſubæqualibus, baſi ungviculatis, albicantibus, ſubbarbatis; quarum 2 ſuperiora reflexa, ſurſum ſpectantia; lateralia 2 oppoſita, patentia; infimo deorſum ſpectante, verſus baſin ſtriis fuſcis, ſubparallelis picto, & callis 2 linearibus, concavitatem includentibus, inſtructo, pone cornuto: cornu conico, obtuſo, incurvato, intra folia calycina prominente. *STAM. Filam.* vix ulla. *Antheræ* 5, pallidæ, conniventes, ſubtetragonæ, in medio ſulcatæ, latere utrinque hiantes, apice auctæ ſquama ovato-oblonga, obtu-

tuſa, luteſcente, erecta; harum antherarum duæ baſi excurrunt in appendices 2 ſubulatas, incurvas, compreſſas, cornu intruſas. *PIST. Germ.* ſuperum, conicum, ſubangulatum, pubeſcens. *Stylus* obverſe ſubulatus, glaber, apice hamatus. *Stigma* laterale, ſubulatum, obtuſum, terminatum ſeta pubeſcente, molli. *Capſula* ovata, obtuſa, dilute purpuraſcens, undique adſperſa atomis, pubeſcens, ſexangularis: angulis 3 alternis incraſſatis, rotundatis, 3 alternis parvis; unilocularis, trivalvis. *Semina* plurima, obovata, obtuſa, glabra, trifariam longitudinaliter diſpoſita, pedunculata.

PROPR. rec. folior. Odor vix ullus; *ſapor* herbaceus; *maſticata* mucilaginoſa. *Flor. odor* ſvaveolens, Iridis florentinæ; *ſapor* debilis, violaceus; *maſticati* teneri, ſaliva violacea. *Sicc.* inodori.

VIRTUS: herbæ rec. leniter purgans, ſubemetica, emolliens. *Florum* rec. ſubanodyna, pectoralis. *Sem.* diuretica.

USUS.

OBS. Syrupus, e petalis florum recentibus ſubſiccatis paratus, gratiſſimus eſt odore, ſapore, colore. Raro genuinus in officinis deprehenditur, ſed utplurimum ſuppoſititius, e floribus Aquilegiæ paratus, impoſito odore e radice Iridis florentinæ. Propinatur Syrupus Violarum, ut leniſſimum gratiſſimumque laxans & anodynum, infantibus neonatis. In explorandis aquis mineralibus Syrupus hic adhiberi ſolet; & vero ab acidis rubeſcit, ab alcalinis virideſcit; ceterum virideſcit etiam a ferro, in aëre fixo ſoluto, unde a virideſcentia aquæ cujusdam mineralis ex ſyr. Violar. ad exiſtentiam martis, ab aëre fixo ſoluti, recte concluditur.

443. VIOLA tricolor. Linn. *Sp. pl. 1326.* Oed. *Icon. t. 623.* Dod. *Pemptad. 158.* Blackw. *Herb. t. 44.*

Penſée. Bull. *Fl. pariſ. t. 20.*

Jacea altera. Camer. *Epit. 913.*

Viola flammea coloria. Lob. *Hiſt. 335.*

Pharm. VIOLÆ TRICOLORIS Herba.

Locus. Europa, in apricis. *Annua.*

FORMA. rec. Radix filiformis, albida, deſcendens, glabra, apice ramoſo-fibroſa. *Caules* plures ex una radice, procumbentes, ſimplices, trigoni, ſcabri, digitales, obſcure virides. *Folia* alterna, longius petiolata, ovata, obtuſa, inciſo-crenata, ſcabriuſcula, ungvicularia. *Petioli* ſubtriquetri, ſuperne bicanaliculati. *Stipulæ* 2, oppoſitæ, oblongæ, pinnatifidæ: laciniis linearibus, obtuſis, minutim ciliatis; latere exteriori amplexicauli, profundius pinnatifido; intermedia cuneiformi, crenata. *Pedunculi* filiformes, triquetri, ſcabridi, nudi, uniflori, foliis duplo longiores. *Bracteæ* 2, minutæ, ſuboppoſitæ, ovato-acutæ, baſi haſtatæ, concaviuſculæ, membranaceæ, colore ferreo. *Flores* cernui. *CAL. Perianth.* 5-phyllum: foliolis lineari-lanceolatis, acutis, minutim ſcabris, erecto-patentibus, inferne duplicatura adnata, apophyſin efficiente truncato-eroſam, compreſſam. *COR.* 5-petala, irregularis: petalis obovatis, reflexo-patentibus; 2 ſuperioribus violaceis, ungvibus reflexis; 2 intermediis oppoſitis paullo minoribus, violaceo-albidis, ſtriis 3 cæruleis, baſi ad apicem ungvis callo barbato; infimo majore, latiore, ſpathulato, retuſo, albo, baſi concaviuſculo, luteo, ſtriis 5 vel 7 nigricantibus picto, ſubtus cornuto: cornu purpureo, cylindrico, incurvato - recto, obtuſo.

STAM.

STAM. Filam. 5, libera; quorum 3 breviſſima, 2 vero longa, cornu nectarii intruſa. *Anthera* ſeſſilis, hemiſphærica, ſtriata, albida, ore 5-dentato. *PIST. Germen* ſuperum, ovatum, minutim ſcabridum, angulatum. *Stylus* brevis, baſi flexuoſus. *Stigma* maximum, capitatum, cavum, antice perforatum: antro orbiculato, ſub quo criſtæ 3 parvæ, ſitu triangulari. *Obſ. Variat* color floris pro diverſa ratione ſoli.

PROPR. rec. Radicis: Odor gratus, Spirææ Filipendulæ radicis, in flores Naphæ incidens; *ſapor* conſimilis, gratus; *Herbæ: odor* radicis, ſed debilior; *ſapor* glutinoſus; *maſticata* lubrica ſentitur, halitu grato.

VIRTUS: rec. ſubemetica, purgans.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. herbæ recent. odore eſt fragrante, ſapore acriuſculo, mucilaginoſo; vitr. martis fuſceſcit. Infuſum paratum ex unc. 1 ß herbæ recent. in mortario contuſæ, deinde in aquæ bullientis unciis 12 infuſæ per horam, mucilaginoſum fuit, tenax inſtar mucilaginis ſeminis Lini, digitis exceptum in fila ductile, odore nauſeoſo, ſapore glutinoſo, nauſeoſo, colore ſordide rubicundo, ſubopaco, & cum alcohole Vini in mucum reducibile. Infuſum ex herbæ Violæ recenter ſicc. unc. 1, cum aquæ bull. unc. 12 paratum, viridi-luteſcens fuit, odore in aquam Naphæ incidente, ſimul ſubnauſeoſo; ſapore amaricante, ſatis grato. Maceratione ſ. infuſione protracta, odor gratus perit.

OBS. 2. In officinis nondum recepta eſt Viola tricolor, quæ tamen ſatis præſtans & gratum eſt laxans, doſi unc. 4 ex infuſo, quavis altera hora, quamdiu recens haberi poteſt, nimirum a primo vere in ſerum usque autumnum. Apud nonnullos agit etiam emeſi. Herba, recenter ſiccata, vim ſuam purgantem ſervat,

ſed ejus augenda erit doſis. Certe practicis ſollicitioribus adeo non, uti reor, ſpernendum veniet hocce ſimplex, ut potius in quæſtu ſit habendum, utpote ſatis opportunum, ubi laxante quodam mucilaginoſo, quam aliis purgantibus, uti maluerint.

444. VIOLA Ipecacuanha. LINN. *Mant.* 2. *p.* 484.
Viola grandiflora, veronicæ folio villoſo. BARRER. *Æquinoct.* 113. *
Ipecacuanha blanca. PIS. *Braſil.* 101.
Pharm. *IPECACUANHÆ ALBÆ* Radix.
Locus. America meridionalis, Cayenne, in pratis. *Perennis.*

FORMA. ſicc. Radix cylindrica, verſus apicem ſenſim attenuata, flexuoſa, digitalis, extus rugoſa, albido-cinerea, ſulcis transverſalibus, ſemicircularibus, frequentibus; *parencymate* duro, fragili, albo, fibra lignea, centrali, longitudinali, luteſcente; poſt ſectionem transverſalem notato centro medullari ligneo, luteſcente, orbiculato, ſtriis radiatis ſtellato.

PROPR. ſicc. Odor aromatico-nauſeoſus, debilis; *ſapor* ſubaromaticus, ſubnauſeoſus, acriuſculus, non ingratus, inhærens. *Maſticata* corticalis pars emollitur, lignea pars tenax ſentitur.

VIRTUS: emetica, debilior.
USUS.

OBS. 1. Ipecacuanha alba in noſtris officinis non occurrit. Agit debilius quam vulgaris Ipecacuanha, quæ apud nos officinalis eſt. Si fides cl. BARRERE, e Violæ genere eſt, quod etiam ulterius adſtruit cl. ALLAMAND.

OBS. 2. De *Viola Ipecacuanha* diſſeruit cl. DAN. WICKMAN, Præſide ill. v. LINNÉ, Upſ. 1774.

CLAS-

CLASSIS XX.
GYNANDRIA.
ORDO
DIANDRIA.

445. ORCHIS Morio. LINN. *Sp.pl.* 1333. *Mat. m.* 412. OED. *Icon.* t. 253.
Orchis morio femina. VAILL. *Pariſin.* t. 31. f. 13. 14. SEGUIER *Veron.* t. 15. f. 7.
Cynoſorchis morio. LOBEL. *Hiſt.* 87.
Pharm. SALEP Radix.
Locus. Europa auſtralis, in ſylvis. *Perennis.*

FORMA. rec. Bulbus ovatus, magnitudine nuclei Perſici, ſæpe etiam Amygdalæ, undique albus; *parencymate* albo, minutim ſpongioſo; *ſiccat.* extus cinereus, minutim rugoſus; *parencymate* faciei corneæ.

PROPR. rec. Odor hircinus; *ſapor* vix ullus; bulbus *maſticatus* tener, mucilaginoſus, fere inſipidus, inter dentes crepulus, ſolvitur usquequaque, ſaliva mucilaginoſa.

VIRTUS: nutriens, obtundens, inviſcans.

USUS. Dyſenteria, Ulcus veſicæ, Excoriatio inteſtinorum.

OBS. Quæ ex Oriente apportatur, radix Salep, major eſt noſtra. *Orientalis* pollicaris vel ultra, ovata, ſæpe cordata, ſæpe ovato-oblonga, acutiuſcula, undique lævis, ſæpe foveolis impreſſis, ſubdiaphana, dura, apice cicatriſata; *parencymate* uniformi, virideſcente, duro, ſubcorneo, ſub maſticatione in ore ſolubili, ſed

ſub pulveratione in pulverem album abeunte. Perinde fuerit, a quanam ſpecie Orchidis radix Salep deſumatur, modo a pellicula obvelante, radiculisque annexis, probe purgetur. Tempus radicibus colligendis aptiſſimum eſt, dum ſemina plantæ maturuerunt, ſcapusque marceſcere occepit, ut cl. J. Moult (*) docuit. Radices tunc effodiendæ, annotinæ omnes ſedulo ſeparandæ, utpote effœtæ; colligendæ vero vigentes, ſolidæ, fragiles, in aqua ſubſidentes. Hæ in aquam frigidam immittantur, rigidoque peniculo radantur, quo cuticula auferatur, vel, ſi mavis, in aquam calidam injiciantur, ut deterſione cum linteo cuticula facilius detrahi poſſit. Hoc facto, radices in furno tepefacto collocentur, quoad exaruerint, & faciem corneam induerint.

OBS. 2. In aqua calida radix integra digeſta, in ſuperficie undique gelatineſcit, lubrica fit, tandem emollitur, ſed non deliqueſcit in mucilaginem. Integra radix nunquam in mucilaginem verti poteſt, quamvis ebullitioni ſubmittatur. Ut gelatina fiat, requiritur, ut bene antea pulveretur radix, ut pulvis hic in aquam tepidam immittatur, moxque ebulliat, ac demum ut ſtrenue agitetur cum virgula; ſic obtinetur *gelatina* perfecta, opaleſcens, molliſſima, æqualis, inſipida, inodora, & bene glutinans, quæ a vitr. martis nil demutatur. Si non agitatur, gelatina non fit, ſed ſubſidit pulvis, qui manet in fundo, tumeſcit, ſubgelatineſcit, at cum aqua non miſcetur, etiamſi coquatur. Pulvis Salep, in aqua frigida digeſtus, ſubſidit, intumeſcit, & tandem ſubgelatineſcit. Pulveris Salep drachma 1 aquæ calid. uncias 8 in gelatinam vertit. Fit etiam gelatina cum aceto vini; ſed in ſpiritu vini & oleis expreſſis non ſolvitur Salep.

OBS. 3. Sicuti alia mucilaginoſa aquam cum oleis ex-

(*) *Philoſ. transact. vol. 59. p. 2.*

expreſſis commiſcent in emulſionem, ita etiam gelatina fortior e Salep. Ceterum bene gelatina hæcce nutrit, ad quod a vi ejus glutinante concludi poteſt, atque ſic duplici reſpectu ægrotis convenit.

446. ORCHIS bifolia. LINN. *Sp. pl. 1331. Mat. m. 411.* OED. *Icon. t. 235.*

Teſticuli ſpecies 5. CAMER. *Epit. 625.*

Orchis alba bifolia minor, calcari oblongo. VAILL. *Pariſ. 151. t. 30. f. 7.* SEGUIER *Veron. t. 15. f. 10.*

Pharm. *SATYRII* Radix.

Locus. Europa, in paſcuis humidiuſculis. *Perennis.*

FORMA. rec. Bulbus ſolitarius, carnoſus, ovato-fuſiformis, albus, glaber, magnitudine nucis avellanæ, deſinens in fibram filiformem, bipollicarem, nudam, deſcendentem, apice coronatam fibris filiformibus, patentibus, longitudine bulbi. *Parencyma* album, glaciem ferme referens; poſt ſectionem transverſalem æquale, centro fiſſum, obvelatum tunica membranacea, incarnata, undique libera.

PROPRIETAS &
VIRTUS &
USUS, ut in præcedenti.

OBS. 1. In noſtris officinis Satyrii radix indiſcretè deſumitur ab omnibus Orchidibus, ſponte heic naſcentibus; communiſſime tamen ab Orchide bifolia, ſambucina & maculata. Quandoquidem binorum, quos gerunt, bulborum alter ſemper vivus eſt & carnoſus, alter vero emortuus, ſpongioſus & effœtus, utpote ab anno præcedente reliquus, intereſt omnino, ut bene ab invicem disjungantur bulbi, & inutiles iſti rejiciantur. Orchis maculata ſæpe tres bulbos gerit, nempe annoti-

num, vigentem, & tenellum in ſpem futuri anni; qui bini poſteriores colligi poſſunt.

OBS. 2. De præſtantia radicis Satyrii noſtratis in medicina, & de ejus vi medica, virtuti veræ radicis Salep orientalis congruente, pulchre diſſeruit cl. G. LUND (*); & vero methodum parandi docuit cl. A. J. RETZIUS (**).

447. EPIDENDRUM Vanilla. LINN. *Sp. pl.* 1347. *Mat. m.* 418.

Vanillas piperis arbori jamaicenſis innaſcens. PLUK. *Phytogr.* 381. *t.* 320. *f.* 4.

Vanille. MERIAN. *Surin.* 25. *t.* 25.

Volubilis ſiliquoſa, plantaginis folio. CATESB. *Carolin.* 3. *p.* 7. *t.* 7.

Pharm. *VANILLÆ* Siliqua.

Locus. America. *Frutex paraſiticus.*

FORMA. ſicc. Siliqua dodrantalis, craſſitie pennæ cygneæ, recta, cylindrica, compreſſiuſcula, fuſco-brunnea, longitudinaliter undique rugoſa (ſc. a ſiccatione), lucidiuſcula, flexilis, unilocularis, apice cernuo obtuſo-truncata, baſi ſenſim paullulum anguſtata, incurvata; *parencymate* carnoſo-coriaceo, pingviuſculo, centro longitudinaliter cavo, repleto paſta molli, pingvi, nigra, e ſeminibus condenſatis conſtante. *Semina* tantum non innumera, minutiſſima, ſubrotunda, nigra, ſplendentia.

PROPR. Odor perquam fragrans, inhærens, exacte Balſami peruviani. *Sapor* aromaticus, validus, ſubdulceſcens, ab odore non abludens, calidiuſculus, balſamicus, gratus; *maſticata* ſiliqua co-

(*) *K. Vetenſk. Acad. handl. vol.* 32. *p.* 310. *ſeq.*
(**) *L. c. vol.* 25. *p.* 245.

coriaceo-mollis, tenaciuſcula, emollitur, tardius comminuitur.

VIRTUS: calefaciens, emmenagoga, aphrodiſiaca, diuretica.

USUS: præparatio Chocolatæ.

OBS. Siliqua adeo pingvis, ut conciſa, & chartæ albæ impreſſa, maculam oleoſam relinquat. Tota camera repleta fuit odore fragrante ex conciſis ſiliquis. Hic odor adeo pertinaciter inhæſit digitis, quibus ſiliquas conciſas contrectaveram, ut in tertium diem permanſerit, utut eos ſæpius elavi aqua frigida, ſapone, ſpiritu vini gallico atque oleo tartari p. d., cujus poſtremi ope paullulum quidem odor evanuit, ſed tamen recruduit. Siliqua, ſub mane deguſtata, ſiccitatem faucibus induxit cum ſtrictura ventriculi, qui ſtatus usque in prandium duravit. *Aqua ſtill.* fragrans. Extrahitur menſtruo ſpirituoſo, ſed tinctura parcius odorata fit. *Infuſum* aquoſ. luteum, fragrans, odore & ſapore ſiliquæ; ex adjecto vitr. martis color non alteratur.

448. ARISTOLOCHIA trilobata. LINN. *Sp. pl. 1361.* JACQU. *Obſ. 1. p. 8. t. 3. K. Vet. Acad. Handl. vol. 25. p. 240.* *

Ariſtolochia folio hederaceo trifido, maximo flore, radice repente. BARRER. *Æquin. 16.* *

Pharm. ARISTOLOCHIÆ TRILOBATÆ Stipites.

Locus. America meridionalis. *Frutex.*

FORMA. ſicc. Stipites nudi, craſſitie culmi ſecalini, fuſco-olivacei, elongati, angulati, undique ſtriati, fragiles; *parencymate* albido-cineraſcente, poſt ſectionem transverſalem notato diſco minutim punctato, ſtellato: radiis pallidioribus, ſolidiuſculis, apice ita conniventibus, ut

areo-

areolam ovalem, apice obtuſam, ſinguli bini radii includant.

PROPR. Odor fragrans, fortis, fere corticis Padi; *ſapor* leniter amaricans, aromaticus, odori congruens; *maſticati* difficulter comminuuntur, tenaces inter dentes, ſapore inhærente, cum ſenſatione amaritiei.

VIRTUS: alexiteria, ſudorifera.

USUS. Morſus ſerpentum.

OBS. 1. Præſtabile hoc pharmacon in officinis noſtris adhuc non eſt receptum. Diutiſſime ſervant hi ſtipites odorem & vires. Eorum mihi etiamnum nonnulli ad manus ſunt, quos ultra 5 luſtra loculo quodam incluſos habui, & qui, dum nunc franguntur & conſcinduntur, haud minus fortem odorem ſaporemque præ ſe gerunt, quam cum illos primum e Surinamo accepiſſem, quippe quod tota camera illorum odore repletur. Ubi in febribus opus eſt ſudoriferis cum excitantibus, hiſce præſtantius quidquam vix invenies. Puerum olim, morſu viperæ læſum, hiſce ſtipitibus brevi juvi.

OBS. 2. *Infuſum* aquoſum luteſcens, fragrans; ex vitriolo martis color nil variat.

449. ARISTOLOCHIA Serpentaria. LINN. *Sp. pl.* 1363. *Mat. m.* 416.

Ariſtolochia Piſtolochia ſ. Serpentaria virginiana, caule nodoſo. PLUK. *Almag.* 50. *t.* 140. *f.* 5. CATESB. *Carol.* 1. *p.* 29. *t.* 29.

Pharm. SERPENTARIÆ VIRGINIANÆ Radix.

Locus. Virginia, Carolina. *Perennis.*

FORMA. ſicc. Radix fibroſa, deſcendens, bipollicaris, vix palmaris, ferruginea: fibris plurimis filiformibus, fragilibus, flexuoſis, ſubæquali-

libus, deſcendentibus, fibrilloſis: fibrillis criſpis. *Parencyma* album, ſolidiuſculum; poſt ſectionem transverſalem notatum diſco æquali, puncto centrali ferrugineo.

PROPR. *Odor* fragrans, fortis, balſamicus, fere ut tæda ligni Pini. *Sapor* aromatico-balſamicus, odori congruens, calidiuſculus, inhærens.

VIRTUS: alexiteria, diaphoretica, antiputredinoſa.

USUS. Febres lentæ nervoſæ, intermittentes.

OBS. 1. Extrahitur menſtruo aquoſo & ſpirituoſo. Deſtillatione dat *aquam ſtillat.* fragrantem, &, ut cl. Lewis obſervat, pariter *oleum* eſſent. fragrans. *Extractum* aquoſum non fragrans, diſperit enim aroma ſub inſpiſſatione. *Infuſum* aquoſum limpidum, odore fragrante & ſapore calido; ex vitr. martis nil variat. Inter pulverandum ſurgunt pulviſculi, qui nares perquam offendunt.

OBS. 2. De eximio uſu Radicis Serpentariæ, in connubio cum Chinchina, ad curandas febres intermittentes, pulchras obſervationes affert cl. Dan. Lysons (*). Parare is ſolet pulveres e Cort. Chinchinæ ſcr. 2 & Rad. Serpent. ſcr. 1, quos quavis tertia vel quarta hora, ſub apyrexia, propinat. Effectum horum pulverum ut mirabilem prædicat, & 15 caſibus clinicis utilitatem illuſtrat.

OBS. 3. De hâc radice egit C. L. Gōckelius (**), qui propriis obſervationibus nihil ſuperſtruxit, merus compilator.

450.

(*) *Practical eſſays upon intermitting fevers &c. p. 13. ſeq.*

(**) *Diſſert de Serpentaria virginiana,* quæ exſtat recuſa in Valentini *Simplic. p. 579.*

450. ARISTOLOCHIA rotunda. LINN. *Sp. pl.* *1364. Mat. m. 414.* CLUS. *Hiſt. 2. p. 70.* DOD. *Pempt. 322.* LOB. *Hiſt. 332.* BLACKW. *Herb. t. 256.*

Ariſtolochia. CAMER. *Epit. 419.*

Pharm. ARISTOLOCHIÆ ROTUNDÆ Radix.

Locus. Europa auſtralis, in pratis. *Perennis.*

FORMA. ſicc. Radix ſubrotunda, noduloſa: nodis obtuſo-rotundatis, pollicaris vel ultra, extus ferrugineo-cinerea, ſubrugoſa; *parencymate* duro, albido-citrino, poſt ſectionem transverſalem centro medullari amplo.

PROPR. Odor gravis; *ſapor* amarus, ſubaromaticus.

VIRTUS: diuretica, emmenagoga, vulneraria.

USUS. Cachexia, Fiſtula, Hyperſarcoſis, Cacoëthes.

OBS. Infuſum aquoſum luteſcens, amarum; cum vitr. martis color ſibi conſtat.

451. ARISTOLOCHIA longa. LINN. *Sp. pl. 1364.* CLUS. *Hiſt. 2. p. 70.* DOD. *Pempt. 322.* MILL. *Fig. t. 51. f. 2.* BLACKW. *Herb. t. 257.*

Pharm. ARISTOLOCHIÆ LONGÆ Radix.

Locus. Europa auſtralis. *Perennis.*

FORMA. ſicc. Radix cylindrica, obtuſa, craſſitie pollicis, ſpithamæa, extus longitudinaliter ſulcato-rugoſa, cinerea, dura, fragiliuſcula; *parencymate* æquali, poſt ſectionem transverſalem fuſco, undulato.

PROPR. Odor ſubnauſeoſus; *ſapor* amaricans, odori congruens

VIRTUS: eadem quæ præcedentis.

USUS: præcedentis.

OBS.

OBS. Infuſum aquoſum luteſcenti-rubicundum, odore & ſapore radicis; vitriolo martis non demutatum.

452. ARISTOLOCHIA Clematitis. LINN. *Sp. pl.* 1364. *Mat. m.* 415. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 1. BLACKW. *Herb. t.* 255. MILL. *Figur. t.* 51. *f.* 1. ZANNICH. *Venez. t.* 180. LOB. *Hiſt.* 332.

Ariſtolochia ſaracenica. DOD. *Pempt.* 324.

Pharm. ARISTOLOCHIÆ VULGARIS Radix, Herba.

Locus. Europa auſtralis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, ſimplex, longa, ſubtetragona, deſcendens, parce fibrilloſa, craſſitie vix digiti minimi, extus glabra, olivacea; *parencymate* albido, poſt ſectionem transverſalem diſtincto centro medullari ampliſſimo, orbiculato, ſtellato: radiis cinereis, ſuperne ſenſim latioribus, apice obtuſo-truncatis, crenulatis, ferrugineis. *Caules* plures ex una radice, erecti, pedales vel ultra, teretiuſculi, undique ſtriati, ſimpliciſſimi, glabri, geniculati. *Folia* ad genicula, alterna, petiolata, cordata, obtuſa, angulis poſticis rotundatis, utrinque venuloſo-rugoſa, glabra, margine ciliato-aculeolata, infima ſenſim parva, brevius petiolata. *Petioli* ſubtus convexi, obſolete ſtriati, ſupra canaliculati. *Flores* axillares, conferti, 6 vel 7, pedunculati, nudi. *CAL.* nullus. *COR.* ſupera, luteſcens. *Tubus* cylindricus, angulatus, baſi globoſus. *Limbus* 1-labiatus, erectus, concavus, dorſo ſulcatus, antice ore obliquo, apice obtuſo, emarginato. *Nectar.* margo ſubcarnoſus, longitudine germinis, apice 6-crenatus, germen cingens. *STAM. Fil.* nulla. *Anth.* 6, ovatæ, utrinque truncatæ, nectario extrorſum adglutinatæ. *PIST. Germ.* infe-

ferum, angulatum. *Styl.* vix ullus. *Stigma* truncatum, angulatum.

PROPR. rec. herbæ: Odor fragrans, ſubgraveolens; *ſapor* debilior, aromatico-gravis; *radicis:* odor & ſapor herbæ, verum ſapor magis amarus, inhærens.

VIRTUS: pellens, emmenagoga, diuretica, vulneraria.

USUS. Cachexia, Hyperſarcoſis, Fiſtula, Cacoëthes.

ORDO
OCTANDRIA.

453. CYTINUS Hypociſtis. LINN. *Syſt. nat. 12. p. 602. Mat. m. 220.*

Hypociſtis. DUHAM. *Arbr. 1. p. 170. t. 68.* CAMER. *Epit. 96. 97.* CLUS. *Hiſt. 1. p. 68. 79.* LOB. *Hiſt. 548.*

Thyrſine Hypociſtis. GLED. *Hiſt. de l' Acad. des ſc. de Berl. 1764. p. 36.* fig. 1-11.*

Pharm. HYPOCISTIDIS Succus.

Locus. Europa auſtralis. *Paraſiticus in Ciſto.*

FORMA. Succus inſpiſſatus in maſſam nigricantem, plaſticam, ſubfragilem, fragmentis opacis, atomis ſubſplendentibus.

PROPR. Odor vix ullus; *Sapor* acerbus, in ſaporem atramenti leviter incidens, ſtypticus, acidulus; *maſticatus* dentibus ſubadglutinatur, ſolvitur in ore: ſaliva fuſco-nigricante.

VIRTUS: adſtringens, ſubrefrigerans.

USUS. Atonia.

OBS. 1. *Infuſum* (ſ. ſolutio ſucci in aqua calida) ſubopacum, fuſcum, acidulo-acerbum; dilutum cum vitri-

triolo martis ſubito atrum fit. Hujus ſolutionis guttæ ʒ, cum aquæ unc. ß & vitriolo martis, colorem viridi-purpuraſcentem reddiderunt.

OBS. 2. Baccæ recentes in ſolo natali contunduntur, & exprimitur ſuccus, qui deinde in ſole ſiccatur in conſiſtentiam extracti. Solvitur hic ſuccus in aqua vel ſpiritu vini.

ORDO
POLYANDRIA.

454. ARUM maculatum. LINN. *Sp. pl. 1370. Mat. m. 417.*

Arum. BLACKW. *Herb. t. 228.* LOBEL. *Icon. 597.* DOD. *Pempt. 326.*

Arum vulgare non maculatum. MILL. *Fig. t. 52. f. 1.*

Pharm. ARI Radix.

Locus. Europa auſtralior. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix recens tuberoſa, magnitudine vix ovi columbini, obducta tunica tenera, membranacea, ovata, extus alba, parce fibrilloſa: fibris ſparſis; tuberculis undique ſparſis, diſtantibus, ſubrotundis, ſc. totidem bulbulis parvis, ætate ſenſim excreſcentibus; apice inſtructa *ſquamis* plurimis albis, membranaceis, imbricatis, adpreſſiuſculis; quarum interiores minores, intra quas latet denticulus vivax, ſolitarius, ſubulatus, acutus, ſubincurvatus. *Parencyma* album, carnoſum, poſt ſectionem transverſalem æquale, ſubſucculentum: ſucco maculas albidas, amylaceas, in cultro deponente. *Siccata* radix dura, ſubdiaphana; *vetuſta* ſ. diu ſervata ni-

nivea, farinoſa, ſicca, fragilis, friabilis, ſubinquinans, facie cretæ albæ.

PROPR. rec. Odor nullus; *ſapor* primum inſipidus, mox vero pungens, qui ſenſus punctorius ſenſim increſcit, haud aliter ac mille acus pungerent, atque inhæret etiamſi os eluitur aqua pura, oleoſis vero mitigatur. Recens radix reſecta lacteſcit: lacte amylaceo, quiete *amylum* album deponente, ſupernatante liquido limpido. Recenter *ſiccatæ* radicis *ſapor* adhuc pungens, paullo tamen remiſſior quam recentis; *diu* vero *ſiccatæ* & aridæ farinaceus, vix pungens; hæc, *maſticata*, farinacea ſentitur & inter dentes friabilis, facile comminuitur, ſolvitur fere: ſaliva lacteſcente; immo hæc, contuſa, ex aqua frigida ſuperaffuſa reſolvitur in *amylum* album, recentis radicis amylo ſimillimum. Omnis radix Ari, ſiccata & contuſa, atque in aqua cocta, abit in *Gelatinam* mitem, dulceſcentem, ſapidam, alimentarem, glutinantem. Sic tota radix annoſa amylum conſtituit.

VIRTUS recent. ſiccatæ: ſtimulans, aperiens, incidens, diuretica; *recentis* vehementiſſima; *annoſæ* nutriens.

USUS rec. ſicc. Colluvies pituitoſa, Anorexia, Cephalæa ſympatica, Aſthma humorale, Cachexia, Febris intermittens.

OBS. 1. Radix extrahitur aqua, non vero ſpiritu vini. *Extractum* validum non dat; perit enim omne pungens ebullitione, & miteſcit radix. Deſtillatione nihil elicitur; hinc nulla aqua deſtillata, nullus ſpiritus.

OBS. 2. Radix tempore autumnali, poſtquam maturuere ſemina, colligenda, namque ſic magis efficax. Si valebit hæc radix, in pharmacopoliis eam ſervare oportet in vaſis clauſis, & ab aëre humido bene muni-

nire, alias fatiſcendo farinoſam induit faciem, inutilis tunc in medicina.

OBS. 3. Recens radix, in taleolas ſecta cutique applicata, vix rubefacit vel veſicat. Equidem applicui eam cuti propriæ absque ullo incommodo; ſed dum teneræ cuti virginis cujusdam taleolam craſſam adalligavi, eadem margine altero veſiculam puſillam elevavit, tardioris ſanationis, reliquo loci non rubefacto.

OBS. 4. Præclarum effectum identidem expertus ſum ex hac radice, alcalinis, abſorbentibus & aromatibus maritata, in cephalæis ſympaticis pertinaciſſimis. Hæc ſpecies cephalææ omnes eluſerat medelas, antequam in pulverem Ari compoſitum incidebam. Scilicet ſympatica ea eſt a primis viis, forte ab atra bile profecta. Dolore capitis inſane vehementi cruciantur ægri, ſæpe per intervalla recrudeſcente, absque febre, pulſu ſubinde nimis tardo, plerumque vero naturali. Sæpe lingvæ baſis ipſique dentes nigreſcunt, velut apud illos qui ore tabaci fumum hauriunt. Venæſectiones, hirudines, ſcarificationes, veſicatoria, laxantia, aquæ minerales, in hac ſpecie cephalææ nihil efficiunt, ſed ſæpe augent dolorem; quod etiam accidit a propinatis ſalinis. Sed pulvis Ari compoſitus nunquam non ſolatium attulit. In febribus intermittentibus pulveres dedi quovis bihorio e Rad. Ari ſolid. & Tart. vitriol. ana ſcrup. ß, Rhei ſel. gran. 5. Illi purgarunt alvum mediocriter, & ſubinde febrem ſuſtulerunt, quandoque absque relapſu; ſed apud ſenſibiliores tormina excitarunt, quare doſis Ari tunc diminuenda fuit.

OBS. 5. Radix Ari culinaris non dum facta eſt; quod profecto mereret ob virtutem, quæ in eo ineſt, nutrientem, quæ quidem affatim evincitur ex qualitate ejus amylacea, ut & vi glutinante. Juſculum paravi e radicibus vetuſtis & farinoſis, perinde ſapidum, ac a Sagu, odore pulmenti triticei. Tales radices Ari annolæ vix

acres ſunt, prout ſupra monuimus, & quæ reſtare poteſt acrimonia, mitigatur penitus ebullitione. Ceterum plures Ari ſpecies apud varias gentes eſculentæ ſunt. Nutriunt omnes ſuo farinoſo.

455. CALLA paluſtris. Linn. *Sp. pl.* 1373.
Dracunculus aquatilis. Dod. *Pempt.* 329.
Aquatica angvina ſ. Dracunculus. Lob. *Hiſt.* 328.

Pharm. CALLÆ PALUSTRIS Radix.

Locus. Europa borealis, in paludibus. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, elongata, repens, obliqua, craſſitie digiti, lævis, nitida, ſpadicea, geniculata, fibroſa: fibris filiformibus, numeroſis, albis, elongatis, ſæpe pedalibus, approximatis, e geniculis ſimplici ſerie ſubtus exeuntibus, deſcendentibus. Rudimenta vaginarum emortuarum ad genicula. *Parencyma* album, ſubcarnoſum, poſt ſectionem transverſalem æquale, undique punctis rubro-luteſcentibus adſperſum.

PROPR. rec. & ſicc. Odor (rec.) debilis, ſubaphrodiſiacus; *ſapor* acris; *maſticata* primum inſipida, dein pungens, qui ſenſus punctorius ſenſim increſcit, etiam abjecta radice, & poſt vehemens fit, manifeſtans ſe in toto ore cum affluente ſaliva copioſa & tenaci, moleſtiſſimus, inhærens, durans, labiis ipſis palleſcentibus, exſangvibus quaſi, obſtupeſcentibus, & velut aqua fervida aduſtis, tandem ſponte evaneſcunt hæ ſequelæ. Radix recens conciſa, digitisque tractata, glutinoſa ſentitur.

VIRTUS: quæ in priore; non tamen farinacea.

USUS.

OBS. 1.

OBS. 1. Calla paluſtris nondum in officinis locum invenit, quem tamen radix ejus, apud nos vulgatiſſima & ſponte naſcens, mihi videtur ſatis tueri poſſe. Præſtabilior Aro in eo eſt, quod ſiccata melius ſe ſervat, nec in farinam fatiſcit ut Arum, paulloque fortior eſt. At vero difficilis eſt pulveratu.

OBS. 2. *Semina* Callæ paluſtris acria ſunt, tamquam radix. In pericarpio obvoluta ſunt mucilagine ſpiſſa, tenaci, inſipida.

OBS. 3. *Infuſum* aquoſ. radic. rec. & ſicc. limpidum, debilius mucilaginoſum, odore nullo, ſapore debiliſſimo, vix punctorio; vitriolo martis non demutatur.

CLASSIS XXI.
MONOECIA.
ORDO
MONANDRIA.

456. CYNOMORIUM coccineum. LINN. *Sp. pl.* 1375. *Mat. m.* 534. *Amœn. acad.* 4. *p.* 351. *t.* 2.

Cynomorium purpureum officinarum. MICHEL. *Gen. p.* 17. *t.* 12.

Fungus melitenſis. *Comm. Bonon. v.* 1. *p* 158. *

Fungus mauritanicus verrucoſus ruber. PETIV. *Gazophyl. t.* 39. *f.* 8.

Fungus typhoides coccineus tuberoſus melitenſis. BOCCON. *Sicil. p.* 80. *t.* 81.

Fungus typhoides Liburnenſis. TILLI *Hort. Piſan. p.* 64. *t.* 25. *f. E.*

Pharm. FUNGUS MELITENSIS.

Locus. Europa auſtralis, Barbaria. *Herba paraſitica* in radicibus, menſibus hyemalibus, inter Novembrem & Martium.

FORMA. Radix ſimplex, carnoſa, cylindrica ſ. ovato-lanceolata, obtuſiuſcula, bipollicaris, horizontalis, utrinque plano-compreſſa, paraſitica, radicibus fruticum innixa, fibris capillaribus, ſquamata: ſquamis lunulatis, rotundato-truncatis, imbricatis. *Scapus* ſpithamæus, carnoſus, ſangvineus, erectus, ſuccoſus, teretiuſculus, ſuperne incraſſatus, craſſitudine vix digiti minoris, glaber, ſquamoſus: ſquamis ſeſſilibus, ſemi-

miungvicularibus, ſparſis, remotis, ovatis, obtuſiuſculis, erectis. *Folia* nulla. *Spica* terminalis, ſcapo concolor, ſeſſilis, cylindrica, obtuſa, bipollicaris, erecta, ſcapo paullo craſſior, adſperſa ſquamis ſparſis, uti in ſcapo, conſtans *floribus* compactis, congeſtis, glomeratis, maſculis, fœmineis, & paucis hermaphroditis commixtis. *Bracteæ* anguſtæ, ſetaceo-ſublineares, longitudine florum, glomeri florum inſertæ. *Flores maſculi*, breviter pedicellati. *CAL.* communis: amentum ſpicæ. *Involucr.* proprium hexaphyllum (ſæpe tetraphyllum): ſetis æqualibus, ſuperne incraſſatis, baſi in pedicello corollæ ſitis. *COR.* ſquama cuneiformi-turbinata, pedicellata, ſubcarnoſa, ſangvinea, truncata, latere exteriori convexa, interiori vero ſulcato-concaviuſcula, erecta, longitudine involucri. *STAM. Filam.* unicum, firmum, ſulco petali baſi inſertum, illique intruſum, corolla paullo longius. *Anthera* didyma, exſerta, erecta, latere utrinque dehiſcens. *Fœminei* flores longius pedicellati: pedicellis craſſiuſculis, ſubdiaphanis. *CAL. Perianth.* proprium ſuperum, 4-vel 6-partitum, laciniis ſetaceis, obtuſis, æqualibus. *COR.* nulla. *PIST. Germen* ſubrotundum, inferum. *Stylus* cylindricus, firmus, longitudine calycis, erectus. *Stigma* obtuſum. *Semina* ſolitaria, globoſa, coccinea.

PROPR. ſicc. Odor nullus. *Sapor* ſubadſtringens, ſalſus; *recens* planta ſucco ſangvineo ſcatens.

VIRTUS: reſtringens.

USUS. Profluvia ſangvinis.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. limpidiuſculum, colore aqueo, ſapore ſalſo; vitriolo martis fuſcum; hujus infuſi guttæ 50, cum aquæ unc. ß & vitriolo martis, leviuſcule ſubfuſceſcunt.

OBS. 2. Ipſe nunquam periclitatus ſum, quid hæc planta efficiat in medicina. Certe laudat illam BOCCONE, ut ſpecificam in ſangvinis profluviis. Medicina domeſtica eſt apud Melitenſes.

ORDO
TETRANDRIA.

457. BETULA alba. LINN. *Sp. pl. 1393. Mat. m. 421.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 12.*

Betula. DUHAM. *Arbr. 1. p. 100. t. 39.* DALECH. *Hiſt. 92.* CAMER. *Epit. 69.* DOD. *Pempt. 828.* BLACKW. *Herb. t. 240.*

Pharm. BETULÆ Lignum, Lympha, Epidermis, Folia tenera, adulta, Fuligo, Oleum moſcoviticum.

Locus. Europa, in ſylvis. *Arbor.*

FORMA. Lignum, e ramis craſſitie digiti ſumendum, album, compactum, durum. *Epidermis*, e trunco arboris, craſſa, arida, coriacea, rigidiuſcula, pagina interiore corticem ſpectante adſperſa cicatricibus ſparſis, ſubulatis, lamellas permeantibus; colore ſordide albicante, ſtramineo; partibilis in lamellas plurimas, tenuiſſimas, planas, parallelas; quarum exteriores niveæ, tenuiores. *Folia* alterna, petiolata, ovata, ſenſim acuta, pluſquam pollicaria, utrinque glabra, ſupra ſaturate viridia, lucida, adſperſa punctulis albicantibus, ſubtus cinerea, nervoſa, venulis parvis reticulata, margine duplicato-ſerrata: ſerraturis primariis groſſis; *tenella* plicata, reſinoſa quadam materia illinita, unde glutinoſa apparent, digitisque tractata adhærent.

PRO-

PROPR. Folior. rec. *Odor* debilis; *ſapor* debilis, amaricans; *maſticata* lubrica ſentiuntur. *Epidermidis: Odor* nullus, nec *ſapor.* Epidermis, ignis flammæ admota, facile accenditur, convolvitur, flagrat cum ſtrepitu: flamma vivida, luminoſa, fumante: fumo obſcuro, debilius odorato, maxime fuliginoſo, relicto carbone atro, ſplendente, leviuſculo, vix inquinante. *Fuligo* atra, levis, tenuis, inquinans. *Lymphæ:* ſubdulceſcens.

VIRTUS: foliorum ſudorifera, diaphoretica; *lymphæ:* diluens, antiſcorbutica, anthelminthica, diuretica.

USUS. Folior. Eryſipelas; *Lymphæ:* Scorbutus, Scabies, Arthritis, Lumbrici; *Epidermidis* & *Fuliginis:* mechanicus.

OBS. 1. *Lympha* ex arboris trunco, tempore vernali ante & ſub frondeſcentiam terebra efforato, ſtillat, limpidiſſima inſtar aquæ, ſapore leviter dulceſcente. Arbores ſauciatæ pergunt lympham ſtillatim fundere, quoad folia proruperunt. Non perit arbor ex ſtillicidio lymphæ, ſed perdit, ut quidam ſtatuunt, annum integrum de ſua increſcentia. Hæc lympha, addito ſaccharo & fermento, ſubit fermentationem vinoſam, abitque in potus ſpeciem, ſub calore æſtivo gratiſſimam, & aëre fixo abundantem, unde inſtar vini Campanici efferveſcit. Methodus apparandi hæc erit: Rc. Lymph. betulin. cong. 7 ß, Sacchari Thomæi libr. 4, bulliant usquedum congii 2 evaporarint, ſub frequenti deſpumatione. Tum effundatur hic liquor in vas ligneum, & poſtquam paullulum refriguit, addantur Vini albi gall. libræ 10; ſed ſimulac tepidus evaſit, addantur 3 Mala citrea, in fruſta diſſecta & enucleata, Cinnamom. drachm. 6. Cardamom. unc. ß & Tartari cereviſiæ cochl. 1. Hoc facto, vas obturetur, ut per nycthemeron fermentetur liquor, quem poſtea immittere opor-

tet in doliolum, in cella reponendum per ſeptimanas 3, quibus elapſis, liquor in ampullas vitreas ingeri debet, bene obturatas, vix tamen plenas. Liquorem ſic fermentatum in cella bona ſervare oportebit, alias ſponte effervеſcit in ipſis ampullis, unde illæ diſſiliunt; alias corrumpi etiam poteſt eo modo, ut tenax fiat & in fila ductilis, ſalva limpiditate, atque poſtea aceſcat. Si autem ampullas in cella bona collocaveris, & quidem in arena humida, liquorem hunc per plures annos tueri poteris. Lympha betulina recens, ſupra ignem inſpiſſata, abit in *melliginem* dulcem, longe parcioris quantitatis, quam quæ ex lympha Aceris haberi poteſt. Saccharum verum ex hac melligine betulina non obtinere potuit cl. MARGGRAF (*), ſed mellis ſpeciem, ad Mannam officinarum accedentem. Ex Lymphæ betul. rec. libris 8, quas leni igne inſpiſſari feci, obtinui drachmas 10 melliginis, mollioris, ætate rigeſcentis, conſiſtentia mellis granulati, fuſco-rubicundæ, ſapore acidulo-dulci, ſubbalſamico, in Extr. infuſi Maltæ incidente; maſticationi ſubjecta melligo hæc, ita ſeſe habet ut Manna calabrina, rigidiuſcula inter dentes ſentitur, mox vero ſolvitur.

OBS. 2. *Extractum* foliorum Betulæ in Eryſipelate atque arthritide primus hic loci propinavit nob. JOH. AF DARELLI, qua in re aſſeclas nactus eſt plures noſtratium Medicorum. *Folia* Betulæ recentia, ut euporiſton contra arthritidem atque rheumatiſmos, ruricolæ noſtri identidem adhibent. Sternunt hiſce foliis lectum, in quem ſe recipit infirmus, totumque corpus, præter caput, bene foliis iſtis circumoperit, ex quo paullo poſt fit, ut ſudor proritetur copioſiſſimus, diffluens donec ibi manet æger. Conſtat, plures hacce methodo rheumatiſmis fuiſſe levatos. *Epidermis* Be-

(*) *Opuſcules chymiques, tom.* 1. *p.* 242.

Betulæ in calceos immitti ſolet, ad ſudorem pedum provocandum; certe ſudant ſemper inde pedes, unde ſpecies revulſionis oritur, in morbis chronicis ſæpe ſalutaris.

OBS. 3. *Decoctum* Ligni Betulæ ſaturatum colore eſt vini rubri dilutioris, odore debili, ſapore amaricante; cum vitriolo martis nigreſcit; hujus decocti guttæ 30, aquæ unciæ ß inſtillatæ, addito vitriolo martis, colorem fuſco-virideſcentem ſtiterunt. Sunt qui ex hoc decocto multum levaminis ſperant calculo veſicæ, ſed mihi non ſucceſſit apud binos calculoſos. Pellit urinam.

OBS. 4. *Oleum moſcoviticum* ſequenti modo paratur. Ollæ ferreæ immittatur epidermis betulina, in fruſtula magnitudine palmæ manus ſecta, ſtratis horizontalibus, verticaliter arcte compreſſa. Inter ſingulum ſtratum betulinum laxe ſpargantur Terræ tripolitanæ pugillus unus, herbæque Ledi paluſtris manipulus unus; & vero Ledum ad Epidermidem betulinam ſe habebit ut 1 ad 20. Olla ſic plena, & dictis rebus compingendo onerata, invertatur ſuper aſſem quernam, orificio ollæ undique aptatam, in centro perforatam: foramine amplitudine digiti, radiis inſuper in aſſe exaratis, conducentibus a peripheria ad centrum. Margo ollæ undique bene adglutinetur aſſi ope argillæ, ne alicubi tranſeat fumus. Hoc facto, effodiatur in terra antrum, in quo alia olla, ut recipiens, collocetur, eidemque ſuperponatur memorata illa aſſis querna cum adglutinata olla inverſa, quæ dein obtegatur terra. Tum ignis ſupra hanc terram accendatur, principio validus, deinde vero moderatus, qui poſt durabit usque ad finem proceſſus. Olla menſuræ 8 congiorum, rite onerata, trihorii labore, dat Olei moſcovitici circiter libr. 2 vel 2 ß. Atque ſic obtinetur oleum per deſcenſum, empyreumaticum, fuſcum, recens liquidum, æta-

te

te vero ſpiſſum, odore fragrante. Cel. P. S. PALLAS (*) tradit, oleum betulinum præſtantiſſimum in Sibiria quotannis parari, absque ulla additione Ledi.

OBS. 5. Betula alba frigoris perquam patiens eſt, frigidis regionibus dicata. Ut obſervavit J. G. GMELIN (**), creſcit Betula in Jakutzk Sibiriæ, ubi clima adeo durum eſt, ut ſegetes ibi non proveniant, & terra in fine menſis Junii penitus gelida deprehendatur ſub trium pedum profunditate.

458. BUXUS ſempervirens. LINN. *Sp. pl. 1394. Mat. m. 423.* KNIPH. *Botan. orig. cent. 1.* MUNTING. *Aardgew. t. 157.*

Buxus arboreſcens. DUHAM. *Arbr. 1. p. 115. t. 46.*

Buxus. LUDW. *Ectyp. p. 2. t. 4.* BLACKW. *Herb. t. 196.* DALECH. *Hiſt. 165.* DOD. *Pempt.* 770.

Pharm. BUXI Lignum.

Locus. Europa auſtralis, Oriens, Perſia. Colitur in hortis. *Arbuſcula.* Amat aprica, frigida, montes.

FORMA. Lignum ſolidum, duriuſculum, ponderoſum, pallido-citrinum, venis longitudinalibus; veſtitum cortice cinereo, rugoſo; poſt ſectionem transverſalem notatum venis transverſalibus, parallelis, & ſtriis decuſſantibus, minutiſſimis.

PROPR. Odorem vix habet, nec *ſaporem.*

VIRTUS: ſudorifera.

USUS.

OBS. 1. *Oleum* deſtillatum fœtidum, empyreumaticum.

OBS. 2.

(*) *Reiſe durch verſchied. Prov. des Rusſiſch. Reichs, tom.* 2. *p.* 190.

(**) *Reiſe durch Sibirien, vol.* 2. *p.* 520.

OBS. 2. Camelis deleterius eſt Buxus, ut obſervavit J. Hanway (*), in provincia Perſiæ Gilan, ubi Buxus ubertim provenit. Gratum quidem illis pabulum eſt, ſed confeſtim enecat.

459. URTICA dioica. Linn. *Sp. pl. 1396. Mat. m. 419.*

Urtica urens altera. Dod. *Pempt. 151.*

Urtica ſylveſtris aſperior. Lob. *Hiſt. 281.*

Urtica. Blackw. *Herb. t. 12.*

Pharm. URTICÆ MAJORIS Radix, Herba.

Locus. Europa, in ruderatis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, craſſitie pennæ anſerinæ, flexuoſa, undique fibroſa, rigidiuſcula: *parencymate* ſicciore, poſt ſectionem transverſalem notato centro medullari orbiculato, cincto diſco obſolete annulato. *Caules* plures ex una radice, erecti, ſimplices, vix ramoſi, tetragoni: angulis ſubrotundis, 4-ſulcatis, pubeſcenti-hiſpidis: pilis rigidiuſculis, inferne craſſis, cylindricis, in medio articulatis, apice ſubulato, acuto, pungente. *Folia* oppoſita, petiolata, cordata, acuta, groſſe ſerrata, bi-vel tripollicaria, ſupra lineata, rugoſa, ſaturate viridia, ſubtus pallidiora, utrinque hiſpida: pilis breviuſculis, rigidis, ſubulatis, baſi globoſis; ſuperiora proximiora. *Petioli* tetragoni, hiſpidi. *Stipulæ* oppoſitæ, bipartitæ: laciniis linearibus, obtuſiuſculis, ſubmembranaceis, ciliatis, patenti-reflexis. *Amenta* quaterna, breviter pedunculata, ramoſa, patentia, maſcula, floribus glomeratis, ſubſeſſilibus. *CAL. Perianth.* 4-partitum: laciniis ovatis, obtuſis, concavis, margine membranaceis, ſubtus ſca-

(*) *Reiſe durch Rußland und Perſien, vol. 1. p. 206.*

ſcabris, patentibus. *COR.* nulla. *STAM. Filam.* 4, ſetacea, calyce longiora, inſtante antheſi elaſtice proſilientia. *Anth.* ſubovato-gibbæ, ſubtus convexiuſculæ, ſupra bimarginatæ, biloculares. *PIST.* nullum; *rudimentum* germinis in centro, turbinatum, glabrum, apice obtuſum, perforatum. *Fœminei* flores: Amenta fœminea maſculis ſimilia, floribus glomeratis, minimis: glomerulis ſubrotundis, alternis. *CAL. Perianth.* triphyllum: foliolis exiguis, ovatis, obtuſis, piloſis. *COR.* nulla. *PIST. Germen* ſuperum, ovatum, glabrum, tenerrimum. *Styli* nulli. *Stigm.* penicillus albus, breviuſculus, patens.

PROPR. rec. rad. Odor debilis; *ſapor* debilis, leniter amaricans; *herbæ: odor* & *ſapor* herbacei.

VIRTUS: diuretica; *extus* applicita integra herba recens, urens eſt & exanthematica: maculis mox rubicundis, tum bullulatis, fugacibus.

USUS. Hæmoptyſis; Paralyſis *externe.*

OBS. 1. Folia Urticæ pungunt, uti obſervavit ROB. HOOKE (*), pilis rigidis, perforatis, acuminatis, baſi inſtructis veſicula, humore acri turgida. Simulatque acumen pili cutem perforat, reprimitur a reſiſtentia cutis pilus recavus, unde compreſſa veſicula, per pilum in vulnuſculum manat humor, qui acrimonia ſua rodit, & exanthema excitat. Itaque urit Urtica pari modo ac ſerpentes mordent.

OBS. 2. Folia Urticæ tenella primo vere apud nos colliguntur, in uſum culinarem, tamquam oleris ſpecies.

460. MORUS nigra. LINN. *Sp. pl. 1398. Mat. m. 422.* KNIPHOF *Botan. orig. cent. 3.* DUHAM. *Arbr.*

(*) *Micrograph. p. 142. obſ. 25. ſchem. 15. fig. A. B.*

Arbr. 2. *p.* 24. *t.* 8. *Fruit.* 1. *p.* 335. *t.* 1.
Blackw. *Herb.* *t.* 126.
Morus. Dalech. *Hiſt.* 326. Dod. *Pempt.* 798.
Mœrbeſyeboom. Caus. *Hoven.* *p.* 12. *t.* 4.
Morus cum fructu. Merian. *Erucar. ort.* *p.* 1. *t.* 1.

Pharm. *MORI* Cortex, Baccæ.

Locus. Italia, in maritimis. Colitur in hortis. *Arbor.*

FORMA. rec. Cortex radicis extus luteſcens, ſiccatus longitudinaliter rugoſus, craſſitudine diverſa, pro ætate radicis, parencymate albido. *Baccæ* axillares e foliis, brevius pedunculatæ, ovales, obtuſæ, fuſco-nigræ, glabræ, lucidiuſculæ, ſubpollicares, pondere ſcrup. 2-4, compoſitæ e *Bacculis*, diſpoſitis ſerie longitudinali, inæquali, obovatis, compreſſis, truncato-obtuſis, terminatis piſtillo, undique imbricatis in receptaculo carnoſo, cylindrico; ſingulis conſtantibus e 4 lobis veſiculoſis, teneris, ſuccoſis, ſuperne convexis, inferne attenuatis, imbricatis, arcte conniventibus; quorum 2 exteriores oppoſiti, concavi, margine rotundato-adpreſſo, minutim pubeſcente; 2 interiores conniventes, paralleli, directione contraria ad exteriores. *Semen* unicum in medio, intra lobos, triangulari-ovatum, acutum, glabriuſculum, compreſſum, dorſo plano, antice acie acuta, inferne truncatum, cavum, auctum apophyſi gelatinoſa, involutum propria tunica ſubexſucca. *Stylus* brevis. *Stigmata* 2, lineari-ſubulata, hirſuta, erecta.

PROPR. corticis: Odor graviuſculus; *ſapor* auſterus, graviuſculus, amaricans, ſubſalſus. *Baccar.* rec. *odor* vix ullus; *ſapor* acidulus, inſimul in cucumerinum incidens. Baccæ *maſticatæ* valde

de ſuccoſæ; extrahitur ſuccus, remanent pelliculæ, receptaculum & ſemina exſpuenda: ſaliva nigro-violacea.

VIRTUS corticis: adſtringens, anthelminthica; *Baccar.* refrigerans, reſtringens.

USUS corticis: Tænia; *Baccar.* Febres, Angina, Aphthæ.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum *corticis* luteſcens, odore non ingrato, *ſapore* conſimili; vitriolo martis debilius fuſceſcit. *Baccar.* recent. unc. 1 expreſſione dat unc. ß & ſcrup. 4 ſucci rubri, aciduli. Hic ſuccus, dum baccæ manibus tractantur, cutem tingit rubro-purpureo; cum vitr. martis & pauxillo aquæ commixtus, nigreſcit. Succi puri guttæ 4, aquæ unc. ß inſtillatæ, addito vitriolo martis, colorem effecerunt violaceum; guttæ vero 20 obſcure violaceum.

OBS. 2. Corticem radicis ut anthelminthicum, etiam contra Tæniam, commendant plures. Nic. Andry (*) docet, corticem radicis Mori, doſi drachm. 3 ß, in aquæ puræ libra 1 per ſemihoram coctum, & decoctum mane propinatum, revera Tæniam pellere, & ſimul alvum purgare; ſi unica doſis non ſufficit, iterandam doſin ſvadet, usquedum Tænia pellatur. E baccis maturis paratur Rob, quod frequenter præſcribitur, ut linctus refrigerans in febribus, ad lingvam aridam emolliendam. Sæpe additur ſpiritus vitrioli.

ORDO
POLYANDRIA.

461. POTERIUM Sangviſorba. Linn. *Sp. pl.* 1411. *Mat. m.* 425. Kniph. *Bot. orig. cent.* 1. Pim-

(*) *De la generation des vers, p.* 172.

Pimpinella Sangviſorba. CAMERAR. *Epit.* 777. ZANNICH. *Venez.* 119. DOD. *Pempt.* 105.

Pimpinella. BLACKW. *Herb. t.* 413.

Pharm. PIMPINELLÆ ITALICÆ Herba.

Locus. Europa. Colitur in hortis. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, craſſitie digiti, brunnea, in ramos diviſa. *Caules* plures ex una radice, erecti, pedales, angulati, virides, angulis linea fuſca notatis; glabri, ramoſi. *Rami* alterni, erecti, compreſſiuſculi, angulati. *Folia* alterna, petiolata, pinnata cum impari, ſeptemjuga: foliolis petiolellatis, oppoſitis, ovatis, obtuſis, inciſo-ſerratis, utrinque glabris, venuloſis, ſubtus glaucis, carinatis, ſupra obſcure viridibus, concaviuſculis; inferioribus minoribus. *Petioli* communes fuſceſcentes, parce piloſi, ſubtus convexi, ſupra canaliculati, baſi concavi, ciliati. *Stipulæ* utrinque 2, ex pari foliolorum ſolitario, baſi petioli. *Flores* capitati, capitulis terminalibus, ſubſolitariis, ovatis, obtuſis, acutis, pedunculatis; quorum ſuperiora hermaphrodita; inferiora fœminea. *CAL. Perianth.* triphyllum, inferum: foliolis ovatis, obtuſis, ciliatis, membranaceis, corolla brevioribus. *COROLLA* ſupera, tetrapetala, plana, cruciformis: petalis ſeſſilibus, ovatis, obtuſis, ſub apice notatis puncto elevato ſubrotundo, ſpadiceis, apice revolutis, trinerviis, margine membranaceo, undulato. *STAM. Filam.* plurima, capillaria, erecta, longitudine fere corollæ. *Antheræ* ſubovatæ, compreſſæ, utrinque retuſæ, erectæ. *PIST. Germ.* inferum ſub corolla, ovatum, compreſſiuſculum, rugoſum, albidum, tetragonum. *Styli* 2, albi, cylindrici, longitudine vix corollæ. *Stigmata* peniciliformia, alba.

PROPR. rec. Odor fragrans, graviuſculus, gratus; *ſapor* congruens.

VIRTUS: tonica.

USUS: culinaris.

OBS. Folia recentia in culinis adhibentur in ſatura herbaria, gratumque ei conciliant ſaporem.

462. QUERCUS Suber. LINN. *Sp. pl. 1413. Mat. m. 427.*

Suber latifolium perpetuo virens. DUHAM. *Arbr. 2. p. 291. t. 80.*

Suber folio breviore & latiore. DALECH. *Hiſt. p.* 22.

Suber. BLACKW. *Herb. t. 193.*

Pharm. SUBERIS Cortex.

Locus. Europa auſtralis. *Arbor.*

FORMA. Cortex in fruſtis, utrinque planis, longitudine circiter pedum 2, latitudine pedis 1, craſſitie pollicari, levis, molliuſculus, coriaceus, ſed inſimul firmus & compactus; poſt ſectionem transverſalem æqualis, notatus venis parallelis, rufeſcentibus.

PROPRIET. Odor nullus, neque *ſapor.* Cortex, cultro acuto inciſus, ſecatur ſecamentis coriaceis, lævibus.

VIRTUS:

USUS: mechanicus.

OBS. 1. Cortex trunci arboris, circiter duodecennis vel ſupra, menſe Julii ſ. Auguſti, longitudinaliter inciditur in ſegmenta arbitraria, atque deinde caute divellitur, ne liber trunci lædatur. Hæc ſegmenta primum radendo bene tergenda, deinde flammæ ignis exponenda, ut ſuperficies paullulum criſpetur porique conſtringantur. Hoc facto, in aqua frigida bene lavanda, & cumulatim coacervanda, tum ponderibus one-

oneranda, ut plana evadant. Præſtans cenſetur ſubereus cortex rubicundus; albidus vero, h. e. ſine igne præparatus, & in aqua ſolum maceratus ut planus fiat, vilis eſt; luteus mediocris. Si liber arboris non fuit læſus, cortex ſubereus ſenſim regeneratur, ita ut poſt 8 ſeu 10 annos de integro divelli poſſit. DUHAMEL.

OBS. 2. Suber uſtum in hæmorrhoidibus cæcis adhibetur, ungvento immixtum.

463. QUERCUS Cerris. LINN. *Sp. pl. 1415.*
Robur Quercus Cerrus. CLUS. *Hiſt. 1. p. 18.*
Galla major. LOBEL. *Hiſt. 586.* DODON. *Pempt. 813.*

Pharm. *GALLÆ TURCICÆ.*

Locus. Europa auſtralis, Barbaria. *Arbor.*

FORMA. Gallæ ponderoſæ, magnitudine ovi columbini, in ipſis ramis arboris ſubſeſſiles, alternæ, globoſæ, pallide virideſcenti-cinereæ, glabriuſculæ, notatæ verrucis ſparſis vel criſtatis, elevatis, groſſe ſubreticulatis; altero latere communiter perforatæ. *Parencyma* ſolidum, friabile, albeſcens, intus fuſceſcens, reſinoſum, centro cavo.

PROPR. Odor nullus. *Sapor* acerbiſſimus, maxime ſtypticus; *maſticatæ* friabiles, lingvam fauceſque vehementius conſtringentes.

VIRTUS: peradſtringens, coriaria, obſtipans.

USUS: externus.

OBS. 1. Extrahuntur Gallæ turcicæ menſtruo cum aquoſo, tum ſpirituoſo, quæ ambæ tincturæ poſt evaporationem *extractum* dant ſtypticum. *Infuſum* aquoſum ſaturatiſſimum, olivaceum, opaleſcens, ſubopacum, intenſe ſtypticum; cum vitriolo martis ſubito nigreſcit; hujus infuſi gutta 1, aquæ unciæ ℥ inſtillata,

addito vitr. martis, colorem obſcure cæruleum, nigreſcentem efficit. *Decoctum* aquoſum ſaturatiſſimum, ſpiſſum, opacum, olivaceum, ſtypticum, absque odore; hujus decocti gutta 1, cum aquæ uncia ℥ & vitr. martis, colorem ſiſtit atro-cæruleum, opacum. Gallæ turcicæ ſeptem octonas partes *Extracti* aquoſi dant, tres vero quaternas partes extracti reſinoſi; NEUMANN. Sub *pulveratione* irritant Gallæ turcicæ nares & ſternutationem movent.

OBS. 2. Multum *acidi* continent Gallæ turcicæ, atque hoc acidum ſummæ eſt affinitatis cum metallis, in acidis mineralibus ſolutis. Si infuſum gallarum ſaturatius inſtilletur ſolutioni vitrioli martis, aqua pura dilutæ, decomponitur mox vitriolum, acidum gallarum combinatur cum terra martiali, & ſubſidunt ambo; acidum vero vitrioli liberum (niſi nimia cum aqua fuerit dilutum) reagit in præcipitatum, illudque iterum ſolvit: ſolutione cærulea, ſi bene diluta ſit; atra vero, ſi ſaturata. Sic oritur Atramentum ſcriptorium. Cl. MONNET (*) experimentis curioſis docuit, Gallas turcicas pari efficacia ſolutiones etiam omnium metallorum præcipitare. Porrò quoque exiſtentia acidi in Gallis turcicis ex decoctione ſerici cum gallis demonſtratur; accipit enim ſericum hac encheireſi crepitum (*le cris*), uti ex omnibus aliis acidis.

OBS. 3. Uſus medicus Gallarum rariſſimus eſt; nimis enim ſtypticæ ſunt. Sunt qui febres intermittentes & diarrhœas cum Gallis propinatis curare tentarunt, ſed infauſto conatu; viſcera enim inde ſæpe obſtructa. Tinctoribus autem uſitatiſſimæ ſunt, &, quod ſingulare eſt, augent pondus ſerici, interdum usque ad decimam ponderis partem.

OBS.

(*) *Traité des Eaux minerales.* Paris 1768. *p. 309. ſeq.*

OBS. 4. Galla turcica eſt excreſcentia Quercus; nidum inſecti cujusdam conſtituens. Gallæ perforatæ inſectis liberatæ ſunt; namque ab illis perforantur, dum excluſa exibunt.

464. QUERCUS Robur. LINN. *Sp. pl. 1414. Mat. m. 426.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 3.*

Quercus cum fructu. MERIAN. *Eruc. ort. p. 17. t. 51.*

Quercus. LOESEL. *Pruſſ. 211. t. 69.* DOD. *Pempt. 811.* BLACKW. *Herb. t. 487.*

Quercus cum longo pediculo. DUHAM. *Arbr. 2. p. 202. t. 47.*

Pharm. QUERCUS Cortex, Folia, Glandes, Cupulæ.

Locus. Europa. *Arbor.*

FORMA. Cortex trunci planiuſculus, craſſitie ſemipollicari, ſubligneus, undique cinereus, extus longitudinaliter ſubfiſſus, ſæpe conſpurcatus Lichenibus. *Folia* alterna, breviter petiolata, fere digitalia, cuneiformia, runcinato-lobata: lobis oppoſitis, obtuſis, inferioribus ſenſim minoribus; utrinque glabra, minutiſſime venuloſo-reticulata, margine ſubrecurvato, integerrimo. *Pedunculi* axillares, in ſummitate ramulorum, ſolitarii, foliis breviores, nudi, glabri. *Perianth.* fructus (cupulæ) cineraſcens, craſſiuſculum, corticoſum, communiter geminum, ſæpe ſolitarium, pateriforme, integerrimum, margine truncato, æquali, minutiſſime ciliato, extus rugoſum: ſquamulis imbricatis, ovato-acutis, ſubcarinatis, adpreſſis, apice obtuſiuſculis; intus læve, centro deraſo in fundo, pallidiore. *Nux* ovalis, calyce triplo longior, undique lævis, nitidiuſcula, colore ſtramineo, ſtriis rubicundis

 longi-

longitudinalibus, baſi macula orbiculata deraſa, apice obtuſa, ſubvilloſa, cum umbilico cylindrico prominente; *teſta* pergamena, fragili; *nucleo* duplici tunica obvelato, extus rugoſo: veſtigiis venuloſis; bipartibili, ſolido; plumula in apice: puncto ſubrotundo, ſubprominente.

PROPR. corticis: Odor vix ullus; *ſapor* acerbus, ſtypticus; *Glandis rec. Odor* nullus; *ſapor* acerbus, ſtypticus; *ſiccata* dura.

VIRTUS: peradſtringens, coriaria, obſtipans.

USUS: externus, Prolapſus uvulæ.

OBS. 1. *Infuſum aquoſum corticis* aureo-luteſcens, odore debili, ſapore debilius ſtyptico; cum vitriolo martis nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 3, aquæ unciæ ℥ inſtillatæ, addito vitr. martis, colorem violaceum ſtiterunt. *Infuſ. folior. ſicc.* citrinum, odore debili, non ingrato; ſapore debiliore, leniter amaricante; vitriolo martis nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 8, cum aquæ unc. ℥ & vitr. martis, colorem exhibuerunt violaceum. *Cupularum: Infuſum* ſaturatiſſimum ſaturate rubicundum, ſtypticum; vitriolo martis ſubito nigreſcit; hujus infuſi guttæ 20, cum aquæ unc. ℥ & vitr. martis, colorem fuſco-virideſcentem ſtiterunt. *Nucleor.* rubro-turbidum, ſtypticum; cum vitr. martis nigrum; hujus infuſi gutta 1, cum vitr. martis & aquæ unc. ℥, colorem ſtitit violaceum; guttæ vero 2, colorem ſaturate cæruleum. *Aqua* e foliis recent. *deſtillata*, odore & ſapore debili eſt, & acetum ſaturninum præcipitat.

OBS. 2. Quandoquidem Lignum quernum, eodem modo ac Gallæ turcicæ, extrahitur menſtruo aquoſo atque ſpirituoſo, ratio elucet, cur Spiritus vini gallicus, qui in doliis quernis diu aſſervatus fuit, ab affuſa ſolutione vitrioli martis cæruleſcat.

OBS.

OBS. 3. Nuclei Quercus nullum fere oleum expreſſum dant, etiamſi ſero autumno collecti ſunt. Ajunt quidam, illos ſpiritum ardentem dare, ſed experimentum ipſe non inſtitui. Hæ nuces minime edules ſunt hominibus; ſed Sues inde bene ſaginantur. Quæ de eſu glandium quernarum hinc atque illinc relata leguntur, videntur vix intelligi poſſe de Quercu noſtra vulgari, ſed potius de Quercu vulgari brevibus pediculis, SHAW *Afric. tom. 2. extr. p. 118*, quæ dulces gerit glandes.

465. JUGLANS regia. LINN. *Sp. pl. 1415. Mat. m. 430.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 1.*

Nux Juglans ſ. regia vulgaris. DUHAM. *Arbr. 2. p. 50. t. 13.* DALECH. *Hiſt. 321.* DODON. *Pempt. 803. f. 804.* BLACKW. *Herb. t. 247.*

Walnoten. CAUSE *Hoven. p. 15. t. 4.*

Pharm. JUGLANDIS Fructus immaturus, Extractum.

Culinis ——————— Nuces.

Locus. Perſia, Anglia (*). Colitur in hortis. *Arbor.*

FORMA. rec. Drupa immatura ſubrotunda, utrinque compreſſiuſcula, apice obtuſo-rotundata cum tuberculo prominente, magnitudine ovi gallinacei minoris, glabra, viridis, variegata: maculis pallidioribus, ſubelevatis; *parencymate* carnoſo-ſucculento, viridi, firmiuſculo. *Nux* matura majuſcula, pollicaris, ſubrotunda, oſſea, ſulcis reticulata, bivalvis, ſemiquadrilocularis; *nucleo* albo, quadrilobo: lobis longitudinalibus, anfractuoſis, auriformibus, undique gibbulis rugoſis, binis utrinque latere parallelis; membrana obvelato.

(*) *Philoſ. transact. v. 61. p. 1. p. 136. - - 166.*

PROPR. rec. Drupæ immat. *odor* debilior; *ſapor* acidus, acutus, tum ſtypticus; *maſticata* firmiuſcula, ſuccoſa, ſaliva videſcente. Drupa recens, reſecta, cultrum adgreditur, & ſolvit ejus ſuperficiem, colore nigro; manibus tractata, cutem tingit maculis ferrugineo-rubicundis, inhærentibus. *Nucleorum* matur. *odor* nullus; *ſapor* ſubdulceſcens; *maſticati* firmi, comminuuntur, ſaliva emulſiva. Nucleus immaturus, diſſectus, inter anfractus plurimum mucilaginis fovet.

VIRTUS: Drupæ: laxans, anthelminthica; *nuclei:* nutriens.

USUS: drupæ: Lumbrici; *nucl.* culinaris.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum *Drupæ* recentis fuſco-rubrum, acidum, amarum, ſtypticum, ingratum; vitriolo martis fuſco-nigreſcit; hujus infuſi guttæ 50, cum aquæ unc. ß. & vitr. martis, colorem fecerunt fuſco-ferrugineum. *Extractum* drupæ ſubſalſum, viridi-nigricans, ſubſplendens, conſiſtentia Rob Juniperi, tenaciuſculum, odore ſatis grato, ſapore acidulo, acerbiuſculo, leniter ſtyptico; guſtatum ſalivam brunneo tingit. Paratur ex Drupis recentibus & immaturis, in vaſe ligneo contuſis, affuſa aqua, & deinde in ollis idoneis, minime ex metallis ignobilioribus paratis, in conſiſtentiam extracti coctis. Hoc extractum præſtans eſt anthelminthicum, doſi cochlearis pro thea, bis vel ter de die propinatum pueris. Purgat alvum, & lumbricos pellit ſimul.

OBS. 2. *Nuclei* Juglandum, a pelliculis probe purgati, comminuti groſſo modo, *Decoctum* aquoſum exhibuerunt luteſcens, vix emulſivum, ſapore debili, vitriolo martis nil demutatum. Decoctum vero *pelliculorum*, luteo-ferrugineum, ſapore debili, cum vitr. martis ſubito nigreſcit; hujus decocti guttæ 30, in aquæ unc.

unc. ß dilutæ, addito vitr. martis, colorem fuſco-virideſcentem exhibuerunt. Itaque nuclei ipſi mites, pelliculæ vero obvelantes ſtypticæ. Hi nuclei, ad dimidiam ſui ponderis partem, *oleum* dant expreſſum, mite, dulceſcens, flavicans, facile ranceſcens, & quod in frigore non cogitur, uti oleum olivarum; accenſum fumat. Pictoribus utile eſt. Ut anthelminthicum contra Tæniam plurimi commendant. Nuclei, cum aqua triti, in *emulſionem* abeunt.

OBS. 3. Arboris truncus inciſus *lympham* ſtillat, quæ, tamquam lympha betulina, principio dulci ſcatet, & in melliginem ſaccharinam reduci poteſt.

466. FAGUS Caſtanea. LINN. *Sp. pl. 1416. Mat. m. 429.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 5.*

Caſtanea. DUHAMEL *Arbr. 1. p. 134. t. 50.* MILL. *Figur. t. 84.* BLACKW. *Herb. t. 330.* CAMER. *Epit. 118.* DOD. *Pempt. 802.*

Culinis CASTANEÆ Nuces.

Locus. Europa auſtralis. Colitur. *Arbor.*

FORMA. rec. Nux ovato-hemiſphærica, hinc convexa, inde plana, brunnea, nitidiuſcula, lævis, baſi obtuſa, deraſa: macula transverſaliter oblonga, ſubquadrangulari; apice acutiuſculo, tomentoſo. *Teſta* coriacea, intus tomentoſa, ſubadhærens. *Nucleus* amygdalinus, teſtæ reſpondens, longitudinaliter ſulcatus: ſulcis parallelis; veſtitus tunica tenera ferruginea; *parencymate* cotyledoneo, firmo, albo, lobato: lobis arcte conniventibus; ſutura anfractuoſa; *corculo* glabro, ovato-conico, ſubpedicellato, inter lobos margini incluſo.

PROPR. rec. Odor nullus; *ſapor* dulceſcens; *maſticatus* nucleus ſicciuſculus & firmus inter dentes ſentitur, comminuitur, ſaliva alba.

VIRTUS: nutriens.

USUS: culinaris.

OBS. 1. Nuces Caſtaneæ, ſi valebunt, ſiccandæ ſunt. Modum, quo ignis ope ſiccari ſolent, tradidit cl. MONTET (*). *Infuſum* aquoſ. nucum Caſtaneæ ſiccat. rubicundum, dulceſcens, fumum ſapiens & redolens; a vitriolo martis non alteratur. *Olei* expreſſi nihil dant nuces Caſtaneæ, ut docet ill. DUHAMEL. Ex Nuc. Caſtan. libris 2 torcularis ope nullum oleum, ſed ſuccum, qui in fermentationem vinoſam ruebat, obtinuit cl. SPIELMANN.

OBS. 2. Nuces Caſtaneæ, coctæ vel frictæ, eſitantur copioſiſſime in Europa auſtrali, & tantum non baſin nutrimenti efficiunt. Nutriunt bene, quamvis inſvetis paullum flatulentæ ſint.

467. FAGUS ſylvatica. LINN. *Sp. pl. 1416. Mat. m. 428.*

Fagus. CAMER. *Epit. 112.* DODON. *Pempt. 820.* DUHAM. *Arbr. 1. p. 231. t. 98.*

Pharm. FAGI Nuces, Cineres clavellati.

Locus. Europa, America ſeptentrionalis. *Arbor* excelſa.

FORMA. Nux magnitudine vix nucis Avellanæ minoris, exquiſite triquetra: angulis acutis, acie in membranam brevem exeuntibus; undique lævis, nitidiuſcula, brunnea, lateribus planis, ſingulis notatis ſtriis 3 longitudinalibus, elevatis; baſi obtuſa, deraſa: macula triangulari, parviuſcula; apice acuta, mucrone tomentoſo. *Teſta* coriaceo-pergamena, intus glabra, unilocularis, trivalvis. *Nucleus* albus, longitudinaliter ſed parce ſtriatus, veſtitus tunica tenera, brunnea; *corculo* in apice. *Parencyma* cotyledo-

(*) *Memoir. de l'Acad. des ſcienc. 1768. p. 538.*

doneum, firmum, album, lobatum: lobis inæqualibus, arcte conniventibus.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* debilis, vix dulceſcens; *maſticatur* perinde ut Caſtaneæ nuces.

VIRTUS: nutriens, ſubtemulentans.

USUS: œconomicus.

OBS. 1. *Oleum* expreſſum luteſcens, recens mite, in frigore non cogitur, hinc facile ranceſcit. Nucum harum tonna 1 vix ultra 4 olei congios dat.

OBS. 2. Hiſce nucibus Sues vulgo ſaginantur, valdeque pingveſcunt; ſed lardum mollius fit, & inter elixandum haud parum liqueſcit.

OBS. 3. *Cineres clavellati* ſunt ſal alcalinum fixum vegetabile, in aëre humidiuſculo deliqueſcens, pro diverſo præparandi modo varium. Communiter in igne valido calcinatur cinis ligni Fagi, quoad in glebas concreſcat. Si hæ glebæ contundantur, & in furno idoneo ad albedinem denuo calcinentur, obtinentur cineres clavellati idonei. Quoniam hi cineres clavellati cum calce viva ſunt commixti, purum alcali non efficiunt, verum alcali fixum cauſticum, ex admixta calce. Hæc calx oritur ex ipſa parte terreſtri ligni, quæ vehementia ignis in veram calcem abit. Si autem cinis ligni cum aqua maceretur, ut pars ſalina ſolvatur, hæc vero poſtmodo inſpiſſetur, obtinetur alcali fixum purum, atque id non cauſticum. *Uſus* cinerum clavellatorum in conficiendo ſapone inſignis eſt. Si cum acido Nitri ſaturetur, verum exſurgit Nitrum priſmaticum.

468. CORYLUS Avellana. LINN. *Sp. pl.* 1417. *Mat. m.* 431. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 1.

Corylus ſativa fructu rotundo maximo. DUHAM. *Arbr.* 1. *p.* 188. *t.* 77.

Corylus. BLACKW. *Herb. t.* 293. DALECH. *Hiſt.* 319. Nux

Nux avellana ſ. Corylus. Dod. *Pempt.* 804.
Pharm. *CORYLI* Lignum.
Culinis *AVELLANÆ* Nuces.
Locus. Europa, in nemoribus aſperis. *Arbor.*
FORMA. *Lignum* albidum, leve, molliuſculum; poſt ſectionem transverſalem notatum centro medullari parviuſculo. *Glomeres* nucum ſubrotundi, pedunculati, nudi. *Involucrum* ſubtetraphyllum, glomeri ſubjectum: foliolis ſubæqualibus, ſubcarnoſis, planis, ſubrotundis, ſubdentatis, reflexo-patentibus, calycibus ſubjectis. *Nuces* plures in glomere ſeſſiles, divaricatæ, ſingulæ ad baſin veſtitæ *Perianthio* monophyllo, campanulato, carnoſo-coriaceo, vix minutim villoſo, bipartito: foliolis baſi imbricatis, ſuperne multifidis: laciniis linearibus, inæqualibus, acutis, denticulatis, minutim ciliatis, erectis, longitudine vix nucis. *Nux* ovata, utrinque compreſſiuſcula, glabra, ſpadicea, obſolete ſulcata, baſi notata macula ampla, plano-convexiuſcula, deraſa, ſubquadrangulari; ſuperne minutim tomentoſa; apice obtuſa, terminata hilo obtuſiuſculo, parvo. *Teſta* oſſea, ſubbivalvis, unilocularis, intus veſtita tunica cinerea, adhærente. *Nucleus* ovalis, acutiuſculus, albus, bipartibilis, obvelatus tunicis 2 vel 3, aridis, cineraſcentibus, ſcabriuſculis; quarum interior tenera, glabriuſcula, nervis longitudinalibus, parallelis; exteriores craſſiores, ſubſpongioſæ.
PROPR. *Ligni:* *Odor* nullus, neque *ſapor.* *Nuclei:* *odor* nullus; *ſapor* ſubdulceſcens; *maſticatus* nucleus firmiuſculus, comminuitur, ſaliva lacteſcente.
VIRTUS: *nuclei:* nutriens.
USUS: culinaris.

OBS.

OBS. 1. *Lignum* Coryli dat *oleum* per deſcenſum, empyreumaticum, fœtidum. Si ſupra calcem vivam rectificetur, limpidum fit, colore aureo, & ut bonum nervinum commendatur in morbis convulſivis, epilepſia, ecclampſia infantili; ajunt, id etiam eſſe bonum anthelminthicum, verumque *oleum heraclinum* RULANDI.

OBS. 2. *Decoctum nucleorum*, detractis pelliculis, leviter lacteſcens eſt; vitriolo martis non tingitur, verum coagulatur. *Teſtarum* decoctum rufeſcens; vitriolo martis fuſceſcit. Decoctum ex *pelliculis* nucleorum luteſcens, ſapore debili; vitriolo martis fuſceſcit. Nuclei *oleum* dant expreſſum, mite, velut Amygdalæ dulces, larga copia, fere ad dimidium ponderis nucleorum, amygdalino vix inferius. Cum aqua contuſi, in emulſionem abeunt.

OBS. 3. Nuclei Avellanæ communiter crudi eſitantur, uti Amygdalæ, ſed detrahi debent pelliculæ obvelantes, utpote nimium ſiccantes & reſtringentes, unde ſtrictura faucium, pectorisque anguſtia cum tusſicula efficitur.

OBS. 4. Si *Foliorum* Coryli recentium, media æſtate collectorum, major quantitas in cacabo, cum affuſa aqua, coquatur, quoad aqua fere omnis evaporaverit, reſidua maſſa, expreſſa, liquorem ſ. ſuccum dat fuſcum, odore rancido, ſubempyreumatico, ſapore ſalſo, graviuſculo; qui, illinitus lectis aliisque mobilibus, cimicibus infectis, pellit quidem cimices, uti ſæpius vidi, ſed tamen ſæpe fit, ut poſtmodum redeant.

469. LIQUIDAMBAR ſtyraciflua. LINN. *Sp. pl.* *1418. Mat. m. 432.*

Liquidambar arbor ſ. Styraciflua aceris folio. PLUK. *Almag. 224. t. 42. f. 6.* CATESB. *Carol. 2. p. 65. t. 65.*

Li-

Liquidambar. Blackw. *Herb. t. 485.*
Pharm. *STORAX LIQUIDA.*
Locus. Virginia. *Arbor.*
FORMA. *Reſina* griſeo-brunnea, fuſceſcens, homogenea, conſiſtentia ungventi, plaſtica, tenaciuſcula, rigidiuſcula, opaca, lucida, pingviuſcula. *Purior* Storax liquida in officinis ſubinde occurrit, facie Terebinthinæ, conſiſtentia mellis, ſubdiaphana, tenax, lutea, odore validiore.
PROPR. *Odor* fragrans, in Storacem Calamitam incidens; *ſapor* unctuoſus, acriuſculus, odori congruens. Accenſa flagrat: flamma vivida, fumo ſpiſſo, valde fuliginoſo, odore grato, balſamico, remanente carbone tenui, atro, parum inquinante.
VIRTUS: vulneraria.
USUS.
OBS. 1. De vera origine Storacis liquidæ nondum inter Auctores convenit; plurimi illam artis productum credunt.
OBS. 2. Ad præparationem Ceræ ſigillatoriæ Storax liquida etiam adhibetur.

ORDO
MONADELPHIA.

470. PINUS Balſamea. Linn. *Sp. pl. 1421.*
Abies minor pectinatis foliis virginiana, conis parvis ſubrotundis. Pluk. *Alm. 2. t. 121. f. 1.* Duham. *Arbr. 1. p. 3. t. 3.*
Pharm. *BALSAMUM CANADENSE.*
Locus. Canada. *Arbor.*

FOR-

FORMA. Reſina liquida, pellucidiſſima, albida, ætate luteſcens, tenaciſſima, in fila ductilis, rigidiuſcula.

PROPR. Odor balſamicus, gratus, ad balſamum Meccæ accedens; *ſapor* mitis, vix amaricans. *Maſticatum* non ſolvitur, dentibus, labiis & ſæpe palato adglutinatur.

VIRTUS: vulneraria, diuretica: urina odoris violacei.

USUS. Vulnera.

OBS. 1. Hæc ſpecies Terebinthinæ omnium nobiliſſima & præſtantiſſima eſt, pariter ac amœniſſima odore & colore. Hanc in bonitate proxime ſequitur Terebinthina cypria, deinde T. argentoratenſis, tum T. veneta; ſed deterrima eſt T. communis. Hæ omnes Terebinthinæ ſpecies in eo conveniunt, quod, deſtillatione cum aqua, *oleum ſtillatitium* dant, liquidum, limpidum, colore aqueo, odore fragrante, quo oleo ſpoliatæ concreſcunt in *colophonium* ſolidum, ſiccum, friabile, fragile: fragmentis lucidis. Oleum earum etiam haberi poteſt, ſi in aqua coquuntur; ſic Terebinthina cocta ſpecies eſt Colophonii. Porro conveniunt dictæ ſpecies in eo, quod, deglutitæ, urinam imbuunt violaceo odore. In aquam calidam immiſſæ, non liqueſcunt, ſed paullum ſubſidunt, & adglutinantur digito immiſſo. Solvuntur perfecte in ſpiritu vini. Si cum vitello ovi teruntur, cum aqua miſcentur: mixtura lacteſcente. Cunctæ ſpecies e truncis arborum ſauciatis ſponte diſtillant.

OBS. 2. Antiquiorum medicorum plerique Terebinthinas aliaque balſama reſinoſa, ad ulcera interna, uti ſpecifica, commendant, decepti ab analogia. Verum ſi res juſte penſitetur, adeo non juvant, ut potius plus damni dent; etenim movent ſangvinem, augent febrem ſymptomaticam, promovent contabeſcentiam atque

que ſudores colliquativos. Cum ulcus quoddam cacoëthicum in aliquo viſcere ſe manifeſtat, nonniſi talia indicantur, quæ humoribus emendandis & corrigendis conducant.

471. PINUS Picea. LINN. *Sp. pl. 1420.*
Abies taxi folio, fructu ſurſum ſpectante. DUHAM. *Arbr. 1. p. 3. t. 1.*
Abies. CAMER. *Epitom. 48.*
Picea. DALECH. *Hiſt. 50.*
Pharm. TEREBINTHINA ARGENTORATENSIS.
Locus. Alpes Europæ auſtralis, Helvetiæ. *Arbor.*

FORMA. Reſina liquida, diaphana, minus tenax, colore obſcure luteſcente, emanans e veſicis propriis, in cortice ſparſis & dilaceratis, trajectione per colum probe depurgata.

PROPR. Odor fragrans, in corticem Citri obſcure incidens; *ſapor* inter omnes Terebinthinæ ſpecies maxime amaricans, non tamen acris.

VIRTUS: ut in præcedente.

USUS: ut in præcedente.

OBS. *Oleum Terebinthinæ*, ab exteris ad nos allatum, communiter ex Tereb. argentoratenſi deſtillatur. Ex Terebinth. libr. 4 obtinetur olei ſtill. libra 1. DUHAMEL.

472. PINUS Larix. LINN. *Sp. pl. 1420. Mat. m. 437.*
Larix folio deciduo conifera. DUHAM. *Arbr. 1. p. 332. t. 131.* BAUH. *Hiſt. 1. p. 265.*
Larix. CLUS. *Exotic. 196.* DALECH. *Hiſtor. 55.* BLACKW. *Herb. t. 477.* CAMER. *Epit. 45. 46.*
Pharm. TEREBINTHINA VENETA.

Lo-

Locus. Alpes Europæ auſtralis, Sibiria. *Arbor.*

FORMA. *Reſina* liquida, diaphana, conſiſtentia mellis vel ſyrupi ſpiſſioris, colore aqueo vel pallide luteſcente, pro diverſa ætate; in fila ductilis, tenax.

PROPR. *Odor* debilius fragrans; *ſapor* amarus, faucibus inhærens, reſinoſus, ſubpingviuſculus, acriuſculus.

VIRTUS: ut in antecedentibus.

USUS: ut in antecedentibus.

OBS. Ex ipſo ligno ſauciato ſtillat hæc Terebinthina, quod, quantopere lignum ſit reſinoſum, affatim arguit.

473. PINUS ſylveſtris. LINN. *Sp. pl.* 1418. *Mat. m.* 434. DOD. *Pempt.* 848. BLACKW. *Herb. t.* 190.
Pinus ſilveſtris montana. DUHAM. *Arbr.* 2. *p.* 125. *t.* 31.

Pharm. *PINI* Liber, Turiones, Reſina communis, alba, Pix liquida, atra, Terebinthina communis, Colophonium.

Locus. Europa, America ſeptentrionalis, in ſylvis glareoſis, Japonia. *Arbor.*

FORMA. *Liber* membranaceus, albus, diaphanus, pulpoſus, ſuccoſus, atomis punctatus, in trunco arboris, tempore vernali, mediante circiter menſe Majo, deliteſcens ſub cortice, alburno adhærens, & ope fili ex orichalco, cortice prius detracto, ab arbore ſeparandus. *Turiones*, ſ. ramulorum rudimenta, terminales, plures aggregati, ferruginei, cylindrici, acuti, latitudine pollicis vel ultra, undique imbricati: ſquamis anguſtis, linearibus, acutis, albido-membranaceis, ſubdiaphanis, dorſo viridulis, adpreſſis, margine ciliato-laceris; undique (excepto apice) contaminati Reſina tenui, in frigore ſoli-

lidiuſcula, in calore molli, digitis ſe adglutinante; *parencymate* viridi, molliuſculo, ſicciuſculo.

PROPR. Libri: Odor debilis; *ſapor* dulceſcenti-reſinoſus, ſubamaricans; *maſticatus* ſuccoſus, extrahitur ſuccus, reſtat pars membranacea, exſpuenda. *Turionum* rec. *Odor* fragrans, reſinoſus, graviuſculus; *ſapor* non ingratus, debilius reſinoſus, amaricans; *maſticati* ſubpulpoſi, medullaris pars mollior, comminuitur, ſubſolvitur; corticalis pars tenax, vix comminuitur. Apud nos menſe Februarii vel Martii colliguntur.

VIRTUS: Libri: diuretica, ſublaxans, antiſcorbutica, anthelminthica. *Turionum:* antiſcorbutica.

USUS. Lumbrici, Scorbutus.

OBS 1. *Infuſum* aquoſum *Turionum* limpidum, ſubcitrinum, odore fragrante, ſatis grato, ſapore turionum; vitriolo martis dilutius fuſceſcit. Turiones Pini, ut antiſcorbutici, frequentiſſime apud nos in uſum vocantur, tempore vernali dum recentes obtineri posſunt, ſub forma decocti, aliis antiſcorbuticis maritati. Revera boni ſunt, dum recentes habentur; ſiccati vero minus idonei.

OBS. 2. Si truncus arboris, tempore æſtivali, usque in ipſam ligneam ſubſtantiam ſauciatur, ſponte diſtillat ſuccus reſinoſus, qui, ubi ſuppoſitis idoneis vaſis excipitur atque ſervatur, ſponte ſpiſſeſcit in faciem butyraceam, & *Terebinthina communis* vocatur. Sub hieme proxima ſuccus reſinoſus ſupra vulnus trunci rigeſcit, cruſtamque albam, ceræ haud abſimilem, format, quæ inſtrumento idoneo ſeparatur, & *Reſina Pini nativa* vocari poteſt. Dum hæc reſina funditur & a ſordibus liberatur, *Reſinæ communis* nomine venit. Si reſina Pini liquida & nativa commiſcentur, & in ahenis cupreis absque aqua modice coquuntur, debitis ebullitionibus, ac poſtea colantur, quod per ſtra-

turam

turam e ſtramine ſecalino vel triticeo communiter fit; atque deinde ſiccatur, *Colophonium* vulgare emergit, quod minus purum eſt. Sed ſi ſub dicta decoctione aqua frigida ſucceſſive addatur, usquedum reſina colorem mutaverit faciemque ceræ flavæ aſſumſerit, & tandem bene coletur, obtinebitur *Reſina alba.*

OBS. 3. *Terebinthina communis* maſſa eſt reſinoſa, opaca, butyracea, mollis, pallida, cineraſcenti-ſubcitrina, quaſi ungventum liquidius; *odore* validiore ligni Pini reſina abundantis, ſ. tædæ; *ſapore* pingviuſculo, reſinoſo, ſubamaricante, odori congruente.

OBS. 4. *Reſina communis* ſolida, rubicunda, nitidiuſcula, facie Quartzi, fragilis: fracturis planis; digitis ſe adglutinans, odore tædæ Pini.

OBS. 5. *Reſina alba* ſolida, in fruſtis majoribus, citrino-rubeſcens, ſubopaca, nitida, facie vitri, fragilis: fracturis planis, nitidis; minus friabilis, manibus calidis adhærens; *odore* Terebinthinæ, ſed debiliore; *ſapore* nullo.

OBS. 6. *Colophonium* eſt Reſina ſolida in fruſtis majoribus, fuſco-rubeſcens, ſubdiaphana, nitida, facie vitri obſcuri, fragilis: fracturis planis, nitidis; ſubfriabilis: granulis quaſi deauratis, micantibus; pulverata abit in pulverem luteſcentem. *Odor* Pini, ſed debilior; ſapor nullus.

OBS. 7. *Pix liquida* eſt reſina liquida, ſpiſſiuſcula, conſiſtentia ſyrupi vel mellis recentis, nigro-rubicunda, tenaciuſcula, ſubdiaphana, in filum ſubductilis, inquinans, ſuperficie lucidiuſcula; deſtillatione per deſcenſum elicita ex tæda Pini, conſtans reſina Pini, in ſucco arboris Pini ſoluta, fuligineque tincta. *Odor* balſamico-fumoſus; *ſapor* tædæ, pingviuſculus. In oleo olivarum ſubſidit, ſed aquæ frigidæ inſtillata, mox natat; guttulæ vero conquaſſatæ ſubſidunt. In ignis calore fluidior evadit ſatisque tenuis, ebullit; admota

flamma ſubito accenditur, odore tædæ, flagrat: flamma vividiſſima, fumante, fuliginoſa, alta, bullulis pluribus ignitis lucidiſſimis e fundo vaſis in flammam per vices aſſurgentibus, pulchro ſpectaculo; remanente carbone ſicco, tenuiuſculo, vaſi adpreſſo, rugoſo, atro, lucidiuſculo, vix inquinante. In ſolis calore ſenſim exſiccatur pix liquida in cruſtam nigram, ſubſplendentem. Pix liquida, guttatim ad guttas nonnullas aquæ frigidæ inſtillata, partim natat, partim fundum petit; guttæ, quæ innatant, explanantur, margine undique decolorantur, albidæ & pingves apparent. In oleo expreſſo ſolvitur hæcce pix: ſolutione fuſco-rubicunda. Pix liquida per deſcenſum a ruſticis in Oſtrobotnia pluribusque Sveciæ provinciis deſtillatur. Faciunt in terra foſſam, in formam coni inverſi, quam, poſt collocatam in imo fundo tonnam, arcte implent tæda & vulgari ligno Pini ſemiſiccato, ſitu perpendiculari, continuata progreſſione ſerieque, ſtrue demum ad apicem obtuſo-convexiuſcula, & terra cæſpitibusque circumcirca probe tecta. Hanc ſtruem ad baſin accendunt, ſuperponentes deinde cæſpitem, ut igne ſuppreſſo comburatur, cavendo ne flamma uſpiam fortius erumpat. Sic diſtillat pix liquida in ſuppoſitam tonnam. Principio ſtillat aqua, quam inſequitur pix primaria, craſſa, granulata, albicans; hanc poſtea excipit pix liquida vulgaris, atque totus hic proceſſus integram fere ſeptimanam requirit, antequam abſolvatur. Ex ligni orgyia I picis liquidæ tonnas binas, per medium, accipiunt. Probatur bona pix liquida, mixtione cum ſaliva vel aqua pura; ſi colorem prodit rufo-roſaceum, bona eſt; ſi vero lacteſcit vel exalbida evadit, deterior cenſetur. Modum, quo pix in Oſtrobotnia deſtillari ſolet, bene expoſuit cl. E. Juvelius (*). At methodum

(*) *Diſſ. de Arte picem deſtillandi in Oſtrobotnia*, Præſ. ill. C. F. Mennander, Aboæ 1747.

dum præſtantiorem, in exſtructo nimirum idoneo furno, picem deſtillandi tradidit L. Bar. A. Funck (*). Ill. Duhamel (**) modum, in Europa auſtrali uſitatum, picem liquidam pariter in furnis parandi communicavit. De cetero etiam J. C. Axtius (***) de pice conficienda ſcripſit. *Aqua picis* eſt infuſum aquoſum frigidum picis liquidæ, de qua bene diſſeruit G. Berkeley (†). Ejus methodus aquam picis præparandi hæc eſt: ſumatur aquæ frig. cong. 1., qui ſextario picis liquidæ affundatur, agitando ope ſpathulæ ligneæ per 3 vel 4 minuta temporis; poſt quieti tradatur vas per 48 horas, ut omnis pix ſubſidat; quo facto, effundatur aqua limpida, & ſervetur uſui. Laudat hanc aquam, ut præſtabile ſaponaceum, antiputredinoſum, utile in variolis, aſthmate, ſcorbuto, pluribusque morbis. Hæc aqua picis, methodo Berkeleyana parata, limpida eſt, colore citrino, odore picis liquidæ, ſapore acido, ſubacriuſculo, piceo. Mihi ſub præparatione ſuperficies aquæ tota tenui tegmine oleoſo induta erat, quod, ubi aqua agitabatur, ex rubro & cæruleo variegatum evadebat; ipſa pix liquida, ab aqua exemta, nigra amplius non erat, ſed rubicunda. Cum oleo Tartari p. d. vix efferveſcebat hæc aqua picis, ſed color intenſior fiebat. Acetum Lithargyrii affuſum præcipitationem ſubito fecit: coagulo albo, caſeoſo; unde patet, acidum picis majorem habere affinitatem cum plumbo, quam habet acetum vini, & cum plumbo ſal formare imperfectum, in aqua non ſolubile. Hanc aquam picis in

 præ-

(*) *Beſkrifning om Tjäru-och Kol-ugnars inrättande.* Stockholm 1748.

(**) *Traité des arbres, tom. 2. p. 154 t. 1.* c. figura furni.

(***) *De Arboribus coniferis & Pice conficienda &c.* Jenæ 1679.

(†) *Siris: a chain of philoſophical reflexions and inquiries, concerning the virtues of Tar-water &c.* London 1744.

præparatione ad variolas frequenter adhibemus, propinata libra ß vel 1, omni mane.

OBS. 8. *Pix atra* ſit, cum pix liquida in aheno obverſe conico, calore moderato, per nycthemeron coquitur, ad conſumtionem tertiæ partis, ſubſequente refrigeratione. Signum coctionis ſufficientis eſt, quod pix refrigeratione ſolideſcit, & maſticata dentibus non adhæret. Hæc atra pix eſt reſina ſolida in maſſa grandi, atra, lucida, homogenea, facie vitri nigri, in frigore fragilis: fracturis planiuſculis, nitidis; in calore leni molliuſcula, flexilis, digitis tenaciter adhærens, extenſibilis, in filum ductilis. *Odor* in tædam incidens; *ſapor* debiliſſimus, vix ullus.

474. PINUS Abies. LINN. *Sp. pl. 1421. Mat. m. 436.* OED. *Icon. t. 193.* GUNN. *Flor. norv. 24.*

Abies tenuiore folio, fructu deorſum inflexo. DUHAM. *Arbr. 1. p. 3. t. 2.*

Abies. DALECH. *Hiſt. 54.* DOD. *Pempt. 854.*

Pharm. ABIETIS Summitates, Reſina, Pix burgundica.

Locus. Europa, America ſeptentrionalis, in ſylvis aceroſis. *Arbor.*

FORMA. Summitates ſ. *Folia* teneriora aceroſa, ſparſa, diſticho-ſecunda, patentia, ſubſeſſilia, ungvicularia, ſubulata, obtuſiuſcula, latere utrinque compreſſa, ſubcarinata, lineis 2 longitudinalibus, punctulatis.

PROPR. Summit. Odor balſamicus. *Sapor* aceſcens, balſamicus.

VIRTUS: antiſcorbutica.

USUS. Scorbutus.

OBS. 1. E trunco arboris inciſo tranſudat ſuccus reſinoſus, limpidiſſimus, tenax; qui brevi ſe in lacrymas efformat, ſupra vulnus fixas, & ſiccatus colligitur ſub nomine *Reſinæ abietis*; quæ, ſi decoctione in aqua,

igne

igne moderato, funditur, & deinde per ſacculos ex linteo denſiore cum expreſſione colatur, ut a ſordibus bene purgetur, *Pix burgundica* vocatur. Si vero reſina hæc ad conſumtionem aquæ, h. e. ad ſiccitatem, coquitur, addito, ſub fine coctionis, aceto vini, obtinetur maſſa ſicca, quæ *Colophonium* appellatur.

OBS. 2. *Reſina* abietis *nativa*, qualis e trunco arboris hieme abraditur, albida eſt, mollis, pingviuſcula, ſubdiaphana; æſtate ſiccatur & durior fit. *Odor* fragrans, ligni abietis; *ſapor* amaricans, balſamicus, ſatis gratus. Digitis contrectata pingvedine illos inficit. In vaſe ferreo ſupra ignem funditur, & admota flamma accenditur, flagratque exacte ut pix liquida, carbones vix relinquens.

OBS. 3. *Pix burgundica* reſina eſt ſolida, in fruſtis majoribus, ſcilicet maſſa ſolida, ſicca, opaca, ſuperficie exteriore brunnea, nitidiuſcula, fragilis: fracturis planiuſculis, coloris luteſcenti-brunnei, cineraſcentis. Inter digitos tractata emolleſcit, & plaſtica fit. Odor reſinæ abietis, ſatis fragrans. In ignis flamma liqueſcit cum ſtrepitu & ſubdeſtillat; liqueſcit etiam in vaſe ferreo ſuper ignem, accenſa flagrat: flamma vivida, fumante, fuliginoſa, remanente carbone tenuiore, atro, parum inquinante.

OBS. 4. Oleum Terebinthinæ ex reſina abietis obtineri non poteſt, uti ex ſpeciebus aliis hujus generis. Obtinetur quidem oleum ſtillatitium, ſi reſina abietis cum aqua deſtillatur, ſed oleo Terebinthinæ longe inferius, & easdem non habens dotes. Falſo tamen ſæpe pro oleo Terebinthinæ divenditur.

475. CUPRESSUS ſempervirens. LINN. *Sp. pl.* *1422. Mat. m. 433.*

Cupreſſus ramos extra ſe ſpargens, quæ mas Plinii. DUHAM. *Arbr. 1. p. 198. t. 81.*

Cupreſſus mas. BLACKW. *Herb. t.* 127. DALECH. *Hiſt.* 58. CAMER. *Epit.* 52. DOD. *Pempt.* 844.

Pharm. *CUPRESSI* Lignum.

Locus. Creta. *Arbor excelſa.*

FORMA. *Lignum* ſubponderoſum, cinereum, fibris longitudinalibus.

PROPR. *Odor* debilis, vix ullus. *Sapor* amaricans.

VIRTUS:

USUS.

OBS. Cupreſſi in enormem altitudinem & molem excreſcere poſſunt. Memorat ill. fœmina MARIA WORTLEY MONTAGUE (*) cupreſſum quandam excelſam & patulam, prope Conſtantinopolim creſcentem, qua ludimagiſter quidam pro domicilio ordinario utebatur, conſtituto ſibi, in ipſo fere cacumine, uno lecto pro ſe, & paullo infra altero pro uxore biniſque liberis.

476. CROTON Bentzoë. LINN. *Mant.* 2. *p.* 297. *Mat. m.* 195.

Arbor Benzoinæ. GRIMM. in *Eph. N. C. dec.* 4. *ann.* 1. AR. SYLV. *deſcr. arb. Benzoës* in VALENT. *Ind. litter. p.* 487.

Pharm. *BENZOES* Gummi.

Locus. India orientalis. *Arbor.*

FORMA. *Gummi Reſina* in maſſa grandiori, virideſcens, rubicunda, marmorea: maculis glanduliſque albicantibus, undique nitidiuſcula, fragilis, friabilis.

PROPR. *Odor* fragrans, non ingratus, balſamicus; *maſticata* inter dentes friabilis, comminuitur in ore, non ſolubilis, *ſapore* ſubdulceſcente, reſinoſo, balſamico. Manibus tractata digitis non adhæret. In vaſe ferreo ſuper ignem fundi-

(*) *Lettres, écrites pendant ſes voyages &c. tom.* 2. *p.* 39.

ditur, ſpumeſcit, fumat: fumo balſamico, non ingrato. Ignis flammæ admota accenditur, flagrat: flamma vivida, fumante, fuliginoſa, relictis carbonibus nigris, ſplendentibus, fragilibus, inquinantibus. Non ſolvitur perfecte in aqua pura, ſed odorem balſamicum & ſaporem dulcem, balſamicum aquæ frigidæ communicat; quæ tinctura aquoſa, leniſſimo calore evaporata, *ſal eſſentiale* dat. Si in aqua calida digeritur, ſapore magis ſtimulante imbuitur tinctura, & refrigerata ſal eſſentiale mox deponit. Non in oleis expreſſis, neque ſtillatitiis, ſolvitur; nec hæc olea ullo modo tingit, quamvis digeſtioni ſubjiciatur. Solvitur vero in ſpiritu vini: tinctura luteo-rubicunda, quæ, aquæ frigidæ inſtillata, ſubito lacteſcit, & *Lac virginis* audit. Si cum aqua deſtillatur Benzoë, igne validiore, *aquam* dat *ſtillatitiam*, limpidam, odore debiliore Benzoës, ſapore dulceſcente, ſale eſſentiali fœcundam, quod obtinetur, ſi hæc aqua in ſole evaporatur. Per ſe vero & ſine aqua deſtillata Benzoë funditur primum, & flores ſalinos in collum retortæ emittit, quos inſequitur *oleum* tenuius, luteſcens, levius empyreumaticum, quodque, rectificatum, Benzoës fragrantiam retinet; tandem adſcendit oleum butyraceum, ſale eſſentiali Benzoës abundans. *Oleum, per deſcenſum* paratum, nigrum eſt, ſpiſſiuſculum, odore ambroſiaco, ſapore pingvi, empyreumatico, calidiſſimo, acri, diu inhærente, odori congruente. Benzoë cum aqua deſtillata nullum oleum eſſentiale dat.

VIRTUS: vulneraria, balſamica, coſmetica.

USUS: externus.

OBS. I. *Reſina* Benzoës extrahitur cum ſpiritu vini. Ex Benzoës unc. 2 & ſpirit. vini rectific. unc. 16, per

3 dies digeſtis, lege artis accepi reſinæ Benzoës puræ drachm. 14. Hæc reſina fuſco-nigricans erat, recens flexilis, ſiccata ſolidiuſcula, fragilis; odore fragrante, balſamico; ſapore debili, grato, ſubdulceſcente, balſamico.

OBS. 2. *Sale eſſentiali*, quod vulgo *Flores* dicunt, abundat Benzoë, nam quævis uncia Benzoës continet circiter drachm. 1 ſalis, quadruplici via ſeparandi, ſc. ſublimatione, deſtillatione, elixiviatione, vel coctione cum aqua calcis. Si Benzoë, groſſius pulverata, ollæ fictili immittitur, eique poſt imponitur alia olla fictilis, quæ ad juncturas priori bene adglutinatur, admoto demum igne, *ſublimatur* hoc ſal, & ſuperiori ollæ adhæret. Ignis ſub initio tam validus eſſe poteſt, ut Benzoë fundi occipiat; poſtea vero moderari debet ignis, ne Benzoë nimis decomponetur, unde flores oleo nimis contaminantur; qua de cauſſa expedit loco frigido iſthanc operationem abſolvere, ut in pavimento laboratorii, vel in aëre libero tempore autumnali. Quidam ſolent cucullum papyraceum loco ollæ ſuperioris adhibere, ſed imbibit cucullus iſte oleum aſſurgens, unde fit, ut flores ſe non amplius ei affigant, eamque ob cauſſam novos ſubinde cucullos ſubſtituere oporteat. Si cucullus papyraceus, oleo aſſurgente imbutus, in aqua calida maceratur, ſal Benzoës ex eo extrahitur. Inter ſublimandum per cucullum, flores Benzoës ſæpius fœdantur oleo luteo, quod ſimul adſcendere ſolet, præcipue ſi unus idemque cucullus papyraceus diutius retineatur, & vero huic malo non alia medela, quam repetita ſublimatione maſſam depurare, adjecta terra abſorbente. Ex Benzoës libr. 1 ſublimando obtinetur florum unc. 1, vel etiam plus, ſi enixo ſtudio operatio inſtituatur. Hi flores *odore* ſunt fragranti, in flores Philadelphi incidente, at longe fortiori; *ſapore* vero acidulo, fere ſalis ſuccini, acri, fauces lingvamque intenſius pungente. Si præparatio rite proceſſit, *for-*

forma cryſtallina ſunt, albiſſimi, leves, nitidiuſculi, fragiles: cryſtallis ſubulatis, linearibus vel capillaribus. Si horum florum grana 6 in aquæ bullient. unc. 1 ß immittuntur, ſolvuntur penitus: ſolutione acidiuſcula, in lingva mordente; ſed ut refrixit aqua, brevi iterum cryſtalliſantur, ſæpe cryſtallis vegetantibus, Confervam ramoſam referentibus; ſæpe etiam cryſtallis magnis, pennatis, Hypnum criſtam caſtrenſem mentientibus; inſimul in ſuperficie aquæ ſenſim proveniunt aliæ cryſtalli, lineari-ſubulatæ, ſubſtellatæ. Aqua, cryſtallis per filtrationem liberata, limpidiſſima quidem mihi fuit, ſed odore & ſapore ſalis ſuccini, quod indicio fuit, plus ſalis adhuc illi ineſſe. Itaque vaporare feci hanc aquam in ſolis calore, quo facto remanſere ſalis Benzoës grana 2. Exinde ſequi puto, aquæ frigidæ unc. 1 ß ſalis hujus grana 2 recte ſolvere, & ſoluta tenere poſſe. *Deſtillatione* per retortam, in quam Benzoë absque additione immittitur, ſublimatur ſal Benzoës deſtillatum, rubicundum, cryſtallis filiformibus ſ. capillaribus, ſubſplendentibus, odore & ſapore ſalis ſuccini. Hoc ſal perquam ſapit oleum Benzoës. Sed ſi hoc ſal nova deſtillatione per retortam depuretur, obtinebitur ſal Benzoës ſolidum, in fruſtis majoribus, compactum, facie ſalis ammoniaci, album, ſatis ponderoſum, fragile: fracturis notatis ſtriis parallelis, nitentibus, odore & ſapore ſalis Benzoës ſublimati. *Elixiviatione* obtinui ſal Benzoës, ſequenti modo: ſumſi Benzoës unc. ß, quam bene trituravi c. aqua ſtill. frigid. unc. 4, filtravi, filtratam vero cum aquæ unc. 1 ß denuo lavi, colaturasque commiſcui, & per evaporationem in ſole accepi grana 8 ſalis Benzoës, ſubplaſtici, coloris brunnei, cryſtallis ſubulatis. Sic inquinatum erat hoc ſal gummoſa parte Benzoës, & præterea in parca quantitate hac via elicitum, quod aqua Benzoën non potuit penetrare. Methodum ſal Benzoës parandi *cum*

cal-

calce viva, docuit cl. C. W. Scheele (*). Sumit is calcis viv. unc. 4, quibus affundit aquæ puræ unc. 12; peracta efferveſcentia iterum affundit aquæ libr. 8. Mox Benzoës libræ 1 ſenſim affundit hanc aquam calcis, ſub ſtrenua agitatione, atque poſtmodo mixturam hanc ebullire facit per ſemihoram, pariter ſub aſſidua agitatione. Ab igne remoto vaſe, quietique reddito ad ſubſidendum, liquidum ſupernatans decantat. Reſiduo rurſus affundit aquæ libr. 8, & poſtquam denuo per ſemihoram ebullire fecit, vas ab igne removet ad ſubſidendum, atque poſt decantat, ambasque decantationes miſcet. Et vero pluries iterat hanc novam aquæ affuſionem; ac ne quid ſalis in reſiduo remaneat, repetitis affuſionibus aquæ calidæ bene illud lavat, aqua lavacri priori addita; tum hoc lixivium usque ad libr. 2 inſpiſſat, & cum Acido ſalis poſtea præcipitat. Hac encheireſi terra calcarea, cum acido Benzoës ſaturata, ex affuſo acido fortiori de novo ſaturatur, & deponit acidum Benzoës liberum, ſub forma pulveris tenuiſſimi, qui, bene edulcoratus, inque aqua ſolutus & cryſtalliſatus, abit in ſal puriſſimum, albido-ſubcineraſcens, undique ſplendens, leve, odore debili ſalis ſuccini, ſapore primum dulci, dein acri, lingvam, labia fauceſque ſtimulando rodente, haud aliter ac ſal ſublimatum, poſtea calefaciente & leviter acidulo. Hac via obtinentur a Benzoës libr. 1 ſalis Benzoës drachmæ 12 vel 14. Cl. Don. Monro (**) diverſa ſalia alcalina cum floribus benzoës ſaturavit; illi cum alcali minerali ferbuerunt & dederunt ſal medium: cryſtallis irregularibus, fatiſcentibus, ſapore acri; ex ſaturatione cum ſale vol. ſalis ammoniaci emerſit ſal ammoniacale: cryſtallis tetragonis; ſub ſaturatione frigus artificiale generatum fuit, adeo ut mercurius grad. 6 deſcenderit. Omne ſal Benzoës ſolvitur in aqua vel ſpiritu vini digeſtione. *OBS.* 3.

(*) *K. Vetenſk. Acad. handl. 1775. p. 128. ſeq.*
(**) *Philoſ. tranſact. vol. 57. p. 508. 509.*

OBS. 3. Truncus arboris, ſuperne ad ramos inciſus, ſuccum ſtillat lacteſcentem, tenuem, glutinoſum & pellucidum, qui in aëre ſenſim inſpiſſatur & concreſcit in Gummi-reſinam. Ex qualibet arbore ſexenni obtinentur circiter libræ 3 Benzoës. Arbores juniores plus reſinæ dant, quam ſeniores; hinc cæduntur plerumque arbores, collecta reſina, & plantantur tenellæ earum loco. GRIMMIUS; SYLVIUS.

OBS. 4. Benzoës virtus medica nondum rite cognita eſt. Probabile eſt, reſinam adeo ſalinam peculiares habere virtutes, modo recte explorata eſſet. *Lac virginis*, ut coſmeticum, ſubinde adhiberi ſolet.

OBS. 5. Auctoritate ill. v. LINNÉ nixus, arborem Benzoiferam ad Crotonis genus refero. Dubium tamen movet AR. SYLVII deſcriptio fructus, qui tricoccus non eſt, verum drupa ſicca, intra quam continetur Nux cinerea, nucleo albido-virideſcente, ſaporis amari & ingrati.

477. CROTON Caſcarilla. LINN. *Sp. pl. 1424. Mat. m. 470.*

Ricinoides Elæagni folio. CATESB. *Carol. 2. p. 46. t. 46.*

Ricino affinis odorifera fruticoſa major, Roſmarini folio, fructu tricocco albido. SLOAN. *Hiſt. 1. p. 133. t. 86. f. 1.*

Pharm. CASCARILLÆ Cortex.

Locus. America: inſulæ Bahamenſes, Virginia. *Arbor.*

FORMA. ſicc. Cortex durus, cineraſcenti-brunneus, lineæ vix craſſitudine, ſubrugoſus, lineis transverſalibus ſparſis, ſæpe lichenibus conſpurcatus, ſectus in ſegmenta bipollicaria, ſemiconvoluta; fragilis: fractura plana, fuſca.

PROPR. Odor aromaticus, non ingratus; *ſapor* aromaticus, amaricans; *maſticatus* ſatis facile com-

comminuitur, ſub maſticatione ſenſim amarior: amaritie inhærente. Ignis flammæ admotus accenditur, flagrat flamma vivida, mox tamen ab igne remoto exſtincta, fumat: fumo grato, in ambram incidente, temulentante.

VIRTUS: tonica, ſtomachica.

USUS. Diarrhœa, Laxitas inteſtinorum poſt dyſenteriam.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum rubicundum, odore fragrante, ſapore amaricante, odori congruente; vitriolo martis fuſceſcit. Hujus infuſi guttæ 50 colorem fuſco-ferrugineum ſtiterunt. *Eſſentia* ſpirituoſa peramara. *Extractum* ſpirituoſum magis amarum quam aquoſum. Cort. Caſcarillæ unciæ 2 dant Extr. ſpirituoſi drachm. 2 & Extr. aquoſi drachm. 1 ß; ſed ſi cortex primum in aqua coquitur, obtinentur Extr. aquoſi drachmæ 2, & reſiduum in ſpiritu vini digeſtum dat Extr. ſpirit. drachm. 1 (*). Cl. SPIELMANN ex Caſcarilla *olei* odorati unam trigeſimam partem obtinuit.

OBS. 2. Circa finem ſeculi præteriti hic cortex Europæ innotuit, & prima fere ejus laus fuit, quod, tabaco immixtus, fumum magis ſvaveolentem redderet. J. A. STISSERUS, J. L. APINUS, G. E. STAHLIUS, J. JUNCKERUS, pluresque alii vim ejus antifebrilem imprimis extulerunt. Aſt fatendum, illum in ipſis febribus parum facere, neque tertianis vernalibus certo mederi. Sed in hæmoptyſi ſæpe prodeſt. Ceterum ſtomachale remedium eximium eſt, diarrhœas ſiſtens & laxitati ventris poſt exantlatas dyſenterias egregie ſubveniens.

478. CROTON tinctorium. LINN. *Sp. pl.* 1425. *Mat. m.* 441.

Ri-

(*) Cfr. BROWN. *Philoſ. tranſact. vol.* 32. *p.* 81.

Ricinoides, ex qua paratur Tourneſol Gallorum. *Hiſt. de l' Acad. des ſc. 1712. p. 337. t. 17.*

Heliotropium parvum Dioſcoridis. Lob. *Hiſt.* 153.

Heliotropium minus. Gesner. *Icon. p. 120. t. 4. f. 30.*

Pharm. LACMUS Succus.

Locus. Europa auſtralis. *Annuum.*

FORMA. Maſſa ſicca, terrea, ſaturate violacea, in fruſtulis pollicaribus, tetragonis; ponderoſa, duriuſcula, fragilis: fracturis planiuſculis, minutim granulatis.

PROPR. Odor debiliſſimus; *ſapor* vix ullus. *Maſticatus* arenuloſus, comminuitur: ſaliva violacea, poſtea acris ſentitur in faucibus: acrimonia diutius inhærente, urente. Solvitur in aqua frigida & calida, ſolutione cærulea, ab acidis rubeſcente, ab alcalinis vero non demutata.

VIRTUS: draſtica, venenata.

USUS: tinctorius.

OBS. 1. Herba Crot. tinct. ſub floreſcentia in Gallia colligitur, contunditur, ſuccusque exprimitur, qui intenſe viridis eſt. Cum hoc ſucco repetitis vicibus bene imbuuntur centunculi lintei vel lanei, poſtque in ſole ſiccantur; quo facto, exponuntur vapori urinæ putridæ, vel acervi fimi, dum violacei evaſerint. Hos centunculos poſtinde emunt Hollandi, qui norunt colorem ex illis extrahere, unde maſſas iſtas violaceas componunt, quas Gallis totique Europæ vendunt ſub nomine *cærulei hollandici*; De Beauvais Raseau (*).

OBS. 2. Acrimonia tanta in ſucco Lacmus ineſt, ut, etſi ſumma cum prudentia illum maſticavi atque ſta-tim

(*) *L' Art de l' Indigotier, p. 72.*

tim exſpui, ex eo quod neglexi fauces derepente eluere, brevi ſenſerim ardorem urentem in faucibus, qui ſenſim circa ſcrobiculum cordis deſcendit, cum quadam vertiginis ſpecie, niſuque ad alvum deponendam. Tandem etiam inteſtina occupavit hic ardor, cum moleſtia quadam, nauſea, & alvi purgatione.

OBS. 3. Uſus hujus medicus nullus nobis adhuc conſtitit.

479. CROTON Tiglium. LINN. *Sp. pl.* 1426. *Mat. m.* 440.
Granum moluccum. RUMPH. *Amboin* 4. p. 98. t. 42.
Cadel-Avanacu. RHEED. *Malab.* 2. p. 61 t. 75.
Ricinoides indica, folio lucido, fructu glabro. BURM. *Zeyl.* 200. t. 90.
Pharm. *TILLI* grana.
Locus. Zeylona. *Arbor.*

FORMA. *Nux*; magnitudine vix nucis avellanæ minoris, ovalis, hinc convexa, inde ſubplaniuſcula, notata angulis 4 obſoletis, cinereo-fuſca, læviuſcula, ſubmaculato-nebuloſa, utrinque obtuſa; *Nucleo* albido, pingviuſculo, centro cavo, ſepto bifido; obvelato membrana tenuiſſima, intra teſtam teneram, fragilem.

PROPR. *Odor* vix ullus; *ſapor* acris, urens, nauſeoſus; *maſticati* nuclei comminuuntur, acres, urunt in faucibus: acrimonia inhærente, ſæpe inflammante.

VIRTUS: draſtica, acerrima, venenata.

USUS.

OBS. Grana Tilli rariſſime apud nos interne propinantur, quod nimis acria ſunt. Horum nucleorum gran. 1, deglutitum, ſatis valide purgat; doſis major purgat plerumque ſurſum & deorſum. Tota arbor, mo-

monente RUMPHIO, acerrima eſt. Moluccenſes hos nucleos magni faciunt, dum purgare volunt; ſumunt nucem 1 pro doſi, robuſtiores vero 2. Nuces 4, collectim deglutitæ, enecant. Ceterum hiſce nucibus recentibus piſces facile captantur. Nuclei *oleum expreſſum* dant, pariter acerrimum, cujus gutta una vel altera, deglutita, purgat, quare etiam plerumque externe uſurpatur, & umbilico illinitur, ſcopo purgandi. *Lignum* arboris, *Pavanæ* dictum, apud nos officinale non eſt. Commendatur in hydrope, utpote facultate purgandi & urinam pellendi inſtructum.

480. CROTON lacciferum. LINN. *Sp. pl. 1426.*
Ricinoides aromatica arbor, circææ foliis hirſutis, floribus ſpicatis, major. BURM. *Zeyl. p. 201. t. 91.*
Yellenda-maraum. *Philoſ. transact. v. 22. p. 157.* *
Pharm. *LACCÆ* Gummi.
Locus. India orientalis, Bengala, Pegu. *Arbor.*

FORMA. *Reſina* rubicunda, dura, fragiliuſcula, ſubdiaphana, læviuſcula, ramulis undique incruſtata: cruſtis craſſis, ſubcylindricis, rugoſis, noduloſis, ſæpe lacrymis adnatis, diaphanis, rubris, nitidiuſculis, ſcabridis; pollicaribus vel ultra, ramulo longitudinaliter perforatis; *parencymate* celluloſo; cellulis ſimplicibus, transverſalibus, approximatis, refertis exuviis inſectorum, ut puppis excluſis, tela ſ. lana a larvis neta, & ſæpe ſtercore. Hinc G. Lacca in baculis eſt galla reſinoſa, ſive nidus inſecti cujusdam.

PROPR. *Odor* nullus; *ſapor* nullus. *Maſticata* reſina inter dentes dura, friabilis, minime emollitur. Ignis flammæ admota emollitur, fun-

 di-

ditur, ſubdeſtillat, flagrat: flamma vivida, non fumante, niſi extincta, non fuliginoſa; odore debili, ſatis grato. Ab igne remota brevi indureſcit, fragilior tamen fit. Non ſolvitur in aqua; neque ſub digeſtione; ſed ex affuſa aqua calida ſubito extrahitur e Lacca in baculis color, & fit *infuſum* colore ſaturatiſſimo kermeſino, nebuloſum pulvere nigricante, ſubſidente. Hic pulvis, in aqua coctus, nihil coloris amplius largitur. Trinas ſucceſſivas affuſiones admittit Lacca in baculis contuſa, & ſingulis vicibus coloratur aqua, dilutiore quidem colore ex binis poſterioribus. Sed coloris rubicundi pars aliqua adhuc remanet in reſina, quod demonſtratur ex Lacca tabulata, quæ ſemper rubicunda eſt, & ex Lacca granulata, quæ, cum aqua digeſta, aquæ colorem rubellum communicat. Non *ſolvitur* G. Lacca in oleis expreſſis, digeſtione, nec color a Lacca in baculis ab oleo expreſſo extrahitur; ſed oleum undique repletum deprehenditur nubecula, inſtar mucilaginis immixtæ, quæ agitatione laguncula penitus diſparet; neque magis ſolvitur in oleo ſtillatitio, ſed tingitur colore luteo. Aſt in ſpiritu vini ſolvitur digeſtione: tinctura rubicunda.

VIRTUS:

USUS. Scelotyrbe.

OBS. 1. Gummi Lacca, quæ, ſupra ramulos incruſtata, e ſolo natali ad nos apportatur, G. Lacca *in baculis* vocatur; ſed ſi e ramulis ſeparetur & groſſius contundatur, inque aqua calida digeratur, ut pars colorans, ab inſectis ſuperſtes, extrahatur, poſteaque ſiccetur, G. Lacca *in granis* appellatur. Si vero ab aqua ante non eximatur, quam ebullitionem ſubiit, unde liqueſcit & ſuperficiei aquæ innatat, tumque excipiatur

tur, atque inter plana marmorea in tabulas tenuiores comprimatur, G. Lacca *in tabulis* audit. Uſibus manuariis variis idonea eſt hæc reſina. Pars colorans, ab acidis, præcipue ſolutione ſtanni, exaltata, colorem coccineum conciliat lanæ, parem propemodo illi quem efficit coccus cacti, paullo tamen minus vividum, at magis perſiſtentem. Reſina remanens ad ceram ſigillatoriam præparandam idonea eſt, & præterea arti lacca incruſtandi vernicibusque inſervit.

OBS. 2. E Pegu & Martaban copioſe in Sumatram exportatur G. Lacca, & quidem cum Pipere ibi commutatur.

481. RICINUS communis. LINN. *Sp. pl.* 1430. *Mat. med.* 438. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 4. MUNT. *Aardgew. t.* 351. DOD. *Pempt.* 363.
Palma Chriſti or Ricinus americanus commonly called the Caſtor plant. CANV. *monogr. t.* 1.
Nhambu guacu. PIS. *Braſil.* 91.
Ricinus americanus fructu racemoſo hiſpido. SLOAN. *Catal.* 38. *Hiſt.* 1. *p.* 126.
Cataputia major. BLACKW. *Herb. t.* 148.
Palma Chriſti. DU TERTRE *Antill. vol.* 2. *p.* 103. LABAT *Americ. vol.* 7. *p.* 78.
Ricinus americanus major, caule vireſcente. MERIAN. *Surin. p.* 30. *t.* 30.
The Negro Oil-buſh, Palma Chriſti. HUGH. *Barbad. p.* 116.
Ricinus foliis peltatis inæqualiter ſerratis, capſulis hiſpidis. MILL. *Fig. t.* 219.
Cataputia major. LUDW *Ectyp. p.* 4. *t.* 7.
Pharm. RICINI VULGARIS Semina.
PALMÆ Oleum liquidum.
Locus. India utraque. *Biennis.*

FORMA. *Nux* ovata, utrinque obtuſa, magnitudine ſeminis Phaſeoli ſaccharati, utrinque compreſſa, nitida, ex ſpadiceo & viridi variegato-marmorea, terminata hilo prominente, pallide luteſcente, acutiuſculo, latere utrinque excavato. *Nucleus* niveus, pingviuſculus, centro cavo, obductus membrana alba, intra *teſtam* tenuem, fragilem.

PROPR. Semin. Odor nullus; *ſapor* debilis, vix dulceſcens, acriuſculus; *maſticata* ſemina tenera, facile comminuuntur & quaſi ſolvuntur: ſaliva emulſiva; ſed acrimonia rodens poſtea in faucibus ſentitur & aliquantum inhæret. Si ranceſcunt ſemina, ſapor eorum in ſaporem ſeminum Cannabis incidit.

VIRTUS: alterans, purgans, diuretica, diaphoretica, anthelminthica.

USUS. Volvulus, Colica pictonum, Febres bilioſæ, Gonorrhœa, Colica nephritica.

OBS. 1. *Oleum* Palmæ liquidum, recenter expresſum, albidum eſt, ſpiſſiuſculum, mite, ranceſcens, in frigore non cogitur, niſi fortiori. Ætate magis ſpiſſiuſculum fit, conſiſtentia mellis recentis, rubicundum, diaphanum, odore nullo, ſapore Cannabino. Accenſum flagrat: flamma vivida, luminoſa, vix fumante, non fuliginoſa. Sem. Ricini unc. 14, expreſſione in prelo, leniter calefacto, dederunt olei expreſſi unc. 3.

OBS. 2. Oleum Palmæ liquidum, ut purgans tutum in doloribus ventris & affectionibus renum, impenſe laudatur a cl. Th. Fraser (*), qui ſvadet, ut detur cochl. 1, ſingulis horis, etiam infantibus, doſi videlicet convenienti. Cl. Petr. Canvane ſingulari libello

(*) *Medical obſervations and inquiries, vol. 2. p. 235.*

lo (*) utilitatem hujus olei latius extendit. Docet is, oleum Palmæ bene convenire bilioſis, illisque, qui febribus acutis & inflammatoriis vexantur, ſed nocere frigidis & phlegmaticis, ſpasmos inducendo. Hinc ſtatuit, illud optimo jure *Antimonium vegetabile* dici poſſe. Doſis ipſi eſt ab unc. ß ad 1 adultis, atque drachm. 1 vel 2 infantibus. Datur cum per ſe, tum in forma emulſionis. Sæpe alvum ducit, ventri illinitum. Ego oleum recenter expreſſum identidem exhibui. Agit illud tuto, & ſæpe cochlear unicum propinatum purgat. In volvulo, calculo felleo, ubi vomituritiones frequentes cum ſingultibus urgent, & ubi alia purgantia valida communiter fallunt ob vomitus inſequentes, inſigni cum emolumento oleum hocce dedi. Scilicet ſpaſmi relaxati fuerunt, alvus ſoluta, vomituritiones mitigatæ, ſingultus ſuſpenſi, & non ſolum levamen, ſed & cura plenaria inſecuta. Interdum olei cochlear unum haurire coactus fuit æger quovis bihorio, antequam effectum præſtitit hocce pharmacon. In gratiam eorum, quibus oleum non arriſit, illud cum mucilagine G. Arabici vel vitell. ovi in emulſionem redegi.

OBS. 3. Jamaicenſes communiter *oleum coctum* adhibent. Semina contuſa coquuntur in aqua, quoadusque omne oleum extractum eſt & aquæ innatat, quod demum colligunt. Coctione hac ita miteſcit oleum, ut unciæ 2-4 dari poſſint, ſine metu nimiæ purgationis. Patr. Browne. Ex ſem. Ricini libr. 10, contuſis & coctis, olei libra 1 obtinetur; Hughes.

OBS. 4. Semen unicum Ricini vulgaris, tempore veſpertino, a viro ſano & vegeto maſticatum & deglutitum, ſapore fuit amygdalarum, ſed ſenſationem mordentem in faucibus reliquit. Per totam noctem tran-

 quil-

(*) *Diſſertat. on the Oleum Palmæ Chriſti ſ. oleum Ricini, or, as it is commonly called, Caſtor-oil &c.* Lond. 1769.

quille dormivit hic vir; ſed ſequenti die mane expergefactus, emeſi violenta correptus fuit, atque per totam diem ſuſtinuit niſus alternantes vomituritionis & purgationis alvi, tametſi parum dejiciebat. Eadem vice nobilis matrona teneræ conſtitutionis, ſemen unicum pariter comedit, ſed prius teſtam membranamque obvelantem ſedulo ſeparavit abjecitque; & nullam noxam inde ſenſit. Itaque inconſultum ſemina hæc in ſubſtantia ſumere, maxime ſi non ſint decorticata; oleum vero longe mitius agit.

482. JATROPHA Curcas. LINN. *Sp. pl. 1429. Mat. m. 439.*
Mundubignacu. MARCGR. *Braſil. 97.*
Munduy-Gvacu. PIS. *Braſil. 83.*
Jatropha aſſurgens, ficus folio, flore herbaceo. BROWN. *Jam. 348.*
Phyſic-nut-tree, Ricinoides. HUGH. *Barbad. 115.*
Ricinoides Goſſypii folio. BARRERE *Æquin. 100.* *

Pharm. RICINI MAJORIS Semina.
Locus. America calidior. *Arbuſcula.*

FORMA. Nux ovata, magnitudine Fabæ minoris, longitudine 8 linearum, nigricans, hinc plana, inde convexiuſcula. *Nucleus* albus, amygdalinus, bipartibilis, *plumula* alba, foliacea; obvelatus membrana tenui, intra *teſtam* tenuem, fragilem, duriuſculam.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* gratus, amygdalinus, ſubdulceſcens, tum acriuſculus; *maſticata* tenera, comminuuntur, quaſi ſolvuntur: ſaliva emulſiva; poſtea mordent in faucibus.

VIRTUS: ut in præcedente.

USUS.

OBS. I.

OBS. 1. Semina *oleum* dant *expreſſum*, doſi cochlearis 1 purgans in hydrope. A MONARDE (*) vocatur *Oleum Cicinum*, & ab illo multum laudatur, ut purgans validum in omnibus hydropis ſpeciebus, iliaca paſſione, arthritide, pſora, ulceribusque manantibus. Purgandi vim exſerit, ſive deglutiatur, ſive in anum injiciatur, ſive denique ventri illiniatur.

OBS. 2. Plurimi ſtatuunt, ſemina hæc, perinde ac ſemina Ricini, nonniſi cum tunicis & plumula ſeminis purgare. Cl. BANCROFT (**), in hujus rei veritatem inquirens, proprio in corpore periculum fecit, & deprehendit, ſemina innoxie edi poſſe, absque metu purgationis, ſi plumula diſſepimentumque antea probe fuerint exuta.

OBS. 3. Quandoquidem ſemina hæc in noſtris officinis ſemper rancida ſunt & effœta, nunquam in uſu ſunt. Si valebunt, recentia ea eſſe oportebit. Paullo fortiora ſunt illis, quæ proxime ſupra recenſuimus, æque tamen tuta. In America maxime increbuerunt.

ORDO
SYNGENESIA.

483. MOMORDICA Elaterium. LINN. *Sp. pl.* *1434. Mat. m. 447.* KNIPH. *Bot. or. cent. 8.*
Cucumis aſininus. BLACKW. *Herb. t. 108.*
Cucumis ſylveſtris. CAMER. *Epit. 946.* DOD. *Pempt. 652.*
Cucumis Elaterii ſylveſtris. LOB. *Hiſt. 368.*
Pharm. ELATERIUM ALBUM, NIGRUM.
Locus. Europa auſtralis. *Annua.*

FORMA. albi: Maſſa terrea in fruſtis planis, craſſitudine linearum circiter 2, cinerea, leviu-

(*) CLUSII *Exotic. 1. p. 299.*
(**) *Naturgeſchichte von Gviana, p. 20.*

ſcula, ſicca, fragilis, friabilis. *Nigri: maſſa* ſicca, virideſcenti-nigra, ſubſplendens, in fruſtulis inæqualibus, fragilis; fracturis planiuſculis.

PROPR. Albi: Odor nullus; *ſapor* vix amaricans, acris; *maſticatum* ſolvitur in ore, & mordet in lingva faucibusque. Solvitur digeſtione in aqua & ſpiritu vini imperfecte; ſub digeſtione fatiſcit in pulverem, qui in fundo vaſis jacet; ſed tingit menſtrua colore luteſcente, ſaporemque eis conciliat. Candelæ flammæ admotum ſubito accenditur, non emollitur, nec deſtillat; flagrat: flamma vivida, lucida. *Nigri: odor* nullus; *ſapor* acris, debilior quam albi, ſubſalſus; *maſticatum* tenaciuſculum, ægre comminuitur, adglutinatur dentibus, ſolvitur: ſaliva brunnea; mordet poſtea in faucibus. Solvitur cito in aqua, ſub digeſtione plenarie, pariter ac in ſpiritu vini: ſolutione rubicunda. Candelæ flammæ admotum non accenditur, ſed ignitur, & fremit tamquam Nitrum. Hinc Elaterium album magis reſinoſum; nigrum vero magis gummoſum & ſalinum eſt.

VIRTUS: purgans, draſtica, hydragoga, emetica, abortiens, errhina.

USUS. Hydrops.

OBS. 1. Elaterium *album* paratur e ſucco lacteſcente pomi Momordicæ Elaterii ſubmaturi, absque omni expreſſione emanante e pomo minutim reſecto; qui, vaſe exceptus & quieti redditus, ſponte ad fundum vaſis dejicit fæculas ſubſidentes. Poſtea decantatur liquidum ſupernatans, & fæculæ exſiccantur calore ſolis. Si poma relinquuntur, quoad rite maturuerunt, diſſiliunt ſponte dum tanguntur, ſeminaque circumcirca diſpergunt. *Nigrum* Elaterium paratur e ſucco pomi expresſo, cujus fæculæ ſubſidentes exſiccantur.

OBS. 2.

OBS. 2. Elaterium album heroicum eſt purgans hydragogum in hydrope, ab antiquis temporibus uſitatum, poſt quidem oblitteratum, ſed nunc demum in frequentem uſum redactum. Fortiſſimum eſt purgans hydragogum; purgat violentiſſime, ſæpe cum torminibus, & dejectiones aquoſas inducit. Hinc communiter a medicis uſurpatur, ad aquas hydropicorum per alvum educendas. Utplurimum emeſin juxta movet. A minima doſi ſemper incipiendum, ſc. a quadrante grani vel a grano dimidio. Sunt tamen qui gr. 1 bene ferunt. Gravidis non propinandum, quia abortum ſæpius effecit. Nec in hydrope adhibendum, cum pulſus durus eſt, viſceraque obſtructa. Si cum aqua teritur, naribusque intruditur, turunda exceptum, ſatis validum eſt errhinum.

OBS. 3. Pomum Momordicæ Elaterii exſiccatum, tum pulveratum & propinatum, bonum eſſe hydragogum, obſervavit BOULDUC (*).

484. CUCURBITA Pepo. LINN. *Sp. pl. 1435.* SCOPOL. *Ann. 2. p. 97.* *

Pepo oblongus vulgatiſſimus. LOBEL. *Hiſt. 365.*
Cucurbita indica rotunda. DALECH. *Hiſt. 616.*
Pepo oblongus & rotundus. DOD. *Pempt. 654. 655.*

Culinis: PEPONIS Fructus.

Locus. Colitur in hortis. *Annua.*

FORMA. rec. Pomum pedunculatum: pedunculo turbinato, angulato, ſcabriuſculo; magnitudine capitis humani vel ſupra, ſubrotundum vel ovali-oblongum, apice obtuſo-rotundatum, depreſſum, ſubſulcatum, inſtructum umbilici loco cicatrice orbiculata, ſicca, brunnea; inferne abrupte anguſtatum, baſi plicatum: plicis validis,

(*) *Hiſt. de l'Acad. des ſc. 1719. p. 46.*

dis, convexis; undique læve, colore dilute citrino ſ. ſtramineo, nitidiuſculum, ſulcis longitudinalibus, obſoletis, diſtantibus. *Parencyma* carnoſo-ſuccoſum: carne ex atomis veſiculoſis conflata; craſſitie pollicari, albido-luteſcens, centro cavo; ampliſſimo; ſexloculare: columnis 3, carnoſo-pulpoſis, diſtantibus, parieti parencymatis adnatis, lamellis parallelis remotiuſculis; ſingula columna biloculari. *Semina* plurima, albida, in pulpa nidulantia, obovalia, utrinque compreſſa, undique cincta margine incraſſato.

PROPR. crudi pomi: *Odor* vix ullus; *ſapor* debilis, ſubdulceſcens, in Melonis ſaporem obſcure incidens; *maſticatum* carnoſum, minus ſuccoſum, comminuitur, inter dentes ſubſtridulum. *Coctum* conſiſtentia pultis, ſapidum ſatis, præcipue cum lacte præparatum.

VIRTUS: nutriens.

USUS: culinaris.

OBS. 1. Semina plurimum *olei expreſſi* dant, mitis & optimæ notæ, ſubrubelli. Ex ſemin. libra I obtinetur olei expr. libra ß. Scopoli.

OBS. 2. Fructus maturus in culinis temperatis pro eſca apparatur. Coquitur in pultem cum lacte, & ſatis ſapidus fit. Nutrit principio dulci, bonosque generat humores.

485. CUCURBITA lagenaria. Linn. *Sp. pl. 1434. Mat. m. 442.* Rumph. *Amb. 5. p. 397. t. 144.* Moris. *Hiſt. 2. p. 23. ſ. 1. t. 5. f. 3.* Lob. *Hiſt. 366.*

Pharm. CUCURBITÆ Semina.

Locus. America. *Annua.*

FORMA. Semina cinerea, minutim rugoſa, linearia, vix pollicaria, utrinque plana, biſulcata:

ta: ſulcis apice conniventibus; utrinque obtuſa, apice profunde retuſa. *Parencyma* album, cotyledoneum, bipartibile, intra teſtam fragilem.

PROPR. *Odor* nullus; *ſapor* pingviuſculus, amygdalinus; *maſticata* comminuuntur, ſaliva emulſiva.

VIRTUS: obtundens, temperans.

USUS. Febrium æſtus.

OBS. Semina Peponis in locum Cucurbitæ bene ſurrogari poſſunt, utpote pari virtute prædita, ac præterea magis vulgaria.

486. CUCURBITA Citrullus. LINN. *Sp. pl.* 1435. *Mat. m.* 443. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 9.
Citrullus ſ. Anguria. BLACKW. *Herb. t.* 157.
Anguria indica. RUMPH. *Amb.* 5. *p.* 400. *t.* 146.
Citrullus officinarum. LOB. *Hiſt.* 364.
Anguria, Cucumis Citrullus. DOD. *Pempt.* 653.
Culinis *CITRULLI* Fructus.
Pharm. ——— Semina.

Locus. Europa auſtralis, Oriens, India. *Annua.*

FORMA. rec. Pomum ſubrotundum, magnitudine capitis humani, pedunculatum: pedunculo tereti; utrinque obtuſum, macula orbiculata, rugoſa, plana; undique læve, nitidiuſculum, adſperſum cicatricibus venoſis, rugoſis, attenuatis; undique virideſcenti-marmoreum, pictum lineis fuſcis, longitudinalibus, latioribus, ſubdentatis, remotiuſculis. *Parencyma* incarnatum, centro ſolidum, carnoſo-ſucculentum, rigidiuſculum, fragile: carne groſſius veſiculoſa, facie fere glaciei ubi luci exponitur; ſexloculare. *Columella* carnoſa, parencymati ſimili, verum ſapidiore. *Semina* plurima, pedicellata: pedicello carnoſo, molli; fuſco-brunnea, lævia, nitida, ovata, obtuſa, apice

pice ſummo decorticata, utrinque compreſſo-plana, in ſingulo loculo membrana tenui interſtincta.

PROPR. Pomi crudi: Odor debilis; *ſapor* dulceſcens, ſubcucumerinus, frigidus; *maſticatum* valde ſuccoſum, & inter dentes ſubſtridulum; maſticatione & ſuctione extrahitur ſuccus aqueus, refrigerans, remanent pelliculæ molles. *Seminum: odor* nullus, *ſapor* amygdalinus.

VIRTUS Pomi: nutriens, refrigerans, humectans; *ſeminum:* emulſiva, temperans, obtundens.

USUS Pomi: culinaris; *ſemin.* Febrium æſtus.

OBS. 1. Semina Citrulli æque omnino efficacia ſunt, atque ſemina Cucurbitæ & Peponis.

OBS. 2. Fructus Citrulli bene maturus editur crudus, ut eximium humectans refrigeransque in calore æſtivo. In regionibus calidis nullus gratior fructus, qui glaciei ſpeciem refert, & ſuccum aqueum, frigidiuſculum præbet.

487. CUCUMIS Colocynthis. LINN. *Sp. pl. 1435. Mat. m. 446.* BLACKW. *Herb. 441.*
Colocynthis. CAMER. *Epit. 982.* DOD. *Pempt. 654.* LOB. *Hiſt. 367.*
Pharm. COLOCYNTHIDIS Pulpa, Semina.
Locus. Oriens, India. *Perennis.*

FORMA. ſicc. Pomum decorticatum, ſubrotundum, magnitudine ovi gallinacei, ſiccum, albidum, leviuſculum, conſtans ex ſubſtantia papyraceo-ſpongioſa, molli; ſexloculare: loculis refertis *ſeminibus* numeroſis, ovatis, obtuſis, utrinque compreſſis, lævibus, olivaceis, longitudine circiter 2 linearum; *parencymate* albo, cotyledoneo.

PRO-

PROPR. pulpæ: Odor debilis, ingratus; *ſapor* amariſſimus, nauſeoſus, acriuſculus. *Seminum odor* nullus; *ſapor* amygdalinus, dulceſcens, pingviuſculus.

VIRTUS pulpæ: purgans, draſtica, abortiva, anthelminthica.

USUS.

OBS. 1. *Decoctum Pulpæ* aquoſum rubicundum, amariſſimum. Si ebullitio diutius protrahitur, ita gelatinoſum fit, ut colum vix permeet; inſpiſſatum abit in *Extractum* laudabile, mitius purgans, quam ipſa pulpa. Ex pulpæ Colocynthid. unc. 8 obtinuit cl. BOULDUC Extracti gummoſ. unc. 3, & a pari quantitate pulpæ, ope ſpirit. vini, extraxit Extr. reſinoſi unc. ß.

OBS. 2. Colocynthis, antiquiſſimum purgans, etiam a Patribus medicinæ adhibitum, nondum exolevit. Purgans tamen draſticum eſt, & magna cum circumſpicientia præſcribendum. Etenim in ſatis mediocri doſi vehementiſſimas dejectiones ſæpe facit, cum torminibus, teneſmis, ſangvinolentis evacuationibus, ægritudine ſumma. Tamen ſi pulpa Colocynthidis in ſubſtantia propinetur, redigenda erit in ſubtiliſſimum pollinem, adjectis abſorbentibus, ſaccharo, vel gummi, ut in trochiſcos conformari queat. Doſis erit minuta, unum vel alterum granum. Reſinoſum extractum vix purgat, ſed tormina tantum excitat. Itaque præſtat omnino Extractum aquoſum in eo, quod longe mitius agit, & doſi gran. 2-4-6 dari poteſt. Gravidis tamen, hæmorrhagiis obnoxiis, dyſentericis, calculoſis, febricitantibus, hyſtericis, non tuto præſcribitur. G. VAN SWIETEN (*) laudat Colocynthidem, ubi ſcopus eſt alterandi, ſi octava pars grani omni trihorio vel quadrihorio detur; tunc enim non purgat, ſed in corporibus lan-

(*) *Comment. in* BOERH. *Aphor. T. 4. p. 443.*

langvidis & pituitoſis, ut dicit, mira præſtat, dum leniori ſtimulo calorem & motum auget. Nob. N. DALBERG pari fere elogio tincturam Colocynthidis commendat (*), quam parat e pulpæ Colocynth. unc. 1 ß, ſem. Aniſi ſtellati drachm. 1, & Spirit. vini gall. unciis 20. Hujus tincturæ guttas 15 propinat ter vel quater de die, augendo doſin gutta una, quavis vice, quoad alvus ſolvatur. Sic cephalalgias curat, dentiumque dolores.

OBS. 3. *Semina* Colocynthidis vere emulſiva ſunt, uti ſemina congenerum. Quæ illis adhæret, amaritudo, neque a teſta nec a nucleo proficiſcitur, ſed unice a pulpa emanat, qua extus obducta fuere, utpote quæ amariſſima, purgans & heroica eſt. Itaque ſi aqua tepida bene & pluries lavantur, adeo non amara ſentiuntur, ut potius ſapida ſint. Sic non purgant, verum obtundunt. Idcirco expedit ſeparare ſemina a pulpa, quando extractum Colocynthidis parare lubet; nam oleum expreſſum coctione extrahitur, & extractum minus purum reddit.

OBS. 4. Cucumis Colocynthis copioſe creſcit in India, ubi maxime luxuriat, caule diffuſo, repente, ad terram adpreſſo, in latum & longum ſe extendente. Cl. EDV. IVES (**) ad Caſtellum St. David ſtirpem quandam obſervavit, 10 orgyiarum ſpatium occupantem.

488. CUCUMIS Melo. LINN. *Sp. pl. 1436. Mat. m. 444.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 10.*
Melo. BLACKW. *Herb. t. 329.* BAUH. *Hiſt.* 2. *p.* 242.
Melo ſ. Melopepo vulgo, Cucumis Galeni. DOD. *Pempt. 652.*
Melo vulgi ſ. Melopepo Dioſcoridis. LOB. *Hiſt. 364.*

Cu-

(*) Cfr. cel. MURRAY *Apparat. medicam. vol. 1. p. 410.*
(**) *Reiſen nach Indien und Perſien, part. 2. p. 391.*

Culinis MELONIS Fructus.
Pharm. ——— Semina.
Locus. Calmuckia. Colitur ubique. *Annuus.*

FORMA. rec. Pomum brevius pedunculatum: pedunculo tereti; ovale, magnitudine capitis infantilis, utrinque obtuſo-rotundatum, apice macula orbiculata, ſicca, umbilici loco; undique longitudinaliter ſulcatum, albido-virideſcens; cicatricibus elevatis reticulatum, vel læviuſculum. *Parencyma* carnoſo-ſuccoſum: carne ex atomis veſiculoſis compoſita; craſſitie pollicari, centro cavo, ampliſſimo; ſexloculare; columnis tribus carnoſo-ſucculentis, parieti parencymatis adnatis, bilocularibus. *Semina* plurima, pedicellata, ovalia, acuta, utrinque compreſſa, glabra, albida, lævia, in pulpa molliſſima & ſuccoſa nidulantia.

PROPR. Pomi crudi: Odor ſvaveolens; *ſapor* dulceſcens, in cucumerinum levius incidens; *maſticatum* comminuitur, ſolvitur.

VIRTUS: Pomi: nutriens, temperans; *ſemin.* emulſiva, temperans.

USUS: Pomi: culinaris.

OBS. 1. *Fructus* maturus editur crudus, tempore æſtivali, gratus cum odore, tum ſapore. Difficilioris eſt digeſtionis illis, quibus ſtomachus langvet. Nutrit principio dulci, & inſimul refrigerat. Poſtquam permaturuit fructus, farinoſus ſentitur, & inſalubris tunc cenſetur. Immaturus fructus conditur ſaccharo vel aceto, pro bellariis.

OBS. 2. *Semina* incredibilem facultatem habent retinendi vim germinandi; hinc quo antiquiora, eo præſtantiora ab hortulanis judicantur. MART. TRIEWALD (*) docuit, ſemina Melonum, poſt 42 annorum decurſum ſata, progerminaſſe. 489.

(*) *Philoſ. tranſact. vol. 42. p. 115.*

489. CUCUMIS ſativus. Linn. *Sp. pl. 1437. Mat. m. 445.* Blackw. *Herb. t. 4.*

Cucumis vulgaris. Dod. *Pempt. 651.*

Cucumis eſculentus. Lob. *Hiſt. 363.*

Culinis CUCUMERIS Fructus immaturus.

Pharm. ——— Semina.

Locus. Colitur in hortis. *Annuus.*

FORMA: immaturi: Pomum viride, cylindrico-conicum, ſubincurvatum, ſubangulatum, longitudinaliter canaliculatum, echinatum, toruloſum: torulis inæqualibus, ſubaculeatis; atomis albis adſperſum, palmare vel ultra, baſi læve, obſcure viride. *Parencyma* carnoſo-ſucculentum, albido-virideſcens, poſt ſectionem transverſalem diſtinctum centro maculato, ſubrotundo-trigono, e ſeminum rudimento orto: angulis truncatis; tandem in tria loculamenta excreſcente; cincto annulo orbiculato e punctis in orbem diſpoſitis; obducto diſco carnoſo, punctis marginalibus diſcretis, diſtantibus. *Semina* (matura) ovato-oblonga, utrinque obtuſa, compreſſa, circiter tres lineas longa, alba, lævia; *parencymate* cotyledoneo, albo, bipartibili.

PROPR. Pomi crudi & immaturi: *Odor* crudus, ſubfatuus; *ſapor* odori congruens, crudus, fatuus, ſubdulceſcens; *maſticatum* pomum tenerius, ſuccoſum, comminuitur, inter dentes ſubſtridulum; ſaliva vix tincta. *Seminum* odor nullus; *ſapor* amygdalinus, magis tamen pingvis; *maſticatur* ſaliva emulſiva.

VIRTUS: Pomi: temperans. *Semin.* emulſiva, temperans.

USUS: Pomi: culinaris.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. fructus limpidum, aqueum, odore cucumerino, ſapore congruente, ſubdulceſcente; vitriolo martis non demutatum.

OBS. 2.

OBS. 2. Cucumeres immaturi in culinis frequentiſſime adhibentur. Eduntur crudi, in taleolas reſecti, addito oleo, aceto, ſale, & pipere. Si ſuccus exprimitur, indigeſti evadunt & ructus cucumerinos generant, quod haud fit a taleolis non expreſſis. Condiuntur ſale ſive aceto, atque per totam hiemem ſervantur; & vero ſignum rem bene ceſſiſſe eſt, ſi rigidi ſubfragilesque, non autem flaccidi, deprehendantur. Coquuntur in aqua, recentes ſeu conditi, vel ſoli cum butyro, vel addita carne. Recentes cocti tenerrimi ſunt.

490. BRYONIA alba. Linn. *Sp. pl.* 1438. *Mat. m.* 448. Kniph. *Bot. orig. cent.* 10. Blackw. *Herb. t.* 37.

Vitis alba, baccis nigris. Camer. *Epit.* 987.

Bryonia aſpera ſ. alba, baccis rubris. Mill. *Fig. t.* 71.

Bryonia alba & nigra. Dod. *Pempt.* 395.

Pharm. BRYONIÆ Radix, Baccæ, Semina.

Locus. Europa, ad ſepes. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix fuſiformis, ſubpedalis, ſæpe ramoſa, apice obtuſo-rotundata, albido-luteſcens, transverſaliter rugoſa: rugis obſoletis, ſubapproximatis, ceterum glabriuſcula. *Parencyma* album, carnoſum, ſuccoſum, poſt ſectionem transverſalem æquale, undique punctatum: punctis ſubrotundis, ſerie radiali a centro ad peripheriam undique diſpoſitis; ſerie autem annulari, ſolitaria, centrum medullare includente. *Racemi* baccarum axillares, penduli, nudi. *Baccæ* globoſæ, magnitudine ſeminis Piſi, nigræ, glabræ, nitidiuſculæ, apice inſtructæ puncto elevato, umbilici loco; *parencymate* ſuccoſo, pentaſpermo: ſucco viridi. *Semina* ovata, obtuſiuſcula,

ſcula, utrinque compreſſa, fuſca, nitidiuſcula, minutim rugoſa.

PROPR. *rec. rad. Odor* nauſeoſus; *ſapor* nauſeoſus, odori congruens, acriuſculus, ſubſtypticus. Radix recens lacteſcit; ſiccata vero recenti longe debilior. *Baccar. odor* nauſeoſus; *ſapor* fatuus.

VIRTUS: purgans, hydragoga, emmenagoga, diuretica; *recent. radic.* ſubemetica.

USUS. Hydrops, Aſthma.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum radic. rec. colore aqueo, ſubluteſcente, odore nauſeoſo, ſapore ſubſtyptico, amaricante; vitriolo martis color nil variat; quiete & mora multum caſeoſi albi præcipitat.

OBS. 2. Radicis rec. Bryoniæ contuſ. unc. 1, in vini albi generoſi libris 2, maceratione per horas 24, extracta, valida fit medicina in hydrope. Taleolæ recentes radicis ſubcontuſæ, & cruribus hydropicorum impoſitæ, ſtillicidium ſeri alliciunt, ut obſervavit cel. Tissot (*). Si radix ſub terra, tempore vernali, transverſaliter ſecatur & excavatur, fruſtulumque reſectum operculi inſtar cavo imponitur, repletur cavum illud, nycthemeri ſpatio, ſucco lacteſcente, diuretico, cochlearibus propinando.

OBS. 3. Recens radix, perinde ut Solanum tuberoſum tractata, *amylum* dat album, friabile; quod, in ſole ſiccatum, & per nonnullas ſeptimanas ſervatum, guſtavi, & non acre deprehendi. Hujus amyli ſcrup. 1, gallinæ ter datus, illam non movebat. In aqua coctum hoc amylum, gelatinam dedit, gelatinæ tritici ſimillimam, ſapore ſubfatuo, miri, bene glutinantem. Sic *fæculæ* Bryoniæ, in officinis uſitatæ, amylaceam radicis partem continent. Per ſe non purgat hoc amylum, ſi bene elotum fuerit; ſin minus alvum leniter ſolvit, doſi drachm. ß.

CLAS-

(*) *Epiſt. ad* Hallerum *de Hydrope*, p. 221.

CLASSIS XXII.

DIOECIA.

ORDO

DIANDRIA.

491. SALIX pentandra. LINN. *Spec. pl. 1442.* GMEL. *Sibir. 1. p. 153. t. 34. f. 1.* LINN. *Flor. Lapp. p. 370. t. 8. f. 3.*

Salix ſpontanea, folio amygdalino, fragilis, non auriculata. BAUH. *Hiſt. 1. p. 214.*

Pharm. SALICIS LAUREÆ Cortex.

Locus. Europa, in humidiuſculis. *Frutex.*

FORMA. Cortex ramulorum tenuiuſculus.

PROPR. rec. Odor gratus, tenuis; *ſapor* balſamicus, amaricans; *ſicc.* ſubauſterus.

VIRTUS: adſtringens.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum luteſcens, amarum; vitriolo martis nigreſcit. *Extractum* aquoſum amarum. *Aqua ſtill.* grata, in aquam ceraſorum incidens.

OBS. 2. Folia hujus arboris ſatis fragrantia, amara. Amenta florifera pariter fragrantia. Cl. C. H. SPECKBUCK (*), qui de hujus cortice egit, ſvadet, ut deſumatur ex ramis biennibus, menſe Maji, & prudenter ſiccetur; quo enim adultiores rami, eo magis ſtypticus cortex. De vi hujus antifebrili in febribus intermittentibus nihil ex propria experientia ſtatuit. Cl. C. A.

(*) *Diſſert. de Salice Laurea odorata.* Trajecti ad Viadr. 1769.

C. A. Gerhard (*) corticem e Salice fragili Linn. officinalem vult, & dicit, ſe expertum fuiſſe illum virtute antifebrili cortici Peruviano reſpondere. Sed hic cortex ita ſtypticus eſt, ut corium cum eo perficere potuerit Laur. Zethelius (**). Ego hunc corticem in febribus intermittentibus iterum iterumque exhibui, ſed irrito conatu.

ORDO
TETRANDRIA.

492. VISCUM album. Linn. *Sp. pl. 1451. Mat. m. 450.* Kniph. *Bot. orig. cent. 1.* Murr. *Appar. medic. vol. 1. p. 199.*

Viſcum baccis albis. Duham. *Arbr. 2. p. 354. t. 104.*

Viſcum. Camer. *Epit. 555.* Lobel. *Hiſt. 361.* Blackw. *Herb. t. 184.* Dod. *Pempt. 814.*

Pharm. VISCI Lignum.

Locus. Europa. *Frutex paraſiticus.*

FORMA. Frutex paraſiticus, ſempervirens, in ramis aliarum arborum creſcens, ab ima baſi ramoſus, erectus, diffuſus, phœniceus, glaber, dichotomus: ramis teretibus; ad diviſiones caulis ſ. ramorum ſubnodoſus, ſulco annulari, ſubdentato. *Folia* terminalia, bina, ſeſſilia, oppoſita, cuneiformi-lanceolata, inferne attenuata, pollicaria vel ultra, integerrima, duriuſcula, atrichodia, ſubrugoſa, nervis longitudinalibus, parallelis, obſoletis. *Baccæ* 3 vel 4, axillares, ſeſſiles, albæ,

(*) *Mater. med. p. 301. ſeq.*

(**) *Svar på K. Vetenſk. Acad. Fråga, om båſta ſåttet at århålla nödig tilgång på dugelig bark för Garfverierne.* Stockholm 1767.

albæ, læves, globoſæ, monoſpermæ, turgidæ ſucco viſcido & tenaci.

PROPR. rec. & *ſiccat. Odor* debilis, vix ullus, pariter etiam *ſapor.* Rami, *maſticati,* corticali parte glutinoſi, ſubamaricantes, obſcure acriuſculi.

VIRTUS:

USUS. Morbi convulſivi.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum Viſci ſiccati, in balneo paratum, limpidum, luteum, odore nauſeoſo, fungoſo, ſapore conſimili, vitr. martis purpuraſcit.

OBS. 2. Uſus Viſci apud nos rariſſimus eſt. Quamvis plures medicorum Viſcum in epilepſia morbisque convulſivis laudaverint, evictum tamen non eſt, quid revera præſtet.

OBS. 3. De Viſco ſcripſit J. Colbatch (*). Caſibus is pluribus comprobat uſum Viſci, cum in catalepſi, tum in epilepſia, & morbis convulſivis. Narrat, choream S. Viti absque relapſu curatam ex propinato Viſco, doſi drachm. 2. quovis die, & id quidem poſtquam ſumma tota Viſci ſumti ad unc. 12 vel 14 adſcendiſſet. In epilepſia Viſcum in tantum profuiſſe vidit, ut remediis ſpecificis illud adnumerare non dubitet, utpote quod in hoc morbo haud minorem exſerit virtutem ſpecificam, quam Chinchina in febribus intermittentibus. Addit poſtinde, ſe nullum detrimentum a propinato Viſco obſervaſſe. Propinat viſcum ſub forma pulveris ad drachm. ß-1, bis vel quater de die; ſæpe addit infuſum, paratum ex Viſci unc. 4 in aquæ calid. unc. 40. Sæpe etiam adjicit Aſſam fœtidam, & ſpondet, vim antepilepticam, ex addita hujus gummireſinæ octava parte, mirifice exaltari. In Ecclampſia infantili uſum viſci egregium deprehendit. Viſcum quernum

(*) *Diſſ. concerning Miſletœ, a moſt wonderful ſpecif. remedy for the cure of convulſive diſtempers.* Lond. 1723.

num nunquam adhibuit hic auctor; nec putat multum referre, in quanam arboris ſpecie creverit. Menſe decembri colligendum viſcum, dicit, beneque ſiccandum, & poſtea loco ſicco, in vaſis vitreis obturatis, conſervandum, cum valde pronum ſit ad mucorem contrahendum, unde effœtum evadit.

OBS. 4. *Viſcum aucuparium* etiam ex hoc frutice paratur. In hunc finem ſumatur cortex recens, qui bene contundatur, & deinde formentur boli, ovi magnitudine, qui in aqua pura repetitis vicibus laventur, digitisque bene premantur, ut filamenta e glutine ſeparentur; DUHAMEL.

493. MYRICA Gale. LINN. *Sp. pl.* 1453. *Mat. m.* 451. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 9. OEDER *Icon. t.* 327.

Chamæleagnus. DODON. *Pempt.* 768.

Pharm. MYRTI BRABANTICÆ Folia.

Locus. Europa, Canada, in uliginoſis. *Frutex.*

FORMA. rec. Folia alterna, breviter petiolata, erecta, fere ſubſeſſilia, obverſe lanceolata, obtuſa, ſuperne ſerrata, pollicaria, margine & carina pubeſcentia, utrinque minutim rugoſa, ceterum glabra, nervis alternis, obliquis inſtructa, atomis elevatis, luteis, nitentibus ſubtus adſperſa, margine utrinque recurvato.

PROPR. rec. & ſiccat. Odor fragrans, aromatico-graveolens, non ingratus, temulentans. *Sapor* ſubſtypticus, ſubaromaticus, amaricans.

VIRTUS: cephalalgica, anodyna, antiphthiriaca, reſolvens, tonica.

USUS. Scabies, Tineæ pellendæ.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum luteum, odore foliorum, ſapore amaricante; vitriolo martis ſubito nigreſcit.

OBS. 2.

OBS. 2. Uſus medicus vix ullus, quamvis revera vis medica præſtans. Ante receptum uſum Lupuli in regionibus ſeptentrionalibus cerevifiæ communiter imponebatur Myrtus brabantica; ſed illam temulentantem reddidit. Nunc ad tineas e veſtimentis pellendas virgulta ex hoc frutice adhibentur. Sunt etiam qui ungventis adverſus ſcabiem folia contuſa immiſcent.

OBS. 3. Puncta luteſcentia foliorum & ramulorum tenellorum quidam cerifera eſſe volunt. Certe Myrica cerifera LINN. in Virginia, Penſylvania & Ludoviciana, revera ceram profert, unde candelas cereas formare poſſunt, quas & ipſe vidi. Sed baccas gerit hæc Myricæ ceriferæ ſpecies, & colligitur cera infuſione baccarum in aqua calida, unde liqueſcit. Cera hæc colore viridi eſt, & odore aromatico, ſed color viridis deletur, ſi, ſicut cera vulgaris, ſoli exponatur, unde alba evadit, prout tradit cl. BOSSU (*).

ORDO
PENTANDRIA.

494. PISTACIA vera. LINN. *Sp. pl. 1454. Mat. m. 454.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 2.*

Piſtacia. BLACKW. *Herb. t. 461.* BAUH. *Hiſt. 1. p. 275.*

Terebinthus indica Theophraſti. DUHAMEL *Arbr. 2. p. 306. t. 88.*

Piſtacii ramulus cum fructu & corniculis. DOD. *Pempt. 805.* LOB. *Hiſt. 539.*

Pharm. PISTACIÆ Nuces.

Locus. Oriens. Colitur in Italia. *Arbor.*

FORMA. ſicc. Racemi nutantes, fructibus pedicellatis. *Drupæ* ſiccæ, ovatæ, oblongiuſculæ, ma-

(*) *Nouveaux voyages aux Indes occid. part. 2. p. 153.*

magnitudine glandis quernæ, dorſo elevatæ, convexæ, carinatæ, antice compreſſiuſculæ, apice mucronato, obliquo, undique rugoſæ, cinereo-virideſcentes, exſuccæ. *Nux* oſſea, alba, glabra, baſi macula oblonga, rugoſo-ſpongioſa, albidiore; *nucleo* amygdalino, albido-virideſcente, obducto tunica albida, ſæpe ſubfuſca.

PROPR. Drupæ ſ. *corticis* nucis: *odor* leniter reſinoſo-balſamicus; *ſapor* ſubamaricans, debilius reſinoſus; cortex hic accenſus flagrat, fumo grato, balſamico. *Nuclei*: *Odor* nullus; *ſapor* amygdalinus, dulceſcens, ſubpingviuſculus, ſubbalſamicus; *maſticati* teneri, comminuuntur, ſaliva emulſiva.

VIRTUS: Nucl. emulſiva, obtundens.

USUS: culinaris.

OBS. 1. Nuclei, cum aqua contuſi, emulſionem faciunt; raro tamen in medicina adhibentur; apponuntur vulgo menſis ſecundariis.

OBS. 2. Cortices nucis loco ſuffimenti in domubus uſurpantur, ad fumum gratum ſpargendum.

495. PISTACIA Terebinthus. LINN. *Sp. pl. 1455. Mat. m. 452.*

Terebinthus vulgaris. DUHAM. *Arbr. 2. p. 306. t. 87.*

Terebinthus. LOB. *Hiſt. 538.* DALECH. *Hiſt. 61.* DOD. *Pempt. 858.* CLUS. *Hiſt. 1. p. 15.* BLACKW. *Herb. t. 478.*

Pharm. TEREBINTHINA CYPRIA.

Locus. Europa auſtralis, Oriens, India, in petroſis. *Arbor.*

FORMA. Reſina liquida, tenax, in fila ductilis, ſubdiaphana, colore luteſcenti-brunneo, vix ſubcæruleſcente.

PRO-

PROPR. Odor fragrans, gratus, in flores Jaſmini incidens; *ſapor* ſubpingviuſculus, amaricans, acriuſculus, faucibus inhærens. In aquam calidam immiſſà emollitur, ſed non funditur vel liqueſcit, verum adglutinatur digitis immiſſis vaſisque parietibus. Hæc Terebinthinæ ſpecies easdem dotes habet, quibus reliquæ ſupradictæ Terebinthinæ pollent, pariaque phænomena monſtrat.

VIRTUS: vulneraria, diuretica: urina odore violaceo.

USUS. Vulnera.

OBS. Terebinthina cypria eſt ſuccus reſinoſus, qui e cortice trunci ſauciato ſponte diſtillavit in vaſculum ſuppoſitum, atque tum ex ardore ſolis liquefactus, per pannum colatus fuit. Hæ arbores, quamvis ſatis proceræ, tamen parce Terebinthinam fundunt, ita ut 4 arbores, truncis circiter 5 pedum peripheria, & altitudine circiter 5 cubitorum, vix ultra libr. 2 & unc. 9 ß Terebinthinæ dederint, quod a. 1753 obſervatum. Fructus hujus arboris nonniſi a pauperibus eſtur; ſed ſi Piſtacia vera truncis Piſtaciæ Terebinthi inſita fuerit, Terebinthinam bonam fundit, & nuces inſimul optimas fert Piſtacia. Vera Terebinthina cypria rariſſime, & vix unquam, ad nos venit, ſed adulteratur plerumque cum Terebinthina veneta, unde clarior evadit; hinc ſemper præfertur Terebinthina ſpiſſior tenaxque ei, quæ liquidior atque pellucida eſt; Cousineri apud Duhamel.

496. PISTACIA Lentiſcus. Linn. *Sp. pl. 1455. Mat. m. 453.* Kniph. *Bot. orig. cent. 5.*

Lentiſcus vulgaris. Duham. *Arbr. 1. p. 354. t. 136.*

Lentiſcus. LOBEL. *Hiſt.* 538. DALECH. *Hiſt.* 63.* CLUS. *Hiſtor.* 1. *p.* 14. DODON. *Pempt.* 859. BLACKW. *Herb. t.* 195.

Pharm. LENTISCI Lignum.

Locus. Europa auſtralis. *Arbor.*

FORMA. Lignum ſiccum, difficile fractu, ponderoſum, extus cinereum, intus album.

PROPR. Odor non ingratus; *ſapor* adſtringens.

VIRTUS: reſtringens.

USUS.

β. Lentiſcus ex Chio. TOURNEF. *Voy. du Levant* 2. *p. m.* 67.

Pharm. MASTIX.

Locus. Chio. *Arbor.*

FORMA. Reſina ſolida, pallide luteſcens, homogenea, in lacrymis ovatis, lævibus, diaphanis, magnitudine varia, a ſeminis cannabini ad Fabæ magnitudinem, ſuperficie plerumque undique ſubopaca, fragilis: fracturis planis, inſtar gemmæ pellucidis, nitentibus, vitriformibus.

PROPR. Odor balſamicus, debilior; *ſapor* debilis, gratus, balſamicus; *maſticata* Maſtix ſubfriabilis, ſed inter mandendum colligitur, coit in maſſam ſiccam, ſubrigidiuſculam, albam, ceræ albæ ſimilem, non ſolubilem. Ignis flammæ admota, non accenditur, verum liqueſcit & deſtillat ſubito. Vaſe ferreo ſuper ignem, funditur, admota flamma non accenditur, niſi bene calefacta, odorem ſpargit balſamicum, gratum; accenditur tunc undique ex flamma admota, flagrat: flamma vivida, alta, fumante, fumo ſpiſſo, fuliginoſo, remanente carbone ſicco, nigricante, parum inquinante. Non ſolvitur in aqua, ve-

verum odorem ſuum ei communicat. Deſtillata cum aqua, *oleum ſtillatitium* dat, ut monet cl. Lewis. In ſpiritu vini maximam partem ſolvitur, ſed remanet decima circiter pars ponderis, quæ non ſolvitur, verum tenax ad fundum vaſis permanet. Solvitur etiam in oleo ſtillatitio: ſolutione luteſcente; at non in oleo expreſſo.

VIRTUS: vulneraria, roborans.

USUS: externus.

OBS. 1. Ex inciſionibus trunci & majorum ramorum, menſibus Auguſti & Septembr. ſuccus diſtillat reſinoſus, qui ſponte concreſcit, & Maſtix audit. Bonæ notæ Maſtix debet eſſe in lacrymis ſ. granis minoribus, claris, diaphanis, lucidis, luteſcenti albidis, odore non ingrato. Duhamel.

OBS. 2. Etſi Lentiſci in Italia, Gallia auſtrali atque Græcia non raro occurrunt, tamen vix aliæ ſunt quæ Maſtichen ſtillant, ſaltem non bonam & genuinam, quam quæ in inſula Chio coluntur. Neque vero ubique in iſta inſula Maſtix haberi poteſt, ſed duntaxat in tractu meridionali, ex 20 circiter vicis conſtante, quare etiam omnes ejus loci lentiſcos jure regio ſibi vindicavit Turcarum Imperator. Maxima profecto Maſtiches copia a fœminis Turcicis & Græcis conſumitur, quibus moris eſt reſinam hanc crebro mandere, quo albedinem dentium ſervent, gratumque oris halitum ſpirent. Præterea vernices etiam intrat Maſtix, ut & varia iſtius gentis ungventa. Ceterum nec deſunt ibi, qui maſtiche interne utuntur, ad ſtomachum juvandum, quare panis interdum apud illos occurrit, cujus paſtæ Maſtichen immiſcuere (*).

OBS. 3.

(*) Cfr. Tournefort *Relat. d'un voy. du Levant*, *tom.* 2. *p. m.* 66. *ſeq.* Duhamel *tr. des Arbres*, *tom.* 1. *p.* 354. *ſ.* De la Motraye *Voyages &c. tom.* 1. *p.* 190. *ſ.* Thevenot *Relat. d'un voy. au Levant*, *p.* 180. *ſ.* Hasselquist *It. palæſtin. p.* 532.

OBS. 3. De Maſtiche ſcripſit quidem J. S. Strobelbergerus (*); ſed liber ejus compilatus eſt, & ſatis rudis.

497. SPINACIA oleracea. Linn. *Sp. pl. 1456. Mat. m. 556.*

Lapathum hortenſe. Munt. *Aardg. t. 693.*

Spinachia mas & femina. Dalech. *Hiſt. 543.*

Spinacia. Blackw. *Herb. t. 49.* Lob. *Hiſt. 129.* Dod. *Pempt. 608.*

Culinis: SPINACIÆ Herba recens.

Locus. Colitur ubique in hortis. *Annua.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, deſcendens. *Caulis* bipedalis, erectus, teretiuſculus, ſubangulatus, ſtriatus, glaber, ramoſus. *Rami* alterni, erecti, ſimplices. *Folia* alterna, petiolata, triangulari-oblonga, acutiuſcula, integerrima, ſubſucculenta, glabra, nervis arcuatis. *Flores* maſculi, conglomerati. *Racemi* axillares, pedunculati, baſi inſtructi folio ſolitario, caulino ſimili, ceterum nudi, conſtantes e glomerulis ſubrotundis, remotis; Racemi vero terminales in caule & ramis ſubcylindrici, folioſi, e glomerulis axillaribus, ſeſſilibus. *CAL. Perianth.* 5-partitum: laciniis oblongis, acutis, ſubmembranaceis, concaviuſculis, patentibus. *COR.* nulla. *STAM. Filam.* 5, ſetacea, calyce longiora. *Anth.* didymæ, majuſculæ, inæquales. In planta fœminea nulli racemi, verum glomeruli florum axillares e foliis, ſubrotundi, ſeſſiles; quorum inferiores in planta androgyni; ſuperiores fœminei. *CAL. COR.* & *STAM.* nulla. *PIST. Germina* plurima, conglomerata, glabra, viridia, ovata, baſi rotundata, utrinque comminutim pubeſcentes, erecto-pa-

(*) *Maſtichologia.* Lipſ. 1628.

patentes, intra gibbos germinis ſurgentes. *Stigmata* acuta. *Semina* obovata, compreſſiuſcula, mutica ſ. ſpinoſa.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* debilis, herbaceus. *Maſticata* folia tenera, ſubſucculenta, ſaliva ſaturate viridi; *cocta* teneriora, maſticulata ſubarenuloſum quid mentiuntur.

VIRTUS: oleracea.

USUS: culinaris.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum herbæ rec. limpidum, ſubaqueum, odore debiliſſimo, ſapore herbaceo, vix amaricante; a vitr. martis non alteratur.

OBS. 2. Adprime ſalutaris cenſetur cibus, qui a Spinacia paratur. Non multum quidem nutrit, ſed ſangvinem temperat, & bonos generat humores. Folia incoquuntur juri carnium, vel ſeorſim parantur ut Rumex Patientia. Spinacia cocta, utut tenera ſentitur, id tamen cum omnibus leguminoſis plantis oleraceisque commune habet, ut longe difficilior ſit ſtomacho debili, quam caro animalis. Sunt apud nos œconomi, qui folia viridia, cælo ſereno collecta, in furno tepido, ſeu in aëre ſicco, lente torrefaciunt, in uſum hiemalem. Ita viridia perſiſtunt, & ſub maſticatione ſubpulpoſa ſentiuntur, ſed expedit ea prius in aqua emollire, quam in culinis apparantur, nam ſic ſapidiora fiunt.

498. CANNABIS ſativa. LINN. *Sp. pl. 1457. Mat. m. 457.*

Cannabis mas & fœmina. MILL. *Figur. t.* 77. DALECH. *Hiſt. 497.* BLACKW. *Herb. t. 322.* DOD. *Pempt. 525.*

Cannabis indica mas & femina. RUMPH. *Amboin. 5. p. 208. t.* 77.

Kalengi Cansjava. RHEED. *Malab. 10. t. 60. & 61.*

Locus. India orientalis. Colitur ubique in agris. *Annua.* *FOR-*

FORMA. *Semina* ovata, utrinque compreſſiuſcula, undique teſtacea, lævia, nitidiuſcula, utrinque obtuſa, ſed altera extremitate excavata, linearum 2 longitudine, margine utrinque prominulo, pallidiore; *parencymate* cotyledoneo, albo, pingviuſculo, bipartibili, intra cruſtam corticalem ſiccam, fragilem, obvelato pellicula fuſceſcente.

PROPR. *Odor* vix ullus; *ſapor* ſubfatuus.

VIRTUS: emulſiva.

USUS.

OBS. 1. Noſtræ Cannabis ſemina nullam retinere qualitatem narcoticam, ſed mere eſculenta eſſe, id ex eo concluditur, quod pleræque aviculæ iisdem veſcuntur, pingveſcunt & bene ſe habent. Immo vero hominibus etiam bene convenire, arguit mos Polonorum pultes ex farina horum ſeminum apparandi, quales ſe Cracoviæ ſæpe comediſſe meminit E. Kæmpferus (*). Apud nos perraro in medicina adhibentur. Sed Perſæ credunt, ſemina Cannabis, fricta & comeſta, venerem valde ſtimulare, inſimul vero ſterilitatem inducere; Olearius (**). Certe quidem conſtat, aves domeſticas, aviculasque caveolis clauſas, exinde ſalaciores fieri. Ex ſemin. Cannab. libr. I accepit cl. Spielmann unc. 3. *olei expr.* viridiſſimi, quod in frigore non cogebatur.

OBS. 2. Folia & pollen Cannabis apud nos non ſunt in uſu; at in Perſia totaque India maxime increbuerunt, utpote narcotica, lætitiam inducentia. Et revera iſta qualitas in Indica Cannabi ineſt, cujus tamen rei nihil omnino de noſtra unquam conſtitit, tametſi utraque ſpecie convenit. Etenim ſemina indica, in Anglia ſata, Cannabim produxerunt noſtræ ex omni parte

(*) *Amœnit. exotic. p. 645.*
(**) *Orientaliſche Reiſe-beſchreib. p. m. 529.*

te ſimilem, non vero lætificantem, prout narrat Rob. Hooke (*). Itaque vis hæc lætificans unice a climate & ſolo dependet. In Perſia alia Cannabis non eſt genuinæ virtutis lætificantis, niſi quæ colitur in Komæréh, in Kutelli Pyreſèn, atque in agro urbis Iſphahaan; & etiamſi ſemina ex iſtis locis petuntur, & alibi conſeruntur, cannabis tamen, quæ exinde progerminat, exſors facultatis lætificandi deprehenditur, quemadmodum de ſeminibus Iſphahano Gamronum translatis refert Kæmpferus (**). Duplici modo Cannabis ſuæ *folia* præparant Perſæ; ſcilicet aut ſimpliciter ea infundunt cum aqua frigida, quod infuſum, hauſtum, exhilarat, non citra gravem temulentiam; aut folia groſſe pulverata cum aqua agitant, mox, expreſſis leniter foliis, aquam abjiciunt, utpote virulenta cruditate nimis narcoticam, repetunt dein proceſſum, & pulverem, gemina vice elutum expreſſumque, in mortario acerrime conterunt in pultis conſiſtentiam, affuſa aqua frigida, cui paullatim plus aquæ affundunt, & demum per linteum trajiciunt, omni, præter recrementa, permeante ſubſtantia, ex qua colatus liquor vireſcit, de quo poſtea bibunt ad lætitiam. *Pollen* per linteum cribrant, & cum ſputo humano, admoto carbone ignito, cujus calore molleſcit, trochiſcos formant, qui boni cenſentur, ſi carbonibus inſperſi cito parumque fument; deteriores vero, ſi multum & diu. Hi paſtilli lætitiam etiam inducunt. Kæmpferus. Noſtra Cannabis odorem ſpargit narcoticum, & revera vim aliquam medicam habitura videtur.

499. HUMULUS Lupulus. Linn. *Sp. pl.* 1457. *Mat. m.* 458. Kniph. *Bot. orig. cent.* 9.
Lupulus mas & femina. Zannich. *Venez. t.* 259. Camer. *Epit.* 954. Lu-

(*) *Philoſ. experiments and obſervat. p.* 211.
(**) *L. cit.*

Lupulus. Dod. *Pempt.* 404.

Pharm. & *Culinis* LUPULI Coni.

Locus. Europa, ad ſepes, Japonia. Colitur qui uſualis. *Perennis.*

FORMA. rec. Pedunculi axillares, ſubverticillati, ſubmultiflori, ſcabridi. *Bracteæ* lanceolatæ, acutæ, minutim pubeſcentes, ad pedunculos ſolitariæ; minores in pedunculis, alternæ. *Amenta* ſubrotunda, laxe imbricata *ſquamis* ovatis, acutiuſculis, membranaceis, ſiccis, ſtramineo colore, extus minutim pubeſcentibus, intus glabriuſculis, nervoſo-venoſis, margine vix ciliatis; inferioribus minoribus. Squamæ aliæ baſi planæ, aliæ vero baſi latere interiore concavæ, farina reſinoſa aurei coloris extus laxe adſperſæ. *Semina* ſolitaria, ſubrotunda, ſubſeſſilia intra ſquamas, ad illarum baſin, obducta propria membrana ſicca, & adſperſa farina reſinoſa.

PROPR. Odor fragrans, ſubnarcoticus, gravis; *ſapor* peramarus, odori conſentaneus, inhærens.

VIRTUS: tonica, temulentans, anthelminthica, diuretica.

USUS: culinaris; Luxatio, Lumbrici.

OBS. 1. Extrahitur menſtruo aquoſo & ſpirituoſo. *Infuſum* aquoſum dilute luteſcens, odore & ſapore Lupuli; vitriolo martis nigreſcit.

OBS. 2. In culinis omni Cereviſiæ Lupulum imponunt. Decoquunt illum in aqua; ſed decoctum primarium, ut nimis narcoticum & colore ſaturatum, cereviſiæ inferiori communiter adjiciunt; tum iterum decoquunt Lupulum eundem in decocto Maltæ primario. Sic amarities conciliatur cereviſiæ, qua ab acore ſervatur, magisque diuretica fit, tonica, &, ut vulgo creditur, a calculo præſervans. Dulcedo Maltæ haud du-

dubie noceret ſtomacho, ſi abeſſet amarum. De vi narcotica Lupuli conferatur STENZELIUS (*).

OBS. 3. Primo vere prorumpentes *turiones* Lupuli, loco Aſparagi, ad lautitiam a magnatibus eduntur, ſapidi grata amaritie.

ORDO
HEXANDRIA.

500. SMILAX Sarſaparilla. LINN. *Sp. pl.* 1459. *Mat. m.* 460.

Smilax aſpera Peruviana. BLACKW. *Herb. t.* 393.

Smilax viticulis aſperis virginiana, folio hederaceo leni, Zarza nobiliſſima. PLUK. *Almag.* 348. *t.* 111. *f.* 2.

Pharm. SARSAPARILLÆ Radix.

Locus. Virginia, Mexico. *Perennis.*

FORMA. ſicc. Fibræ radicis longiſſimæ, plurium ulnarum, craſſitie pennæ anſerinæ, teretes, longitudinaliter undique ſulcatæ, flexibiles, cortice tenui rubicundo-cineraſcente, fibrillis ſparſis, filiformibus, breviuſculis, ſubramoſis; *parencymate* albo, farinaceo, ſicco, ſubinquinante, intra corticem; tum ſubligneo: medulla ſubfarinacea, alba, compacta; poſt ſectionem transverſalem notato centro medullari albo, majuſculo, obducto annulo ferrugineo undique punctato; circumdato margine albo.

PROPR. Odor vix ullus; *ſapor* debilis, ſubamaricans; *maſticata* ſicca, ſub maſticatione ſolvitur ſubſtantia farinoſa, & ſubmucilaginoſa ſentitur, remanet lignea pars tenax.

(*) *De Anodyna virtute venen.* p. 39.

VIRTUS: mundificans, ſaponacea.

USUS. Siphilis, Rheumatiſmus.

OBS. 1. *Decoctum* aquoſum ſpiſſiuſculum, ſaturate rubicundum, odore debiliſſimo, ſapore ſubmucilaginoſo, leniter amaricante, vitriolo martis prorſus nil demutatum. Agitatione cum virga paullulum ſpumeſcit decoctum hoc. *Infuſum* aquoſum, frigide paratum valida contuſione in aqua frigida, ſpiſſiuſculum, opacum, rubicundum, leniter amaricans; vitriolo martis non mutatum. Quiete ad fundum vaſis deponit hoc infuſum *amylum* album, inſipidum, copioſum, decoctione in aqua gelatineſcens: gelatina incarnata, rubicunda, bene glutinante.

OBS. 2. Frequentiſſimi uſus eſt Sarſaparilla in praxi medica, ſub forma Decocti, ut diluens & mundificans in lue venerea, rheumatiſmis & arthritide. Per ſe vix curat ſiphilitidem, niſi adjuta mercurio; attamen in lue venerea ejusque ſymptomatibus inveteratis revera multum prodeſt, ſublevando operationem mercurii. Proinde cl. FORDYCE (*) illam valde laudat in doloribus capitis venereis, doloribus nocturnis, ſcabie ulceribusque venereis, atque emaciatione ſiphilitica. Vult ille, ut Sarſaparill. unc. 3 coquantur in aqua, ad colat. libr. 2, & quovis die hauriantur. Agit Sarſaparilla principio amylaceo, quod decoctione cum aqua in gelatinam vertitur, in aqua ſolubilem.

501. SMILAX China. LINN. *Sp. pl. 1459. Mat. m. 461.*

China-wurzel. GMELIN *Reiſe durch Rußl. t. 3. p. 32. t. 6.*

Smilax ſarmentis ſpinuloſis, ſinuoſis, foliis 5-nerviis utrinque cordatis. RUMPH. *Amb. auctuar. p. 72. t. 30.*

Smi-

(*) *Medical obſervat. and. inquir. 1. p. 148.*

Smilax minus ſpinoſa, fructu rubicundo, radice virtuoſa China dicta ſ. Sankiva. KÆMPF. *Amœn.* 781. *t.* 782.

Fruticulus Convolvulus ſpinoſus ſinicus, floribus parvis umbellatis. PLUK. *Almag.* 101. *t.* 408. *f.* 1.

Pharm. CHINÆ Radix.

Locus. China, Japonia, Perſia. *Perennis.*

FORMA. ſicc. Radix ovato-oblonga, compreſſiuſcula, palmaris vel ultra, noduloſa, ponderoſa, obducta cortice tenui rubicundo-brunneo; *parencymate* ſolidiuſculo, pallide rubicundo, poſt ſectionem transverſalem æquali.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* vix ullus; *maſticata* ſicca, duriuſcula, comminuitur.

VIRTUS: mundificans.

USUS: Ptiſanæ diæteticæ.

OBS. 1. *Decoctum* aquoſum ſaturatius rubrum, ſaturatum, ſpiſſiuſculum, ſubgelatinoſum, odore & ſapore nullo; vitr. martis color non alteratur. *Infuſum* aquoſum, valida contuſione in aqua frigide paratum, ſpiſſiuſculum, rubicundum, odore & ſapore debili, non ingrato, vitriolo martis nil demutatum. Hoc infuſum, quieti redditum, ad fundum deponit *amylum*, ut in priore, decoctione in aqua gelatineſcens: gelatina fuſco-rubicunda, bene glutinante.

OBS. 2. Tubera teneriora a pauperibus colliguntur in ſolo natali, &, prout teſtatur RUMPHIUS, amylum dant, farinæ Sagu æmulum, quod in eſcam adhibent incolæ; ſed ſi copioſius eo veſcuntur, cachectici fiunt, ſæpe etiam hydropici.

OBS. 3. Radix Chinæ frequenter præſcribitur ad ptiſanas apparandas. Coquitur cum aqua, & fit ptiſana rubicunda, inſipida. Pars colorans eminet in hac radice, &, eo quod ſaporis expers eſt, commodus eſt

potus diæteticus, cui imponi poteſt ſapor quilibet pro cujusque lubitu; temperans eſt & involvens gelatinoſo ſuo, ex amylacea parte orto.

ORDO
OCTANDRIA.

502. POPULUS balſamifera. Linn. *Sp. pl.* 1464.
Populus nigra folio maximo, gemmis balſamum odoratiſſimum fundentibus. Catesb. *Carol.* 1. *p.* 34. *t.* 34. Duham. *Arbr.* 2. *p.* 178. *t.* 38. *f.* 6.

Pharm. *POPULI* oculi.

Locus. America ſeptentrionalis, Sibiria; copioſiſſime quidem ad lacum Baikal. Facile perfert noſtras hiemes. Propagatur ramulis diſſectis, tempore vernali. *Arbor excelſa.*

FORMA. rec. Gemmæ majuſculæ, ovato-oblongæ, acutæ, ſpadiceæ, imbricatæ: ſquamis firmis, oblongis, concavis.

PROPR. Gemmæ, tempore vernali tumidæ, ſimulac inter digitos comprimuntur, balſamum limpidum, ſpiſſiuſculum, aurei coloris, largiter fundunt, *odore* fragrante, vere gratiore, æſtate ingratiore, fere Rhei veri, *ſapore* ſubaromatico, amaricante, calidiuſculo.

VIRTUS: vulneraria.

USUS.

OBS. 1. Si gemmæ recentes in prelo calido exprimuntur, *Balſamum* dant butyraceum, fuſcum, rubeſcens, odore & ſapore ſupradicto. E Gemmarum unc. 4 obtinentur balſami drachmæ 2. Hoc balſamum accenſum flagrat; flamma fragrante, fumante, fuliginoſa. Solvitur in ſpiritu vini, non vero in aqua. Foliis

liis erumpentibus undique illinitur hoc balſamum, unde nitida fiunt; hinc ante foliorum eruptionem gemmæ colligendæ.

OBS. 2. Quoniam Populus balſamifera facile noſtrum clima perfert, hanc lubenter ſubſtituo Populo nigræ, quæ gemmas adeo parum balſamiferas gerit, ut in cenſum venire nec poſſit, nec debeat.

503. RHODIOLA roſea. LINN. *Sp. pl.* 1465. *Mat. m.* 477. OED. *Icon. t.* 183. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 2.

Rhodia radix. CLUS. *Hiſt.* 2. *p.* 65.

Pharm. *RHODIÆ* Radix.

Locus. Europa, in alpibus. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix majuſcula, fuſiformi-cylindrica, cinerea, glabra, lucidiuſcula, undique notata lacunulis depreſſis, ſparſis, ſæpe cicatriſatis; ramoſa: ramis tereti-fuſiformibus, ſparſis, radici conformibus. *Parencyma* carnoſum, albidum, poſt ſectionem transverſalem æquale, nebuloſum, annulo corticali, conflato e punctis oblongis, approximatis.

PROPR. rec. Odor debilis; *ſapor* ſtypticus; *ſiccat. odor* roſaceus, gratus.

VIRTUS: adſtringens.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum radic. recent. limpidum, odore nullo, ſapore ſtyptico; vitr. martis ſubito nigreſcit; hujus infuſi guttæ 10, aquæ unciæ ℥ inſtillatæ, addito vitr. martis, mox præcipitantur, colorem cæruleum aſſumunt, veluti flocculæ aquæ immixtæ, & in fundo manent in quiete; aqua vero ipſa tingitur colore purpureo. *Oleum ſtillat.* e radice deſtillationis ope eduxit cl. F. ZIERVOGEL, & e Radic. libra 1 obtinuit drachm. 1 olei ſtill. luteſcentis, odore & ſapore Li-

 gni

gni Rhodii. *Aquam ſtillat.* ex hac radice deſtillavit Luc. Debes (*), aquæ Roſarum non abſimilem.

ORDO
ENNEANDRIA.

504. MERCURIALIS annua. Linn. *Sp. pl.* 1465. *Mat. m.* 464.

Mercurialis mas & femina. Zannich. *Venez. t.* 296. Dod. *Pempt.* 647. Lobel. *Hiſt.* 131. Blackw. *Herb. t.* 162.

Pharm. *MERCURIALIS* Herba.

Locus. Europa, in umbroſis. *Annua.*

FORMA. rec. Radix alba, cylindrica, fibroſa, deſcendens. *Caulis* erectus, pedalis, glaber, geniculatus: internodiis compreſſis, alternis; lateribus 2 oppoſitis compreſſiuſculis; 2 aliis oppoſitis planis, angulatis, carina longitudinali. *Rami* ad genicula, ſtriato-ſulcati, oppoſiti, ſuperne folioſi. *Folia* oppoſita, petiolata, ovata, obtuſiuſcula, margine obtuſe ſerrata, minutim ciliata, utrinque glabra, lucidiuſcula, nervoſa, vix bipollicaria, patentia. *Petioli* ſemiteretes, ſupra canaliculati, glabri. *Stipulæ* 4 ad genicula, utrinque binæ, oppoſitæ, parvæ, lanceolatæ, concaviuſculæ, erectæ, ſubmembranaceæ. *Pedunculi* axillares, oppoſiti, foliis longiores, nudi, filiformes, ſtriato-tetragoni, erecti, ſuperne proferentes *amenta* globoſa, nuda, ſeſſilia; quorum inferiora remota, alterna; ſuprema conglomerata. *CAL. Perianth.* tripartitum: foliolis ovatis, acutis, ſubdiaphanis, atomis punctatis, plano-patentibus. *COR.* nulla. *STAM. Filam.* plurima, ſetacea, alba, longitudine calycis. *Anth.* ſubrotun-

(*) *Færoæ & Færoa reſerata,* p. 113.

tundæ. *PIST.* nullum. *Fœminei* flores in diſtincta planta. *Pedunculi* axillares, biflori, nudi, erecti. *Bracteæ* ſuboppoſitæ, ovatæ, obtuſæ, albidæ, in pedicello. *CAL. Perianth.* triphyllum: ſquamis ſubrotundis, albidis, planis, ſubæqualibus. *COR.* nulla. *STAM.* nulla. *Squamæ* 2, ſubulatæ, acutæ, utrinque ad latus germinis ſolitariæ, germine paullo longiores. *PIST. Germen* ſubrotundum, didymum, hiſpidum. *Stylus* vix ullus. *Stigmata* 2, ſubulata, patentia, longitudinaliter ſuperne hiſpida. *PERIC. Capſula* didyma, echinata, trilocularis. *Semina* ſolitaria, globoſa, in ſingulo loculamento.

PROPR. rec. Odor graveolens, fœtidus; *ſapor* ingratus, amaricans, ſubſalſus.

VIRTUS: ſuſpecta.

USUS.

OBS. Quandoquidem planta hæc tricocca eſt, judicat botanicus ſine hæſitatione, eam pro ſuſpecta habendam. Adhibetur quidem ſubinde ad clyſmata; ſed vis emolliens nondum rite nobis conſtitit.

ORDO
DODECANDRIA.

505. MENISPERMUM Cocculus. Linn. *Sp. pl.* 1468. *Mat. m.* 175.

Arbor ariſtolochiæ foliis, maderaſpatana, fructu parvo medicæ adinſtar convoluto. Pluk. *Almag.* 43. *t.* 13. *f.* 2.

Cocculus officinarum. Pluk. *Mant.* 52. *t.* 345. *f.* 2.

Cocci officinales. Bauh. *Hiſt.* 1. *p.* 348.

Cocculus piſcatorius levanticus. CAMELL. *Philoſ. transact. vol. 24. p. 1809.* *

Natſiatam. RHEED. *Malab. 7. t. 1. f. 1.*

Tuba baccifera, Cocculi indici & Tuba Bidji. RUMPH. *Amboin. 5. p. 35. t. 22.*

Cuculi de Levante. DALECH. *Hiſt. 1722.*

Pharm. COCCULI INDICI Fructus.

Locus. India orientalis. *Frutex.*

FORMA. ſicc. Nux ſubrotunda, latere altero ſinulo ſubreniformis, nigricans, ſuperficie ſubrugoſa, magnitudine ſeminis Piſi majoris, unilocularis; *nucleo* globoſo-reniformi, intra *Teſtam* cartilagineam.

PROPR. Sapor intenſe amarus, diutiſſime inhærens; *odor* nullus.

VIRTUS : venenata.

USUS. Pediculi; Piſces captandi.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. ſaturate rubrum, intenſe amarum; cum vitr. martis fuſceſcit.

OBS. 2. Indi hiſce nucibus ad piſces, immo etiam Crocodylos, captandos communiter utuntur; formant ex iisdem paſtam, admixto ſubinde ſtercore humano, quam in aquam injiciunt, ſive ſalſam ſeu dulcem; cum piſces eam delibant, tanta vertigine corripiuntur, ut manibus capi poſſint, non ideo tamen inſalubres eſui, quod hoc veneno perculſi fuere.

OBS. 3. *Radix* hujus fruticis apud Indos in tanta eſt æſtimatione, ut *Radix omnia ſanans* vulgo appelletur. Exhibere ſolent radicis vel ſarmenti drachm. ß, interne, in diarrhœis, concoctione læſa, indigeſtione, flatibus, colica, febribus malignis & intermittentibus. Externe adhibent pulverem radicis, in vulneribus recentibus, in ulceribus ſordidis & putridis, ubi deſiccat, detergit, conſolidat. CAMELLI.

OR-

ORDO
MONADELPHIA.

506. JUNIPERUS communis. LINN. *Sp. pl. 1470. Mat. m. 465.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 1.*
Juniperus vulgaris fruticoſa. DUHAM. *Arbr. 1. p. 321. t. 127.*
Juniperus minor. DALECH. *Hiſt. 67.*
Juniperus. BLACKW. *Herb. t. 187.* DODON. *Pempt. 804.*
Pharm. JUNIPERI Lignum, Summitates, Baccæ, Rob.
Locus. Europa frigidior, ſolo ſterili. *Arbuſcula.*
FORMA. Caulis fruticoſus, diffuſus. *Frutex* altitudine plurium pedum, ſæpe arboreſcens, caule craſſitie brachii vel ultra. *Rami* teretes, patuli, cortice tecti ſubolivaceo, læviuſculo, ſquamoſo. *Ramuli* ad angulum rectum fere patentes, ſparſi, vix determinati, inæquales, ſquamoſi; *Surculi* tenelli videſcentes, glabri, articulati; internodiis triquetris; angulis ſubſuccoſis, glabris, rotundatis, ſuperne attenuatis. *Folia* in ramulis tenellis & ſurculis ad articulos ſita, aceroſa, terna, verticillata, ſeſſilia, linearia, glabra, ſupra plano-concava, glauca, ſubtus convexa, carinata, læviuſcula, apice mucronata, pungentia, undique patentia, 3 vel 4 lineas longa. *Flores* maſculi & fœminei in diverſis fruticibus. *Baccæ* laterales in ramulis, ſolitariæ, ſubſeſſiles ſ. breviſſime pedunculatæ: pedicello craſſo, undique imbricato ſquamis ovato-acutis, adpreſſiuſculis; magnitudine ſeminis Piſi, nigro-violaceæ, globoſæ, glabræ, lucidiuſculæ, apice inſtructæ macula ſubrotunda, ſubrugoſa, ſulcis tribus, tri-

 fari-

fariam ſpectantibus; *parencymate* conſtante e pulpa ſpongioſo-ſubſucculenta, ferruginea, tenuiuſcula, intra corticem papyraceum. *Semina* 3 majuſcula, hinc plana, inde convexa, in hemiſphærium conniventia, intra pulpam.

PROPR. Summit. rec. Odor gratus, balſamicus; *ſapor* balſamicus, vix amaricans. *Bacc.* pulpæ *odor* aromaticus, ſatis gratus; *ſapor* dulcis, aromaticus, calidiuſculus, odori conſentaneus. *Semin. odor* debilis; *ſapor* aromaticus, non dulcis; *maſticata*, fragiliuſcula, ſicciuſcula. Baccæ non maturantur niſi biennii ſpatio, tota prima æſtate virides ſunt.

VIRTUS: Ligni & *ſummitat.* diuretica, ſudorifera, mundificans. *Bacc.* diuretica, nutriens, diaphoretica.

USUS: Ligni: Hydrops.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum *ſummitatum* Juniperi colore aureo, limpidum, odore aromatico, ſapore debiliore, odori congruente; vitriolo martis fuſceſcit; *Baccarum* leniter contuſarum limpidum, luteſcens, dulce, aromaticum; pulveratarum vero ſaturatius tinctum, reſinoſum. *Decoctum* ſeminum pulveratorum turbidum, minus dulce, reſinoſum.

OBS. 2. *Rob Juniperi* paratur e baccis recentibus Juniperi, leviuſcule contuſis & aqua ſubtepida extractis. Baccarum ſemina non debent contundi, ne calidum oleoſum ſimul extrahatur. Si infuſum baccarum ad conſiſtentiam mellis inſpiſſatur, fit Rob Juniperi, & obtinentur e Baccar. libr. 20 Rob circiter libr. 3, plus vel minus, prout diverſe maturæ fuere baccæ & earum maceratio protracta. Hoc rob dulce eſt & grate aromaticum. In Smolandia aliisque Sveciæ provinciis cereviſiæ loco utuntur infuſo Baccarum Juniperi per totam æſtatem & autumnum. Infuſum hoc, ſaturatius

ratius l. a. fermentatum, *ſpiritum* ardentem dat, larga quantitate, ſc. cong. 6 vel 8 ex baccar. tonna 1, cum ſeminibus contuſa, *Oleum ſtill.* baccar. Juniperi luteum eſt, odore ſubterebinthinato, ſapore acuto, calido, juniperino, natans. Ætate ad fundum vitri reſinoſas fæculas, inſtar Terebinthinæ, deponit, colore brunneo. E baccar. Junip. libr. 10 obtinuit cl. BAUMÉ unc. ß olei ſtill. leviter citrini. Cl. CARTHEUSER e baccis Juniperi olei $\frac{1}{40}$ extraxit, & *extracti* aquoſi pariter ac ſpirituoſi dimidiam ponderis partem.

OBS. 3. Si frutex Juniperi integer, cum caule, ramis foliisque, in aqua elixetur, & Baccæ inſuper leniter contuſæ ſaporis gratia addantur, decoctum id bonum effectum præſtat in hydrope, curamque interdum perficit. Rob Juniperi diureticum & edulcorans eſt lene, quare etiam in Svecia hinc atque illinc in uſum diæteticum adhibetur.

OBS. 4. De Junipero ſcripſit B. SCHARFFIUS (*), & quidem compilando, nec niſi paucas proprias obſervationes immiſcendo. Dum morbos recenſet, quibus medetur Juniperus, ætiologias & differentias eorum juxta tradit.

β. Juniperus vulgaris arborea. BAUH. *Pin.* 488.
Pharm. *SANDARACÆ* Gummi.
Locus. Africa. *Arbuſcula.*

FORMA. *Reſina* pallide luteſcens, homogenea, facie vitri, fere Maſtiches, ſolida, diaphana, in lacrymis oblongis, ſubpollicaribus, ſubcylindricis, compreſſiuſculis, lævibus, ſæpe rugoſis; fragilis, ſubfriabilis: fracturis planis, inſtar vitri pellucidis, nitentibus.

PROPR. *Odor* balſamicus, gratus, fere Maſtiches, ſed paullo fortior; *ſapor* debilis; *maſticata* inter

(*) *Arkeuthologia ſ. Juniperi deſcriptio.* Francof. & Lipſ. 1679.

inter dentes friabilis, comminuitur in pulverem tenuiſſimum, & maſticatione non coit. Ignis flammæ admota ſubito accenditur, emollitur, ſubdeſtillat, flagrat: flamma vivida, alta, fumante, valde fuliginoſa. In vaſe ferreo ſuper ignem lente emollitur, ſubfunditur initio, ſpargit odorem fortem & gratum, tenax fit, in fila ductilis, tandem fere funditur, accenditur a flamma admota, deflagrat, remanente carbone nigricante, ſubſplendente, ſicco, vix inquinante. Solvitur in ſpiritu vini; ſed non in aqua. In oleo ſtill. digeſta, non ſolvitur, verum emollitur pauxillum, & tingitur oleum colore dilute luteſcente; in oleo expreſſo ſolvitur imperfecte, valde tenax fit, & inficitur oleum colore luteſcenti-ſubvirideſcente. Reſina hæc, pulverata, abit in pulverem album.

VIRTUS: balſamica.

USUS: mechanicus; Suffimenta.

OBS. Hæc reſina opportuna eſt iis, qui vernices apparabunt. Scribæ ſolent pulvere Sandaracæ chartam raſam fricare, ne atramentum penetret.

507. JUNIPERUS lycia. LINN. *Sp. pl. 1471. Mat. m. 466.*

Cedrus phœnicea altera Plinii & Theophraſti. LOB. *Icon.* 221.

Pharm. OLIBANI Gummi.

Locus. Arabia utraque. *Arbor.*

FORMA. Gummi-Reſina pallide luteſcens ſ. rubicunda, in lacrymis majoribus, ovato-oblongis, utrinque obtuſis, magnitudine ſeminis Fabæ vel ovi columbini, ſolitariis vel geminis, ſæpe pluribus aggregatis, lævibus, ſubopacis; fragilis:

gilis: fracturis planiuſculis. Vilior *varietas* occurrit in maſſa majuſcula, marmorea.

PROPR. *Odor* balſamicus, reſinoſus. *Sapor* balſamicus, ſubamaricans; *maſticata* comminuitur, emollitur, dentibus adglutinatur, alba fit, ſolvitur lente: ſolutione lacteſcente. Solvitur trituratione in aqua: ſolutione lactea; digeſtione ſolvitur ſecundum partem in ſpiritu vini rectificato: tinctura luteſcente, transparente. In *oleo ſtillatit.* digeſta non ſolvitur perfecte, verum emollitur, & oleum pauxillum inficit; cum *oleo expreſſo* emollitur, non ſolvitur, nec id oleum tingit. Ignis flammæ admota accenditur, non liqueſcit, nec emollitur, flagrat candelæ inſtar, & lente conſumitur: flamma vivida, fumante, fuliginoſa, odore fere lintei accenſi, ſub deflagratione vertitur in carbonem ſiccum, nigricantem. In vaſe ferreo ſupra ignem ſudat, ſpargit odorem balſamicum; reſinoſa pars undique liqueſcit, ebullit in ſuperficie, fumat, non funditur, tandem undique vertitur in carbonem ignitum, absque flamma, qui ignem diutiſſime fovet; poſtremo, ab igne remota, tandem fatiſcit in favillam cineream, copioſam.

VIRTUS: vulneraria.

USUS: Suffimenta, Vulnera.

OBS. Maxima vis G. Olibani pro ſuffimentis in eccleſiis Romano-catholicis & Moſcoviticis quotannis conſumitur.

508. JUNIPERUS Sabina. LINN. *Sp. pl.* 1472. *Mat. m.* 467. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 5.

Sabina folio Cupreſſi. DUHAM. *Arbr.* 2. *p.* 242. *t.* 63.

Sabina. DOD. *Pempt.* 852.

Pharm.

Pharm. *SABINÆ* Herba.

Locus. Europa auſtralis, Oriens, Sibiria. *Arbuſcula.*

FORMA. *rec.* *Frutex* ramoſus, diffuſus, 3-vel 4-pedalis, vel ultra. *Rami* fuſceſcentes, teretes, ſparſi, valde ramuloſi: ramulis tectis ſquamis emarcidis, e foliis emortuis, ſubimbricatis; *teneri* ramuloſi, diſtiche patentes, virides, tecti *foliis* aceroſis, alternatim oppoſitis, linearibus, acutis, 2 lineas longis, convexis, medio dorſo obſolete ſulcatis, glabris, ſeſſilibus, longitudinaliter adpreſſo-adnatis, apicibus liberis, verum latere utrinque adpreſſiuſculis; *tenerrimi* vero ramuli imbricati foliolis conſimilibus, ſed duplo minoribus.

PROPR. *rec.* *Odor* fœtidus, gravis, fortis; *ſapor* amaricans, gravis.

VIRTUS: emmenagoga, abortiens, diuretica, ſangvinem emovens.

USUS. Scabies, Ulcera fungoſa, Porri venerei.

OBS. 1. *Oleum ſtill.* limpidum inſtar aquæ, odore & ſapore Sabinæ. Ex herbæ Sabinæ rec. libr. 23 obtinuit cl. Baumé olei ſtill. unc. 4 ß, & Hoffmannus ex herbæ Sabinæ unc. 32 accepit olei ſtill. unc. 5.

OBS. 2. Quamvis potens emmenagogum ſit Sabina, raro tamen præſcribitur ad obſtructionem menſium; eſt enim remedium nimis violentum, nimisque ſangvinem movens, eamque ob cauſſam ſemper periculoſum, ubi temperies mulieris calida eſt. Equis Sabinam oppido convenire, eosque alacres & geſtientes reddere, putant aurigæ noſtri, qui eam ideo ſtudioſe quærunt. Pulvis Sabinæ laudatur in carie oſſium, ubi inſpergendus; pariter etiam ad porros venereos tollendos.

509. CISSAMPELOS Pareira. LINN. *Sp. pl.* 1473. *Mat. m.* 459.
Butua radix. ZANON. *Hiſt.* p. 60. t. 41.
Coapeba. MARCGR. *Braſil.* 24. PIS. *Braſ.* 94.
Clematis baccifera glabra & villoſa, rotundo & umbilicato folio. PLUM. *Americ.* p. 78. t. 93. *Filic.* 1. t. 183.
Pharm. *PAREIRÆ BRAVÆ* Radix.
Locus. America meridionalis. *Perennis.*

FORMA. ſicc. Radix magna, craſſitie pollicari vel ultra, læviuſcula, cylindrica, ſubincurvata, extus cinerea, ſubrugoſa; *parencymate* ligneo, luteſcente, poſt ſectionem longitudinalem notato fibris longitudinalibus diſtinctis, approximatis, parallelis, craſſiuſculis, plano-lamellatis, verticalibus, ſerie concentrica, latere utrinque tenui epidermide obductis; poſt transverſalem autem diſco undique abrupte radiato, punctulato: punctis excavatis; centro medullari parviuſculo, ſubrotundo; annulis 3 vel 4, pluribusve, pro diverſa craſſitudine radicis, concentricis, remotis.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* amarus; *maſticata* tenax, ſaliva luteſcente.

VIRTUS: diuretica.

USUS. Arthritis.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum in balneo, luteum, odore vix ullo, ſapore amaro, acutiuſculo, inhærente; vitriolo martis leviſſime fuſceſcit.

OBS. 2. Nmeo non novit, quantum fama Pareiræ bravæ non ita pridem increbuerit, at quo jure, in medium relinquo. Certe vidi ego calculoſos, arthriticos & rheumaticos plures, qui ſatis diu uſum ejus absque ſucceſſu continuarunt.

OBS. 3.

OBS. 3. De hac radice ſcripſit M. F. LOCHNERUS (*), compilando, ita tamen, ut proprias etiam adjunxerit obſervationes.

ORDO
SYNGENESIA.

510. RUSCUS Hypogloſſum. LINN. *Sp. pl.* 1474. *Mat. m.* 469.

Hypogloſſum Dioſcoridis, Laurotaxa Plinii. COLUMN. *Ecphr. 1. p. 166. t. 165. f. 2.*

Ruſcus anguſtifolius fructu folio innaſcente. DUHAM. *Arbr. 2. p. 236. t. 59.*

Hippogloſſum. DOD. *Pempt.* 733.

Pharm. UVULARIÆ Herba.

Locus. Europa auſtralis. *Suffrutex.*

FORMA. rec. Caules plures ex una radice, erecti, teretes, glabri, ſtriati. *Folia* ſparſa, ſæpe gemina, ovato-oblonga, acuta, in petiolos breves deſinentia, virideſcentia, venuloſo-reticulata, integerrima, bipollicaria, patentia, utrinque glabra, nitidiuſcula. *Stipulæ* lineares, acutæ, membranaceæ, ſub petiolo. *Flores* ſubtus ſub foliis, ſeſſiles, ſolitarii, in medio folii ſiti. *Bractea* lanceolata, acuta, ſub flore, eodemque longior.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* amaricans, acriuſculus.

VIRTUS: leniter roborans.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum luteſcenti-rubicundum; vitriolo martis fuſceſcit.

511.

(*) *Schediaſma de Pareira Brava*, Norimb. 1719. Cfr. VALENTINI *Ind. liter. p.* 509.

511. RUSCUS aculeatus. LINN. *Sp. pl.* 1474. *Mat. m.* 468.

Ruſcus. DODON. *Pempt.* 732.

Ruſcus myrtifolius aculeatus. DUHAM. *Arbr.* 2. *p.* 236. *t.* 57.

Bruſcus. BLACKW. *Herb. t.* 155.

Myrtacantha murina ſpina, ſive Myrtus ſylveſtris. LOB. *Icon.* 637.

Pharm. RUSCI Radix.

Locus. Europa auſtralis. *Suffrutex.*

FORMA. ſicc. Radix facie radic. aſparagi, cylindrica, ſubtoruloſa, cineraſcens, fibris pluribus cylindricis, deſcendentibus, elongatis, frequentibus, cineraſcentibus.

PROPR. ſicc. Odor nullus; *ſapor* graviuſculus, ſubamaricans.

VIRTUS:

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum luteſcens tanquam potus Theæ, odore gravi, acuto, ingrato; ſapore conſimili; vitriolo martis vix obſcuraſcit.

 CLAS-

CLASSIS XXIII.

POLYGAMIA.

ORDO

MONOECIA.

512. VERATRUM album. LINN. *Sp. pl. 1479. Mat. m. 471.* GUNN. *Fl. Norv. 2. p. 1. t. 1. f. 1-6.*

Veratrum racemo ſupradecompoſito, corollis erectis. MILL. *Figur. t. 271.*

Helleborus albus exalbido flore. CLUS. *Hiſt. 1. p. 274.*

Helleborum ſ. Veratrum album. DOD. *Pempt. 379.*

Helleborus albus ſ. Veratrum. BLACKW. *Herb. t. 74.* LOBEL. *Hiſt. 167.*

Pharm. HELLEBORI ALBI Radix.

Locus. Europa, Oriens, Sibiria, in montoſis. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix carnoſa, fuſiformis, digitalis, albido-ſubluteſcens, undique inſtructa fibris teretibus, longis; *ſicc.* occurrit fibris reſectis undique ſcabra, cinerea; *parencymate* ſolido, pallide cinereo, poſt ſectionem transverſalem undique punctato.

PROPR. Odor rec. ingratus; *Sapor* recent. & ſicc. nauſeoſus, acerrimus, diu inhærens; *maſticata* fauces adurit.

VIR-

VIRTUS: venenata, emetica, draſtica, ſternutatoria.

USUS: externus; Scabies, Pediculi, Tinea.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum rad. ſicc. rubicundum, odore ſubhircino, ſapore acri, amaricante, fauces acrimonia ſua rodente, diu inhærente; vitriolo martis color ſibi conſtat. Adeo acre mihi erat hoc infuſum, ut, poſtquam id deguſtaſſem, & inſuper aquam bibiſſem, ardorem faucium, cum ſequente ſenſatione corrodente cardialgica, atque etiam oppreſſione pectoris, diu deinde ſuſtinerem. Poſt ſumtum cochlear aceti paullulum quidem remiſit cardialgia, ſed exorti ſunt dolores lancinantes infimi ventris, & usque in horam prandii poſteri diei partim tormina ventris ſenſi, partim dolores lancinantes vagos, cum quodam veluti Piperis ſenſu in faucibus. Inter pulverandum radicem conſurgunt pulviſculi, qui nares incenſe vellicant & ſternutationem cient. CONR. GESNERUS (*) hauſit drachmas 2 ex infuſo, parato ex Helleb. alb. drachm. ß & aquæ bullientis unc. 2., unde percepit ardorem circa ſcapulas & in facie capiteque, fervorem inſuper lingvæ & gutturis cum ſubſequente ſingultu, quo per ſemihoram perſeverante, non aliud ipſi relinquebatur, quam, penna digitisque in fauces inſertis, vomitum aliquoties provocare.

OBS. 2. Herba pecoribus omnino noxia eſt, quod quidem in vulgus notum, quamobrem etiam cujusque ruricolæ intereſt, ut mature exſtirpetur, cum e paſcuis, tum vero e pratis. Ergo igitur, prout obſervat cel. PALLAS (**), in quibusdam Ruſſiæ tractibus humidis, ubi hæc planta copioſius provenit, neceſſitas eſt colonis, fœniſicia adminiſtrantibus, omnes obvias ſtirpes, exquiſite edecumatas, ſubmovere. Equi autem

 ab

(*) *Epiſt. medic. fol. 69. a.*

(**) *Reiſe durch verſchied. Prov. d. Ruſſ. reichs, vol. 1. p. 48.*

ab eſu Veratri, fœno immixti, quod eſurientes devorant, non pereunt, ſed tamen gravibus inteſtinorum torminibus arripiuntur, ita ut ſudore diffluant (*). At minus male res iis vertit, ubi tempore verno hacce planta veſcuntur adhuc tenera & ante ejus floreſcentiam, tunc enim apud illos tantummodo alvus movetur; neque vero juniorem iſtam herbam reſpuunt, quin potius enixe appetunt, prout in equis Sibiricis obſervavit idem Pallas (**). Alias quoque mulos folia avide decerpſiſſe, in Helvetia animadvertit ill. v. Haller, qui hanc plantam nulli præterea animali veſcam eſſe aſſerit (***). Obſervatum in Ruſſia, ſemina ejusdem avibus domeſticis omnis generis deleteria fuiſſe (†); atque in Norvegia, nuda foliorum fruſtula, tantillum a pluribus gallinis vorata, eas omnes mox enecaſſe (††).

OBS. 3. *Uſus internus* Hellebori albi, a medicinæ patribus tantopere celebratus, apud nos jam pridem obſolevit. Quoniam acerrima eſt hæc radix, non facile commendari poterit, niſi maxima cum reſtrictione. Attamen non defuere hujus pharmaci patroni. Conr. Gesnerus, medicus quondam candidus pariter ac doctus, Helleborum album Antimonio longe antehabuit, & paſſim in epiſtolis ſuis ampliter eum laudavit. Sumſit ipſe aliisque propinavit Helleborum, & dicit ſe nunquam uſus ejus pœnituiſſe. Addit, ſemet creberrime Helleboro uſum eſſe „non ad purgandum, „ſed ad reſerandos meatus & craſſos humores attenu„andum, eosque a centro & interioribus corporis ad „ſuperficiem & vias excretionum variarum educen„dum. - - - Recreat & roborat, & hilariorem facit, & „acuit

(*) *L. cit.* (**) *L. c. vol.* 2. *p.* 190.
(***) *Hiſt. ſtirp. Helvet. tom.* 2. *p.* 96.
(†) Pallas *l. c. vol.* 1. *p.* 49.
(††) Gunneri *Flor. Norveg. part.* 2. *p.* 2.

„acuit ingenium: quod in me & aliis ſæpiſſime expertus ſcribo. Sed tenendus eſt modus" (*). Semper in forma liquida adhibuit Helleborum, ſc. Rc. Hellebor. alb. drachm. 2, Vini cretici unc. 6; ſtent in maceratione per menſem, additis, ſi placet, aromatibus. Hujus vini hellebor ati drachma ß „nihil movebit (ait), „augebis ſcrupulatim, 2, 3, 4, 5 ſcrupuli nihil movebunt; ſextus forte teneriorem aliquem moverit; „robuſtiorem ne ſeptimus quidem, ſed octavus aut nonus demum ſcrupulus, maxima admiratione: cum „ſex ſeptemve ſcrupuli nihil prorſus moveant, ſed exhilarent, ut dixi, & roborent, phlegmaticos præſertim: unum alterumve ſolum additum movere, & „quidem vehementer plerumque." (**). Sed frequentius utebatur oxymelle ſuo, ex Helleboro aromatibusque parato, de quo utraque pagina præclara enunciat. Hujus compoſitionem in alio libello (***) deſcripſit. Habebat bina oxymella; quorum unum majus, alterum minus vocabat. Certe igitur nemo jam dubitare poterit, quin maxime Helleboro ſuo confiſus ſit bonus ille Gesnerus, quare etiam in hæc verba erumpit (†): „Ego, ſi vixero, in Ellebori hiſtoria multa proferam, „quæ medici admirentur." Non nunc vacat plura antiquiorum medicorum de hoc pharmaco adducere teſtimonia atque encomia. Ego vix a memet impetrare potero, ut radicis, ita intenſe venenatæ, uſum internum cuiquam ſvaſurus ſim, niſi ſumma adhibita circumſpicientia; etenim conſtat, eam, in ſatis parca doſi propinatam, ſæpe horrenda ſymptomata excitaſſe, ut ſitim, cardialgiam, tormina, ſingultum, ſuffocationes, convulſiones, tremores, inflammationem primarum viarum, lipothymias, ſudorem frigidum, immo & mortem.

(*) *Epiſt. med. fol. 13. b.* (**) *l. c.*
(***) *De Aconito & Oxymelle Hellebor. &c. p. 21.*
(†) *l. c.*

513. VERATRUM, quod Mexicanum Sabadilli ſemen. VAN DER BECK *Act. phyſ. med. A. N. C. vol. 1. app. p. 120.*

Pharm. *SABIDILLI* Semen.

Locus. Mexico.

FORMA. ſicc. Capſulæ tres æquales, tereti-uſculæ, acutæ, ſemiungviculares, glabræ, bivalves, latere interiore longitudinaliter dehiſcentes, uniloculares, ſubdiſpermæ. *Semina* oblonga, ſubcylindrica, propria tunica obvelata.

PROPR. Odor vix ullus; *Sapor* capſulæ ipſius nullus, ſed ſeminum amariſſimus & acerrimus: acrimonia diu inhærente. Inter maſticandum lingva & fauces ſubito afficiuntur acrimonia cauſtica & valde pungente, ſed ſub maſticationis fine aliquid etiam ſubdulcis inter amarum prominet. Acerrimus ſtimulus durat poſtea ſatis diu, etiamſi fauces aqua frigida probe eluuntur, cum ſenſu intermixto ſubdulcis ſaporis. Mihi maculam excoriatam in lingva fecerunt ſemina, ubi paullo diutius illa retinui.

VIRTUS: venenata, draſtica, emetica, phthiriaca.

USUS. Pediculi,

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum capſulæ & ſeminum colore cereviſiæ tenuis, ſapore amaro, nauſeoſo; cum vitr. martis vix fuſceſcit. *Decoctum* aquoſum ſapore peramaro, colore rubro; e vitriolo martis nil alteratur. Inter pulverandum ſemina, commoventur nares, ut proritetur ſternutatio.

OBS. 2. Adeo ſpecifica ſunt hæc ſemina adverſus Pediculos, ut pulverata illos arceant, ſive ſint capillis capitis inſperſa, ſeu veſtibus inſuta. Uſus ſeminum externus nihil unquam noxæ, quod ſciam, ſecum habuit.

514. ANDROPOGON Schœnanthus. LINN. *Sp. pl.* 1481. *Mat. m.* 31.

Gramen dactylon aromaticum, multiplici panicula, ſpicis brevibus tomento candicantibus ex eodem pediculo binis. PLUK. *Almag.* 175. *t.* 190. *f.* 1.

Gramen dactylon maderaſpatenſe, cum plurimis ſpicarum paribus ad ſummum caulem velut in verticillos poſitis. PLUK. *Alm.* 175. *t.* 119. *f.* 2.

Gramen ad junceum accedens aromaticum, majus ſyriacum. MORIS. *Hiſt.* 3. *ſ.* 8. *p.* 229. *t.* 9. *f.* 25.

Comachee pillee. BROWN. *Phil. transact.* *v.* 23. *p.* 1251. *

Codipulu. RHEED. *Malab.* 12. *p.* 107. *t.* 57.

Pharm. *SCHOENANTHI* Herba.

Locus. India, Arabia. *Perenne.*

FORMA. ſicc. *Culmus* ſpithamæus, erectus, teres, ſtramineus, ſubſcabriuſculus, obſolete ſtriatus, inferne geniculatus, veſtitus vagina folii cylindrica, arcta, ſtriata, glabra, culmo concolore. *Folia* linearia, anguſta, ſubſpithamæa, concavo-canaliculata, minutim undique ſtriata, glabra, marginibus ſcabriuſcula, erecta; tenella ſubulata, ſcabrida.

PROPR. *Odor* aromaticus, cephalicus; *ſapor* aromaticus, odori conſentaneus, in Origanum creticum incidens, amaricans.

VIRTUS: ſtomachica, emmenagoga.

USUS.

OBS. *Aqua ſtill.* fragrans; *oleum ſtill.* parcum, fragrans, luteſcens, pungens; LEWIS.

515. ANDROPOGON Nardus. Linn. *Sp. pl. 1482. Mat. m. 32.*

Calamus odoratus Matthioli. Bauh. *Pin. 17. Theatr. 263.*

Pharm. SPICÆ NARDI Radix.

Locus. India. *Perenne.*

FORMA. ſicc. Radix ſubdigitalis, fuſco-ferruginea, ſubcylindrica, craſſitie digiti, undique veſtita retibus fibrillaribus, numeroſis, ſiccis, tenaciuſculis, ortis e vaginis annotinis; intra quas latitat truncus radicalis, cylindricus, geniculatus, albidus, fragilis.

PROPR. Odor fragrans, gratus; *ſapor* ſubdulceſcens, aromaticus, odori congruens, tum amaricans. *Maſticata* calida, oris halitu fragrante.

VIRTUS: quæ in præcedente.

USUS.

516. PARIETARIA officinalis. Linn. *Sp. pl. 1492. Mat. m. 472.* Kniph. *Bot. orig. cent. 4.*

Parietaria officinarum & Dioſcoridis. Zannich. *Venez. t. 272.*

Helxine. Camer. *Epit. 849.* Lob. *Hiſt. 130.*

Pharm. PARIETARIÆ Herba.

Locus. Europa auſtralis, in ruderatis. *Perennis.*

FORMA. rec. Caulis teres, pedalis vel ſupra, undique ſtriatus, pubeſcens, inferne ramoſus. *Rami* alterni, erecti, ſimplices. *Folia* alterna, petiolata, ovata, acuta, utrinque attenuata, integerrima, ſupra ſaturate viridia, lucida, rugoſa, ſubtus venis pubeſcentia, luci expoſita undique punctata, bipollicaria vel ultra, patentia. *Petioli* pallidi, ſtriati, ſupra canaliculati, minutim pubeſcentes. *Verticilli* florum axillares e foliis, ſubamplexicaules, conglomerati e pe-

pedunculis geminis, dichotomis, axillis omnibus floriferis. *Bracteæ* ſolitariæ, lineares vel ovatæ, obtuſæ, punctatæ, ciliatæ, ad diviſiones ſingulas verticilli, atque ad pedicellos. *CAL. Involucr.* diphyllum: foliolis ovalibus, bracteis ſimilibus. *COR.* monopetala, quadrifida: laciniis ovatis, acutis, concavis, villoſis, erectis. *STAM. Filam.* 4, lineari-ſubulata, corolla longiora, inſtante antheſi elaſtice reſilientia. *Antheræ* ovatæ, obtuſæ, didymæ. *PIST. Germen* ovatum, obtuſum, diaphanum, glabrum. *Stylus* nullus. *Stigma* ſimplex. Flores *fœminei* axillares intra verticillum, calyce nullo, corolla hermaphroditi ſimili.

PROPR. rec. Odor nullus; *ſapor* herbaceus, in Urticam incidens.

VIRTUS:

USUS.

517. ATRIPLEX hortenſis. LINN. *Sp. pl. 1493. Mat. m. 473.* DODON. *Pempt. 604.*

Atriplex hortenſis alba ſ. pallide virens. BAUH. *Pin. 119.*

Atriplex ſativa. LOBEL. *Hiſt. 127.*

Atriplex. BLACKW. *Herb. t. 99.*

Culinis ATRIPLICIS SATIVÆ Herba virens.

Locus. Tartaria. Colitur in hortis. *Annua.*

FORMA. rec. Radix ramoſa. *Caulis* pallide virideſcens, bi-vel tripedalis, erectus, inferne obſolete tetragonus, ſuperne teretiuſculus, groſſe ſubſtriatus, glaber, geniculatus: geniculis utrinque compreſſis, planis; ramoſus, diffuſus. *Rami* teretes, glabri, groſſe ſtriati, brachiati, erecti; inferiores oppoſiti; ſuperiores alterni; *teneri* apice denſius adſperſi farina cryſtallina, albida, abraſili. *Folia* petiolata, luteſcenti-viridia,

ſubſucculenta, venoſa, utrinque glabra, ſubtus rarius adſperſa pulvere tenuiſſimo; inferiora ſub-bipollicaria, deltoideo-haſtata, obtuſa, margine dentata; ſuperiora ovato-oblonga ſ. lanceolata, baſi rotundata, integerrima. *Racemus* terminalis, nudus, compoſitus, erectus, floribus ſeſſilibus. *Bracteæ* lineares, ſolitariæ, ramis racemi ſubjectæ. *Hermaphroditi* flores: *CAL. Perianth.* 5-partitum: laciniis lineari-ovalibus, obtuſis, concavis, patentibus. *COR.* nulla. *STAM. Filam.* 5, ſubulata, calycis laciniis ſingulis ſingula reſpondentia, patentia, calyce paullo longiora. *Anth.* didymæ: lobis globoſis. *PIST. Germen* parvum, ovatum. *Stylus* nullus. *Stigma* ſimplex. *Fœminei* flores in eadem planta. *CAL.* diphyllus, majuſculus; foliolis ovatis, æqualibus, planis, parallelis, conniventibus. *STAM.* nulla. *PIST. Germen* ſtipitatum, ovatum, glabrum. *Styli* 2, ſubulati, albi, erecti, calyce longiores. *Stigm.* acuta. *Sem.* hermaphrod. parviuſcula, orbicularia, nigricantia; fœminea compreſſa, intra valvulas calycis majores factas.

PROPR. rec. Odor nullus; *ſapor* debilis, herbaceus; *maſticata* folia ſubſucculenta, tenera, ſaliva luteſcenti-viridula.

VIRTUS: oleracea.

USUS: culinaris.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum herbæ recentis dilute citrinum, odore debiliſſimo, ſapore debili, in Portulacæ infuſum incidente; vitriolo martis nigro-fuſceſcit.

OBS. 2. In culinis coquuntur folia tempore æſtivo cum Cerefolio, Allio fiſtuloſo, carnibus, in juſculum oleraceum ſpiſſum.

518.

518. ACER platanoides. LINN. *Sp. pl. 1496.* TREW. *Ehret. t. 91.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 12.* MILL. *Fig. p. 6. t. 8. f. 1.* MUNT. *Aardgew. t. 57.*
Acer montanum. DALECH. *Hiſt. 83.*
Acer major. CAMER. *Epit. 63.*
Culinis ACERIS lympha.
Locus. Europa borealis. *Arbor.*
FORMA & PROPR. Truncus arboris, hieme anni poſt brumam, cælo temperato, prope radicem terebra inciſus, *lympham* ſtillat limpidiſſimam, aquæ fontanæ ſimillimam, *ſapore* dulci, melligineo, debiliore.
VIRTUS: mundificans.
USUS: culinaris.

OBS. 1. Lymphæ congius 1, pondere libr. 9 ß, ad conſiſtentiam mellis, h. e. ad pond. unc. 2 ß evaporatus, refrigeratione abit in *Extractum* tenax, in fila ductile, colore rubeſcente, ſapore dulci, fere infuſi Maltæ inſpiſſati. Hoc extractum loco ſacchari in culinis adhibent œconomi providi ac frugales.

OBS. 2. Plurimæ ſpecies ex Aceris genere, tempore hiemali, lympham ſtillant, dulcem, ſaccharatam, ex qua verum ſaccharum confici poteſt. Cl. GRUNER (*) ex Acere Pſeudoplatano LINN. ſaccharum eduxit. Inſpiſſavit lympham, forti ebullitione, ad quartæ partis remanentiam, quam, filtratam, denuo ad conſiſtentiam ſyrupi ſpiſſioris evaporavit. Ab igne remoto vaſe, continue agitavit liquorem inſpiſſatum, usquedum penitus refriguit, & ſic obtinuit magma ſaccharinum, colore & ſapore Sacchari Thomæi. Acer rubrum & ſaccharinum Penſylvaniæ incolis materiem ſacchari præbent; & vero proceſſus idem eſt. Inſpiſſatio peragitur decoquendo per horas 16, & ſub refrigeratione pariter continue agitando, ne ſaccharum nimis durum fiat. Ex

(*) *Fränckiſche Sammlungen, vol. 4. p. 36.*

Ex 10 congiis lymphæ habetur ſic libra 1 ſacchari, & quævis arbor procera dat 20 cong. lymphæ; DUDLEY (*). De Acere americano ſequentes obſervationes communicat DUHAMEL (**). Scil. hujus lymphæ congii 50 dant libras 10 Sacchari, duri, rubicundi, ſubdiaphani, odoris ſvavis, ſaporis dulciſſimi. Præſtat lympha ſub hieme diſtillans, quam quæ vernali tempore habetur, poſtquam gemmæ intumeſcere cœperunt, quia hæc ſaporem habet herbaceum, vix gratum, & ſaccharum, quod ex hac paratur, in aëre pronum eſt ad deliqueſcendum. Saccharum, quod ex lympha Aceris inſpiſſata in Canada paravit L. HENNEPIN (***), rubrum fuit & ſapidiſſimum.

519. MIMOSA nilotica. LINN. *Sp. pl. 1506. Mat. m. 261.*

Acacia vera. BAUH. *Hiſt. 1. p. 429.* VESLING. *Ægypt. t. 8.*

Acacia ægyptiaca. HERNAND. *Mexic. 866. t. 866.*

Acacia vera ſ. ſpina ægyptiaca, ſubrotundis foliis, flore luteo, ſiliqua paucioribus iſthmis glabris nigricantibus. PLUK. *Almag. t. 123. f. 1.*

Acacia. ALPIN. *Ægypt. p. 4.* *

Pharm. ARABICUM Gummi.

Locus. Libyæ deſerta. *Arbor.*

FORMA. Gummi in fruſtulis ſubrotundis vel hemiſphæricis, magnitudine ovi columbini vel nucis Juglandis, extus ſubrugoſum, rufeſcens, diaphanum; *parencymate* pellucido, luteſcente, fa-

(*) *Philoſ. tranſact. vol. 31. p. 27.*

(**) *Traité des Arbres, tom. 1, p. 32. ſequ.*

(***) *Nouveau voyage d'un païs plus grand que l'Europe, p. 325.*

facie vitri colorati, ſplendente, fragili: fracturis planis.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* nullus; *maſticatum* inter dentes primo duriuſculum, fragile; dein ſubemollitur, dentibus adhæret, tandem ſolvitur. In aqua pura ſolvitur: ſolutione mucilaginoſa, limpidiſſima, inſipida; ſed non ſolvitur in ſpiritu vini, nec in oleis. G. arabici unciæ 8, in aquæ libr. 2 ſolutæ, aquam in conſiſtentiam ſyrupi reducunt. Ignis flammæ admotum hoc Gummi, non liqueſcit, ſed tumet, fremit, ſæpe aërem explodit, nigreſcit, fumat, odore fere lintei accenſi, ignem fovet ut pruna, & poſtea in favillam fatiſcit cineream. In vaſe ferreo ſuper ignem non funditur, ſed nigreſcit, fumat, igneſcit absque flamma; admota flamma accenditur, flagrat: flamma exigua, remanente favilla atque carbone nigreſcente, ſplendente. Gummi arabicum acidum Sacchari continet; etenim G. Arabici 100 partes, cum 900 partibus acidi Nitri tractatæ, acidi Sacchari partes 21 porrigunt (*).

OBS. 1. Ex trunco arboris ſauciato diſtillat ſuccus gummoſus, initio liquidus, tenax, ſed, poſtquam in aëre exſiccatus eſt, in gummi abiens; hinc ſubinde muſcas incluſas deprehendis. G. Arabicum a Mauris in deſertis Libyæ colligitur, & ab iis poſtinde apportatur in Senegal, ubi commutatur cum panno & linteo cæruleo ferroque; Le Maire (*).

OBS. 2. Solutio G. Arabici in aqua pura, ſive calide ſeu frigide parata, bene glutinat. Statuunt multi, hoc gummi *nutrire*; quare caravana, ex Abyſſinia Cai-

(*) Torb. Bergman *diſſert. de Acido Sacchari*, p. 4.

(**) *Voyages aux iſles Canaries, Cap-verd, Senegal & Gambie.* Paris 1695. p. 75.

Cairum quotannis proficiſcens, G. arabicum, ut ſuccedaneum cibi, identidem adhibere ſolet; F. HASSELQUIST (*). Sic etiam Mauri Libyci G. arabicum e ſolo natali, itinere 500 leucarum, in oram Senegal exportantes, ſub iſto curſu nullo alio alimento fruuntur, quam G. arabico, in lacte ſoluto; LE MAIRE (**). Sic alii quoque Mauri, juxta Senegal habitantes, ſæpe victitant ſolo lacte & G. arabico, ut narrat cl. ADANSON (***). Sic etiam Arabes Beduini, in deſerto Sinai paſſim vagantes, ſatis avide G. arabico veſcuntur (†). Interim tamen nondum ſatis evictum arbitror, gummoſa revera nutriendi virtute pollere. Iſtud quidem arguere quodammodo videtur vis illa, quæ in G. Arabico ineſt, glutinandi; ſed tamen controverſioſa res eſt, ideo præſertim, quod hoc gummi fermentationem ſpirituoſam non ſubit, tanquam frumenta radiceſque tuberoſæ & dulceſcentes. Fortaſſis probabiliter dicere poſſumus, gummoſam ſubſtantiam minus nutrire, quam involvere ſangvinem, ab eſurie acrem.

OBS. 3. G. arabicum, in mucilaginem redactum, & cum oleis tritum, illa in aqua ſuſpendunt, ſub forma Emulſionis. E g. arab. parte 1 & olei expreſſ. p. 4, addita aqua, emulſionem habebis. Balſama liquida reſinasque ſolidas pariter in aqua ſuſpendit G. arabicum; ſolutione imperfecta.

OBS. 4. Planta aphylla, *Ôdja* dicta, exſtillat Gummi album, dulce, adhuc recens molle, ſumme tenax, edule; quod, ubi obduruit, ab Arabibus venditur nomine Gummi arabici; PET. FORSKÅL (††).

520.

(*) *It. palæſtin. p. 533.*
(**) *l. c. p. 76.*
(***) *Hiſtoire natur. du Senegal, p. 38.*
(†) G. C. v. NEITZSCHITZ *Weltbeſchauung durch Europa, Aſia und Africa.* Budiſſ. 1673. p. 187.
(††) *Flor. Ægyptiaco-arabic. p. 94.*

520. MIMOSA Senegal. Linn. *Sp. pl. 1506.*
Acacia. Alpin. *Ægypt. 9. t. 15.*
Acacia altera vera, ſiliqua longa villoſa, cortice candicante donata. Pluk. *Alm. 3. p. 251. f. 1.*
Arbor foliis pinnatis, ſpica pendula, ſericea. Catesb. *Carol. 2. p. 44. t. 44.*
Pharm. SENEGAL Gummi.
Locus. Arabia, Senegal. *Arbor.*
FORMA. Gummi in fruſtis majoribus, ſæpe magnitudine pomi minoris, ſubrotundis vel hemiſphæricis, præcedenti magis pallidum, colore albido, ſubcitrino, ſuperficie rugoſa; *parencymate* facie vitri, diaphano, fragili: fracturis pariter planis.
VIRTUS: ut in præcedenti.
USUS: ut in præcedenti.
OBS. G. Senegal communiter in officinis noſtris ſubſtitui ſolet G. arabico, quod quidem perinde fuerit.

ORDO
DIOECIA.

521. FRAXINUS excelſior. Linn. *Sp. pl. 1509. Mat. m. 475.* Duham. *Arbr. 1. p. 247. t. 101.*
Fraxinus. Dalech. *Hiſt. 83.* Blackw. *Herb. t. 328.* Dod. *Pempt. 821.*
Pharm. FRAXINI Cortex, Folia.
Locus. Europa, Carolina, Virginia, in pratis. *Arbor.*

FORMA. rec. Cortex ramulorum extus olivaceus ſ. brunneus, lævis, punctis elevatis pallidioribus, ſparſis, intus pallide cinereus. *Folia* brachiatim oppoſita, petiolata, pinnata, quadrijuga

ga cum impari: foliolis oppoſitis, vix ſpithamæis, ſeſſilibus, lanceolatis, ſerratis, utrinque attenuatis, apice producto, lanceolato; utrinque glabra, ſupra ſaturate viridia, ſubtus cinerea. *Petioli* glabri, ſupra plano-concavi, ſubtus convexi, baſi clavati. *Rachis* intra folia teretiuſcula, utrinque compreſſa, ſupra carinata. *Axillæ* foliorum inſtructæ *Gemmis* futuri anni, ſubrotundis, convexis, atris, glabriuſculis, magnitudine hemiſphærii ſeminis Piſi.

PROPR. rec. corticis: Odor nullus; *ſapor* acerbus; *foliorum: Odor* nullus; *ſapor* acerbo-amaricans.

VIRTUS: adſtringens.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum folior. rec. luteum, amaricans; vitriolo martis nigreſcit.

OBS. 2. Adverſus *ſerpentum morſum* cum ſucceſſu adhibuit cl. L. MONTIN (*) folia Fraxini recentia. Contudit illa cum vino gallico, ſuccumque expreſſit, cujus uncias 2 propinavit bis in hora per diem, ſicque continuavit, quoad omnia ſymptomata prorſus remiſerunt. Externe folia contuſa loco læſo applicuit. Sic unum Colubri Cherſeæ, & plures Colubri Beri ictu correptos ſe perſanaſſe refert. Sunt qui multum ſperant de Cortice Fraxini, in lacte vel aqua cocto, adverſus *vermes*, atque etiam contendunt, hunc corticem ſæpe vermes pepuliſſe, ubi alia fefellerunt.

522. FRAXINUS Ornus. LINN. *Sp. pl. 1510. Mat. m. 476.*

Ornus. DALECH. *Hiſt. 83.*

Fraxinus tenuiore & minore folio. BAUH. *Hiſt. 1. p. 177.*

Pharm.

(*) *Kongl. Vetenſk. Acad. handl. vol. 26. p. 151.*

Pharm. *MANNA CALABRINA, TABULATA.*

Locus. Europa auſtralis, Calabria, Sicilia, mons Garganus. *Arbor.*

FORMA. *Succus* melligenus, exſiccatus, facie mellis cryſtalliſati, ſubfriabilis, albido-luteſcens, occurrens vel in fruſtulis ſolidis, oblongis, ſubtubuloſis, molliuſculis, fragilibus: fracturis granulatis, albidioribus; vel in fruſtulis laxe conglomeratis, mollibus, plaſticis, fragiliuſculis.

PROPR. *Odor* nullus; *ſapor* melligenus, dulcis, ſubaceſcens; *maſticata* primum ſubfarinoſa ſentitur: inter dentes molliter ſubarenuloſum quid mentitur, mox ſolvitur, acuteque ſapidus evadit. Solvitur Manna in aqua pura, citius in calida: ſolutione limpida, colore aqueo, ſubluteſcente, dulci, quæ cum vitriolo martis invariata perſiſtit, & cum alcoh. vini non præcipitatur. Ad ſui ſolutionem requirit anaticam partem aquæ calidæ, ſalva limpiditate colaturæ; ſed ut hæc ſolutio refriguit, ſponte cryſtalliſatur, & plurimum mannæ ſub forma cryſtallina ad fundum deponit. Solvitur etiam in Spiritu vini, ſub digeſtione: ſolutione limpida; quæ, refrigerata, floccos ad fundum demittit albiſſimos, ſaccharinos. Manna cannulata in ſpiritu vini rectificato, in calore balnei digeſta, ſolvitur. Scil. Spir. vini rectif. drachm. 5 ſolvunt Mannæ gran. 40: ſolutione limpida; quæ, per chartam calide filtrata, adhuc limpidior fit; ſed inter refrigerandum abit in maſſam mollem, butyraceam, albiſſimam, axungiæ porcinæ ſimilem, dulcem, ſed ſapore inſimul ſpiritus vini. Hæc maſſa, in calore leni exſiccata, ſicca evadit, ſubmollis tamen, albidior, & longe facilius ſolvitur in aqua frigida, quam ipſa Manna; quæ ſolutio, dum vi-

vitro infunditur & in calore ſicco evaporatur, ſuper latera vitri cryſtalliſatur, ſub forma vegetativa, muſcoſa. Manna ſolvitur præterea in aceto vini, ſero lactis, decocto Tamarindorum, juſculis. Sed non ſolvitur in oleo expreſſo, ſive digeſtione ſeu trituratione, nec obtinetur Emulſio ex manna, oleo expreſſo & aqua. Ignis flammæ admota Manna, funditur, fremit, non accenditur, ſed deſtillat, odore Sacchari toſti, & ſi in charta excipitur, refert ſaccharum fuſum, verum mollior eſt, tenaciuſcula, ſubdiaphana, & maſticata dentibus adhæret, ſapore ſacchari toſti. In vaſe ferreo ſupra ignem funditur, ebullit, ſpumeſcit, fuſceſcit, & admota flamma tarde accenditur, tumet, & flagrat tandem cum ſtrepitu: flamma perbelle cærulea, planiuſcula, vix fumante, non fuliginoſa, odore fragrante ſacchari accenſi, remanente carbone conico, atro, rugoſo, molliuſculo, leviſſimo, inquinante. Manna fermentationem ſubit vinoſam & ſpirituoſam, ubi l. a. tractatur.

VIRTUS: edulcorans, eccoprotica, obtundens, pectoralis.

USUS. Laxans infantibus, Colica nephritica.

OBS. 1. Manna triplici modo in Calabria colligitur. A medio Junii ad finem Julii, cælo ſereno, calore ſolis extrahitur, e trunco & ramis arboris, liquor clariſſimus, qui ſponte in grumos ſpiſſeſcit albidos, poſtero die mane colligendos, abradendos cultris ligneis, & in ſole poſtea ſiccandos, atque hic *Manna in lacrymis* vocatur. Sed ab initio Auguſti, cum liquor ceſſat ſponte tranſudare, ruſtici inciſuras in cortice faciunt, unde a calore ſolis liquor quidam elicitur, qui poſt in grandes grumos ſponte inſpiſſatur, colore magis rubente, & hæc *Manna pingvis* ſ. *vulgaris* dicitur.

tur. Porro ruſtici, menſe Junii & Julii, fragmenta ligni ſeu ſtraminis in arbores illigant, quibus Manna, ſub ſtalactitidis forma, ſe adfigit, atque illa ideo *Manna cannulata* audit; & hæc quidem Manna, ut optima eſt, ita quoque carius æſtimatur (*).

OBS. 2. Laxandi ſcopo Manna frequentiſſime præſcribitur, doſi unc. 1 vel 2. Raro per ſe datur, ſed ſolvitur plerumque in decocto Tamarind. c. Senna, vel in ſero lactis. Mitigat tormina, quæ excitare Senna ſolet apud ſenſibiliores.

OBS. 3. Manna, quæ apud nos officinalis eſt, in Fraxino Orno colligitur. Sed hæc arbor non unica eſt, quæ Mannam producere poteſt. Obſervavit ill. DUHAMEL (**), *Salicem* in intenſo ſolis ardore Mannam tranſudare. Manna Perſica ex *Hedyſaro Alhagi* deſumitur, ut notavit RAUWOLF (***), & obvenit in granis parvis, ſubrotundis, luteſcentibus, ſeminibus Coriandri paullo majoribus; atque cognita eſt ſub nomine *Trunſchibil* vel *Tarandsjubin.* Omnino conſimilem Mannam in *Pinu Larice* collegit idem RAUWOLF. In *Quercubus* ad Merdinum Turciæ, ad Khounſar Perſiæ, & in Arabia, aliam Mannæ ſpeciem obſervarunt cl. NIEBUHR (†) & OTTER (††). Hæc Manna ſub duplici forma occurrit, & menſibus Julii & Auguſti ſupra arbores provenit. Communiter ſicca eſt, & ante ſolis ortum colligi debet, arbores quatiendo dum decidat; ex ſolis calore liqueſcit & deſtillat, inepta tunc collectioni. Hanc Mannam ſiccam *Kiezenguioui* vocant Kiurdi; quæ vero ſub autum-

Ggg 2

(*) Cfr. DUHAM. *tr. des Arbres*, *vol.* 1. *p.* 250; DOMIN. CYRILLO *in Philoſ. tranſact. vol.* 60. *p.* 235. Cfr. etiam *Philoſ. tranſact. vol.* 46. *p.* 470.

(**) *Phyſique des Arbres*, *part.* 1. *p.* 152.

(***) *Raiſs in die Morgenländer*, *p.* 94.

(†) *Beſchreib. von Arabien*, *p.* 145.

(††) *Voyag. en Turqu. & en Perſe*, *tom.* 1. *p.* 197. *t.* 2. *p.* 268.

tumno defluit, liquida eſt, & *Dgezek* ab illis nuncupatur.

OBS. 4. De Manna ſcripſere plures, inter quos eminent GEOFFROY (*) & E. A. NICOLAI (**). N. CLEVBERG (***) ſatis quidem operoſe ſcripſit de Manna, ſed hypotheſibus indulſit, & varia ex auctoribus compilavit. Differentiam Mannæ officinalis & Iſraëliticæ fuſius exhibet.

ORDO
TRIOECIA.

523. CERATONIA Siliqua. LINN. *Sp. pl. 1513. Mat. m. 455.* HASSELQ. *It. palæſtin. 492.*
Siliqua edulis. DUHAMEL *Arbr. 2. p. 262. t. 69.*
Carobe. BLACKW. *Herb. t. 209.*
Ceratonia. DALECH. *Hiſt. 112.*
Siliqua. CAMER. *Epit. 139.*
Pharm. SILIQUA DULCIS.
Locus. Europa auſtralis, Oriens. *Arbor.*

FORMA. ſicc. Legumen palmare vel ultra, undique fuſco-brunneum, glabrum, nitidiuſculum, lineare, latitudine apicis digiti, obtuſum cum puncto convexo, multiloculare; *parencymate* leguminis pulpoſo: pulpa ſiccata rufa. *Semina* ſolitaria in ſingulo loculamento, ovata, obtuſa, glabra.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* dulcis, melligenus; *maſticata* ſiliqua ſicc. fragiliuſcula, comminuitur, extrahitur pulpoſum: ſaliva rubicunda. Siccatæ ſiliquæ ſapidiores, quam recentes.

VIRTUS: edulcorans.

USUS. Tuſſis.

OBS. 1.

(*) *Traité de la Matiere med. t. 4. ſ. 1. p. 125.*
(**) *Syſt. Mat. medicæ p. 319.*
(***) *Diſp. de Manna*, Præſ. P. HOFFWENIO, Upſal. 1681.

OBS. 1. Si Siliqua dulcis in aqua, balnei calore, digeſta fuerit, *infuſum* dat rubrum, odore ungventario, ſapore dulci, in infuſum Maltæ incidente, & vitriolo martis ſtatim nigro-fuſceſcente. Si hoc infuſum caute inſpiſſatur, abit in *Extractum* obſcure rubrum, ſubdiaphanum, tenax, in fila ductile, dulce; quod, chartæ illinitum, adhæret, non vero glutinat.

OBS. 2. Gentes orientales ſuccum melligenum ex hiſce ſiliquis exprimunt, quo Condita ſua ſæpe præparant; Boeclerus.

524. FICUS Carica. Linn. *Sp. pl. 1513. Mat. m. 478.* Kniph. *Bot. orig. cent. 2.* Trew. *Ehret. 73, 74.*

Ficus. Dalech. *Hiſt. 336.* Dodon. *Pempt. 780.* Blackw. *Herb. t. 125.* Merian. *Surin. p. 33. t. 33.*

α.) Ficus ſativa fructu globoſo, albo, mellifluo. Duham. *Fruit. 1. p. 210. t. 1.*

β.) Ficus ſativa fructu violaceo longo, intus rubenti. Duham. *Arbr. 1. p. 236. t. 99. Fruit. p. 213. t. 2. f. 2.*

γ.) Ficus ſativa fructu parvo, globoſo, violaceo, intus rubente. Duham. *Fruit. p. 212. t. 2. f. 1.*

Pharm. CARICÆ PINGVES.

Locus. Europa auſtralis, Oriens, Aſia. *Arbor.*

FORMA. rec. Pedunculi laterales, breviuſculi, uniflori, ſubangulati. *Bracteæ:* ſquamæ 3, ſubcarnoſæ, planæ, ovatæ, acutiuſculæ, adpreſſæ, baccam calycis inſtar baſi fulcientes, virides. *Bacca* magna, turbinata, e receptaculo carnoſo orta, magnitudine fructus Pyri vel ſupra, colore viridi-luteſcente vel violaceo, pro ingenio cujusque varietatis, nitidiuſcula, apice obtuſo-rotundata, undique ſtriata, umbilicata: umbilico orbi-

biculato, vix prominente, perforato, ſed ſimul ſubclauſo: ſquamis plurimis, ovatis, acutis, ſubcarnoſis, glabriuſculis, ſubæqualibus, imbricatis, adpreſſis; in bene vero matura bacca umbilicus hiat. *Parencyma* rite maturæ baccæ carnoſo-ſucculentum, molle, rubicundum, centro cavo, intus undique veſtito ſeminibus; *ſiccatæ* vero baccæ turgidum pulpa melligena, rubicunda, ſubdiaphana, tenaci, digitis ſe adglutinante, & referta *ſeminibus* numeroſis, parviuſculis, ovatis, obtuſis, luteſcentibus, dorſo convexis, antice margine acutiuſculo, compreſſiuſculis, glabris, hilo marginali, prope apicem, puncto parvo.

PROPR. rec. Odor vix ullus; *ſapor* dulcis, in cucumerinum leniter incidens; *maſticata* bacca recens mucilaginoſa, ſolvitur qua majorem partem. *Sicc. odor* ſubungventarius; *ſapor* dulcis, melligenus, odori conſentaneus, gratus; Caricæ *maſticatæ* glutinoſæ; ſolvitur pulpa melligena, corticali parte molli, ſubpulpoſa, comminuenda.

VIRTUS: nutriens, emolliens, maturans, pectoralis.

USUS: Tuſſis, Furunculus, Abſceſſus, Angina.

OBS. 1. Fructus Ficus eſt bacca, e receptaculo carnoſo-ſucculento orta, uti fructus Fragariæ, ſed modo contrario; nam in Ficu ſemina latent intra receptaculum, dum in Fragaria externe ſita ſunt.

OBS. 2. *Caricæ pingves* officinarum ſunt fructus Ficus arboris, bene maturi & probe ſiccati. In Europa auſtrali, ubi rite maturuerunt, & in ſole ſiccatæ ſunt, in ciſtulas immittuntur, poſtque per Europam divenduntur. Sub frigidiori cælo ſemina maturitatem non asſequuntur. Apud nos frigidaria per hiemem tuentur arbores, quare etiam æſtivo tempore fructus ad quendam

dam maturatis gradum perveniunt, ſatque ſapidi fiunt, ſine tamen ſeminibus perfectis, ſed tantummodo eorum rudimentis. Hi fructus, dum reſecantur, internam ſuperficiem ſcabram e floribus perſiſtentibus monſtrant; & in ſole ſiccati extus nigreſcunt, ſicci evadunt & parum pulpoſi, attamen dulceſcentes. Atqui Caricæ, quæ ab Europa auſtrali afferuntur, præſtantiſſimæ ſunt, & non caprificatæ; ex apice ad baſin compreſſæ occurrunt, orbiculos referentes, eosque molles, luci expoſitæ ſubdiaphanæ. Hæ Caricæ diu quidem ſe ſuſtinere poſſunt, aſt poſt aliquod tempus ex illis effloreſcit pulvis ſaccharatus, quo undique obteguntur, & ut iſte pulvis maxime effloreſcit, ita maxime effœtæ evadunt ipſæ Caricæ, ſaporem dulcem perdunt, vappidæ fiunt ſ. amaricantes, & tandem putreſcunt, cum quodam fœtore. Hinc præſtant caricæ non ſaccharatæ.

OBS. 3. Solvitur pulpa Caricarum ſecundum partem in aqua frigida, perfectius vero in fervida: *infuſo* rubicundo, turbidiuſculo, ſubopaco, dulci, odore & ſapore Caricarum, a vitriolo martis nil demutato. In ſole collocatum hoc infuſum perfecte fermenteſcit; quod etiam valet de decocto Caricarum. Pulvis ſaccharatus Caricarum pariter ſolvitur in aqua pura, & ſolutio colata nullas cryſtallos mihi dedit, ob glutinoſum prædominans.

OBS. 4. Ficus fructus immaturus, ſauciatus, lac ſtillat acre, ſicut etiam tota arbor.

OBS. 5. *Caprificatio* Ficuum in Europam ſuperiorem nondum introducta, ſed in Melita & Archipelagi inſulis frequentiſſima eſt. Ad florum fœcundationem nihil confert Caprificatio, quod quidem plures putarunt, ſiquidem Caricæ europææ ſemina perfecta perficiunt, quæ, ubi ſeruntur, rite progerminant. Huc accedit, quod Cynipes ipſa germina corrodunt, prout obſer-

vavit F. Hasselquist (*). Nec bonitati fructus hac encheireſi conſulitur. Econtra Caricæ caprificatæ deteriores evadunt; nam quod ad partem ſubſtantia melligena a vermiculis conſumitur, quare etiam ſemper ſicciores deprehenduntur quæ caprificatæ fuere, ad quod id quoque confert, quod in furno ſiccandæ erunt, ut verminoſa nidificia deſtruantur. Itaque prudenter agunt, qui a caprificatione abſtinent. Veriſimile eſt, Caprificationem nihil aliud efficere, quam ut citius increſcat atque maturetur fructus.

CLAS-

(*) *It. palæſtin. p. 425.*

CLASSIS XXIV.
CRYPTOGAMIA.
ORDO
FILICES.

525. EQUISETUM hyemale. LINN. *Sp. pl.* 1517.
Equiſetum. CAMER. *Epit.* 770. *f. A.*
Pharm. *EQUISETI MAJORIS* Herba.
Locus. Europa, in ſylvis aſperis, uliginoſis. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix ſubcylindrica, nigricans, geniculata, ſcabrida, deſcendens, fibris lateralibus, capillaribus. *Caulis* pedalis, pallidus, erectus, ſimpliciſſimus, teres, undique ſtriatus: ſtriis elevatis, ſcabris: punctulis parvis, elevatis, duris, ſerie longitudinali diſpoſitis; geniculatus: geniculis coarctatis, cinctis *Vaginis* pyxidatis, cylindricis, undique ſtriatis, truncatis, margine minutim crenulatis, duas lineas longis, cauli concoloribus, ſed apice & baſi nigris, ſæpe etiam omnino nigris, pariter ſcabris. *Spica* terminalis, ſolitaria, ovata, acuta, baſi cincta vagina ſerrata, ſeſſilis, albida.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* debilis.

VIRTUS: leniter adſtringens.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. luteſcens velut potus theæ, *odore* fere infuſi Theæ ſinenſis; *ſapore* in eandem Theam incidente; vitriolo martis fuſceſcit.

OBS. 2. Equiſetum arvenſe LINN. *Sp. pl.* 1516. apud nos etiam officinale eſt, & *Equiſetum minus* in officinis vocatur. In omnibus cum Equiſeto hyemali convenit, & perinde fuerit, quænam ſpecies ſumatur.

526. ASPLENIUM Scolopendrium. LINN. *Sp. pl.* 1537. *Mat. m.* 481.

Lingva cervina officinarum. PLUM. *Filic.* 34. *t. A. f.* 4. BLACKW. *Herb. t.* 138.

Phyllitis. CAMER. *Ep.* 579. DOD. *Pempt.* 464.

Pharm. SCOLOPENDRII Herba.

Locus. Europa auſtralis. *Perenne.*

FORMA. Filix ſtipite cylindrico, craſſitie vix culmi ſecalini, palmari, glabro, hinc convexo, inde planiuſculo, erecto, apice ſcabro: ſquamis plurimis linearibus, acutis, ferrugineis. *Frons* integerrima, ſpithamæa, lanceolata, acuta, utrinque glabra, inſtructa nervis tenuibus, furcatis, ſubtransverſalibus, parallelis; verſus baſin paullulum anguſtior, baſi excavata. *Fructificationes* in averſa pagina, lineares, ſubtransverſales, parallelæ, frequentes.

PROPR. rec. Odor ingratus; *ſapor* acerbus; *ſiccatione* odor prorſus perit.

VIRTUS: adſtringens.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum colore infuſi Theæ; ſapore validiuſculo; vitriolo martis fuſco-nigreſcit.

527. ASPLENIUM Ceterach. LINN. *Sp. pl.* 1538. *Mat. m.* 482. BLACKW. *Herb. t.* 216. PLUM. *Filic.* 33. *t. B. f.* 3. BARREL. *Icon.* 1043. 1044.

Pharm. CETERACH Herba.

Locus. Europa auſtralis, Oriens. *Perenne.*

FOR-

FORMA. Filix ſtipitibus aggregatis, filiformibus, pollicaribus, compreſſiuſculis, ancipitibus, glabris. *Frons* ſemidigitalis vel ultra, ſupra glabra, runcinata: lobis ovatis, obtuſis, integris, alternis, confluentibus. *Fructificatio* totam paginam inferiorem tegens, ſquamuloſa: ſquamulis linearibus, acutis, viridibus, imbricatis, adpresſiuſculis.

PROPR. Odor debilis; *ſapor* herbaceus, ſubadſtringens, ſubmucilaginoſus.

VIRTUS: leniter adſtringens.

USUS.

OBS. Infuſum aquoſum rubicundum, ſubaromaticum, leniter ſubſtypticum; vitriolo martis fuſco-nigreſcit.

528. ASPLENIUM Trichomanes. LINN. *Sp. pl. 1540. Mat. m. 483.*

Trichomanes ſeu Polytrichum officinarum. PLUM. *Fil. 26. t. V. f. 1.*

Trichomanes. CAMER. *Epit. 925.* DOD. *Pempt. 468.* BLACKW. *Herb. t. 370.*

Pharm. TRICHOMANIS Herba.

Locus. Europa, Oriens. *Perenne.*

FORMA. Filix ſtipitibus aggregatis, filiformibus, nigricantibus, lævibus, nitidiuſculis, ſubflexuoſis, erectis, hinc convexis, inde planiuſculis, biangulatis. *Frons* ſtipite longior, rachi nigricante e ſtipite continuato orta; pinnata: pinnis ſuboppoſitis, ſubſeſſilibus, ovatis, obtuſo-rotundatis, ſupra glabris, ſublineatis, crenatis, patentibus, baſi ſurſum latioribus. *Fructificationes* ſitæ in ſquamis oblongis, paginæ inferiori adnatis, ſparſis.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* ſubdulceſcenti-adſtringens.

VIRTUS: leniter adſtringens.
USUS.

529. ASPLENIUM Ruta muraria. LINN. *Sp. pl.* 1541. *Mat. m.* 484. BREYN. *Centur. t.* 97.
Paronychia. CAMER. *Epit.* 785.
Ruta muraria. DOD. *Pempt.* 467.
Pharm. RUTÆ MURARIÆ Herba.
Locus. Europa, e rupium fiſſuris. *Perenne.*
FORMA. Filix ſtipitibus aggregatis, filiformibus, ſubangulatis, erectis, inferne nigricantibus, ſuperne viridibus, glabris. *Frons* longitudine ſtipitis, rachi e ſtipite continuato, compreſſa, diſticha, viridi; pinnata: pinnis alternis, petiolatis, cuneiformibus, nervoſis, glabris, apice obtuſo-rotundatis, crenatis, ſublobatis, remotiuſculis, erecto-patentibus. *Fructificationes* ſitæ in ſquamis linearibus, ſparſis, paginæ inferiori longitudinaliter adnatis.
PROPR. Odor nullus; *ſapor* ſubdulceſcens, acerbiuſculus, ſubadſtringens.
VIRTUS: leniter adſtringens.
USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum luteſcens, limpidum, ſubdulceſcens, ſubſtypticum; vitriolo martis fuſco-nigreſcit.

530. POLYPODIUM vulgare. LINN. *Sp. pl.* 1544. *Mat. m.* 485. PLUM. *Fil.* 27. *t. A. f.* 2.
Polypodium majus. DOD. *Pempt.* 461.
Polypodium quercinum. BLACKW. *Herb. t.* 215.
Polypodium. LUDW. *Ectyp. p.* 9. *t.* 18.
Pharm. POLYPODII Radix.
Locus. Europa, e rimis rupium. *Perenne.*
FORMA. rec. Radix horizontalis, repens, cylindrica, craſſitie pennæ anſerinæ, undique tuber-

tuberculata: tuberculis elevatis, truncatis, ſparſis, remotis; undique veſtita tegmine e ſquamis ferrugineis, emarcidis, lanceolatis, acutis, imbricatis; radicans fibris plurimis elongatis, filiformibus, ramoſis, tomentoſis, ferrugineis, deſcendentibus, longitudinaliter diſpoſitis. *Parencyma* carnoſum, albidum, ſubrubeſcens, poſt ſectionem transverſalem æquale, punctis ſparſis.

PROPR. rec. Odor ipſius radicis nullus; tegminis vero muſcoſus. *Sapor* prædulcis, remisſior quam Liquiritiæ; *maſticata* comminuitur, dulcis ſentitur, ſed inſimul ſubamaricans.

VIRTUS: edulcorans, pectoralis; *rec.* eccoprotica.

USUS. Tuſſis, Arthritis.

OBS. *Infuſum* aquoſum radic. rec. limpidum, ſubcitrinum, dulciſſimum, odore debiliſſimo; cum vitr. martis fuſceſcit.

531. POLYPODIUM Filix mas. LINN. *Sp. pl. 1551. Mat. m. 486.* KNIPH. *Bot. or. cent. 6.* GUNN. *Fl. norv. 4.*

Filix mas. FUCHS. *Hiſt. 594.* DOD. *Pempt. 459.* BLACKW. *Herb. t. 323.*

Fougère mâle. *Traité contre le Ténia, tab. 3. fig. A — P.*

Pharm. FILICIS Radix.

Locus. Europa, in ſylvis ſterilibus. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix oblonga, craſſa, ſubhorizontalis, undique extus conflata e bulbis parallelis, approximatis, ovato-oblongis, acutis, nigricantibus, læviuſculis, ſive obtectis ſquamis paleaceis emarcidis, ferrugineis, oblongis, nudis ſive in ſtipites frondium ſe exſerentibus, ex ipſa radice protruſis. *Parencyma* ſubcarnoſum, albido-

do-luteſcens, poſt ſectionem transverſalem notatum diſco æquali, margine lobato.

PROPR. rec. Odor debilis, ſubnauſeoſus; *ſapor* ſubſtypticus, non ingratus; *maſticata* comminuitur, lingvæ imprimit ſaporem peculiarem, debiliter ſubaromaticum, vix dulceſcentem, acriuſculum.

VIRTUS: anthelminthica, emmenagoga, abortiens, lac promovens.

USUS. Tænia.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum rad. rec. limpidum, luteſcens, odore fungoſo, ſapore radicis; vitriolo martis nigreſcit.

OBS. 2. Cl. Olivier obſervationem Aetii de vi abortiva hujus radicis experimento confirmavit (*).

OBS. 3. Vis hujus radicis ſpecifica ad pellendas Tænias inde ab antiquiſſimis temporibus nota fuit. Non Galenus ſolum, ſed & Dioscorides, juſſerunt, ut hujus radicis drachmæ 4 ex aqua mulſa pro doſi propinarentur, ad enecandos lumbricos longos & latos. Avicenna de Tænia prædicat, quod reſiſtit abſynthio, & vix pellenda, niſi Filice. Per ſeriem temporum a plurimis medicis laudata eſt hæc radix contra Tæniam, &, ut obſervat Valer. Cordus, germanice dicta eſt *Faren-Kraut*, h. e. herba ad Tænias, quia ſpecifica facultate infeſta deprehenſa eſt lumbricis latis. Noſtro ævo Fredr. Hoffmannus de hac radice enunciat, quod eſt lumbricorum longorum & latorum præſentiſſima peſtis. Nic. Andry, medicus Pariſienſis (**), initio hujus ſeculi, vim hanc ſpecificam exploravit, exploratamque cum publico communicavit.

Do-

(*) *Journal de medecine de* Vandermonde, *tom.* 12, 1760. *p.* 129.

(**) *De la generat. des vers dans le corps de l'homme.* Amſterd. 1701. *p.* 170. *ſeq.*

Docet is, radicem Filicis, doſi drachm. 2 vel 3, cum melle tritam, vel in poculo vini commixtam, Tæniam quidem enecare, ſed non expellere, cum per ſe minime purget hæc radix, eamque ob cauſſam ſvadet, ut purgans poſtero die propinetur, ad expurgandum vermem mortuum, qui alias putreſceret, atque ita nocere poſſet. Monet inſimul, hanc doſin, quandoquidem non ſemper juvat prima vice, repetendam ter quaterve, ſingulis alternis diebus, ſed aſſidue purgandum diebus intercalaribus. Infantibus teneris & lactantibus injungit doſin drachmæ ß in lacte, diſtribuendam bipartito, nempe grana 15 una hora, & 15 iterum altera, & poſtmodo laxans die ſequenti. Obſervat generatim, expedire illis, quibus alvus laxa ſit, ut anthelminthica iſta reſtringentibus maritentur, ne juſto citius per tubum inteſtinalem decurrant. Addit denique, hanc radicem, nimirum Filicis fœminæ qua plerumque uſus fuit, convenire omnibus ſubjectis, tam infantibus quam adultis, etiam febre laborantibus, ſemperque ſymptomata mitigare. Cl. Marchant (*) teſtatur, conſtare innumeris experimentis, radicem Filicis eſſe mire bonum & certum remedium ad expellendos vermes. Poſt tam lucidam prælatam facem, medici tamen ſequentis intervalli circa curam Tæniæ cæcutierunt, nimis parca doſi peccantes, quo ipſo locum reliquerunt arcanariis rem notam inter arcana ſua antidota referendi & ultro citroque venditandi. Inter hos eminuerunt ipſe ille Andry ejusque gener Dionis, qui potionem quandam, cujus baſis erat radix Filicis, adornarunt, & ut eximium contra Tæniam ſpecificum præconiaverunt. Prodiit poſt deinde cl. Herrenschwand cum ſuo ſpecifico adverſus Tæniam, quod quidem ita ſe habet: Rc. Rad. Filicis gr. 15-30, G. Gutt. gr. 1-5, herb.

(*) *Hiſt. de l'Academie des ſciences, 1714. p. 49.*

herb. Gratiol. gr. 5 - 12; Mr. f. pulvis, doſi ad cujusque ſubjecti ætatem aptata. Juſſit tres tales doſes eſſe ad manus. Ordiendum ſvaſit a purgante quodam ex Mercurio dulci & Diagryd. ſulphur. ana gr. 10; ſequenti die mane ſumendum eſſe primum pulverem e tribus illis ſupradictis, qui etiam communiter vomitum movit cum purgatione alvi; porro poſt duas horas propinandum pulverem ſecundum, qui valide purgavit, & plerumque Tæniam expulit; tandem vero, ſi Tænia non ſecederet, ſumendum præcepit pulverem tertium poſt alias binas horas. Tamen ſæpe accidit, ut Tænia non ante poſterum diem abierit (*). Ad extremum vidua cujusdam Chirurgi in Helvetia, nomine NOUFFER, ſpecificum contra Tæniam venditavit, bonoque cum ſucceſſu adhibuit, partim ipſa, partim per emiſſarium cl. MEURICOFFRE, qui ejus rei cauſſa Europam fere totam peragravit. Atque ab hac denique vidua Rex Galliæ nuper, amore ductus ſcientiæ ut & pietate erga miſeros, dictum arcanum magno ſatis pretio mercatus eſt, moxque ut publici juris fieret clementiſſime juſſit. Ipſius etiam nutu ac mandato experimenta indubia ſuper vera ratione & efficacia memorati remedii inſtituta fuere, atque poſtmodum formula totumque regimen typis divulgata (**). Baſis hujus remedii eſt radix Filicis maris, ſat larga doſi propinata. Sumendum laxans quoddam, ſi opus fuerit, & cœna ſit brevis, juſculum duntaxat panis. Poſtero die mane æger deglutiat pulveris rad. Filic. drachmas 3, cum aqua ſtill. Filicis vel flor. Tiliæ commixtas. Infantes doſi parciori pulverem radicis ſumant. Si mixtura hæc nau-

(*) Cfr. ill. b. m. NIC. ROSÉN VON ROSENSTEINS *underrättelſe om barns ſjukdomar*, *edit.* 3. p. 377.

(**) *Précis du traitement contre le Ténia, ou Ver ſolitaire, pratiqué à Morat en Suiſſe, examiné & approuvé à Paris. Publié par ordre du Roi.* Paris 1775.

nauſeam moverit, corticem citri maſticare licebit, vel fauces elui poterunt grato quodam liquore. Sed ſi vomitu rejiciatur pulvis, integra doſis denuo propinanda. Bihorii ſpatio poſt ſumtam radicem, propinetur bolus purgans, ex panaceæ mercurialis & reſinæ Scammonii ana gran. 12, atque gummi Guttæ gr. 5; quæ doſis reſpectu ætatis & conſtitutionis ægrorum moderanda erit. Poſt ſumtum bolum, hauriantur infuſi Theæ viridis vaſcula bina, quæ repetenda ſub inſequente purgatione. Sub toto hoc decurſu æger ſupra ſellam perforatam continue ſedere debet, usque dum Tænia excluſa fuerit, quo facto juſculum carnis porrigere licebit. Si bolus purgans alvum ſufficienter non ſolverit, poſt 4 horas ſalis Anglic. unciam ß vel 1, in aqua ſolutam, dare oportet, præſertim ſi Tænia ſecedere nolit, vel etiam ſi ex ano dependeat, quo quidem in caſu diſſvadenda tæniæ extractio, ut ne aliquo loco abrumpatur. Si Tænia primo die non abierit, proximo die mane repetenda eſt doſis integra radicis, ſed ſufficit tunc dediſſe purgans ſalinum. Atque hocce modo pluries repeti poteſt hæc cura, dum ſanitatem integram recuperet æger. Ceterum hæc omnia fuſius legi poterunt in poſteriore libello, regio juſſu typis vulgato (*). Nos hac via ſæpiſſime Tænias expulimus, & vidimus ægros, qui pluries curſum hunc peregerunt, quavis vice excluſis Tæniis, unde patet, plures Tænias apud unum idemque ſubjectum ſimul & ſemel eſſe poſſe, quod etiam ex eo evincitur, quod 2 vel 3 Tæniæ cum tenui extremitate unica vice propulſæ obſervatæ ſint.

532. ADIANTHUM pedatum. Linn. *Sp. pl.* 1557.
Adianthum americanum. Cornut. *Canad.* 7. *t.* 6.

(*) *Traitement contre le Ténia ou Ver ſolitaire, pratiqué à Morat en Suiſſe, examiné & éprouvé à Paris; publié par ordre du Roi*, Paris 1775.

Adianthum fruticoſum americanum, ſummis ramulis reflexis & in orbem expanſis. Pluk. *Almag. t. 124. f. 2.*

Pharm. ADIANTHI Herba.

Locus. Canada, Virginia. *Perenne.*

FORMA. Filix ſtipite filiformi-cylindrico, nigricante, lucido, lævi, erecto, longitudine frondis. *Frons* pedata. *Rachis* e ſtipite continuato, compreſſa, ramis alternis, erectis, ſtipiti conformis. *Folia* alterna, breviter petiolata, diſtiche patentia, viridia, nervoſo-lineata: nervis obſoletis, parallelis, unde ſubrugoſa apparent; ſemirhombea, baſi recta, margine inferiore integro, ſuperiore inciſo, crenato, apice obtuſo rotundato, pariter crenato; terminalia cuneiformia. *Fructificationes* marginales, terminales, margini folii reflexo & adpreſſiuſculo inſidentes.

PROPR. Odor debilis; *ſapor* acerbiuſculus.

VIRTUS: leniter adſtringens.

USUS.

533. ADIANTHUM Capillus veneris. Linn. *Sp. pl. 1558. Mat. m 480.*

Adianthum. Cam. *Epit. 924.* Dod. *Pempt. 466.*

Pharm. CAPILLI VENERIS Herba.

Locus. Europa auſtralis. *Perenne.*

FORMA. Filix magnitudine varia, palmaris, ſpithamæa, pedalis. *Stipes* longitudine frondis, niger, glaber, lucidus, filiformis, ſubangulatus, erectus. *Frons* decompoſita. *Rachis* e ſtipite continuato, ramoſa, ſtipiti concolor. *Folia* alterna, erecta, petiolata, cuneiformia, ovato-rotundata, inſtructa nervis parallelis, tenuibus, glabra, inferne longius producta, ſenſim anguſtiora, integra, ſuperne inciſo-lobata: lobis parallelis,

lelis, apice crenatis. *Petioli* capillares, fuſci, læves. *Fructificationes* lunulatæ, marginales, in apice foliorum ſitæ, reflexæ, adpreſſiuſculæ.

PROPR. *Odor* debilis; *ſapor* ſubdulceſcens, ſubadſtringens, leniter amaricans, non ingratus.

VIRTUS.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum luteſcens, vix dulceſcens, leniter ſubſtypticum, vitriolo martis fuſco-nigreſcit.

ORDO
MUSCI.

534. LYCOPODIUM clavatum. LINN. *Sp. pl. 1564. Mat. m. 488.*

Lycopodium vulgare piloſum anfragoſum & repens. DILL. *Muſc. 441. t. 58. f. 1.*

Muſcus terreſtris clavatus. PLUK. *Phyt. t. 47. f. 8.*

Muſcus terreſtris ſ. Lycopodium. DOD. *Pempt. 469.*

Pharm. *MUSCI CLAVATI* Herba, Farina.

Locus. Europa, in ſylvis muſcoſis. *Perenne.*

FORMA. *Caulis* filiformis, teretiuſculus, repens, pedalis vel ultra, ramoſus, undique imbricatus *foliis* lineari-lanceolatis, glabriuſculis, linea paullo longioribus, ſubciliatis, terminatis ſeta tenui, inferne adpreſſis, ſuperne patentibus. *Rami* ſparſi, cauli conformes, erecti, ſimplices & ramuloſi. *Pedunculi* in ramis terminales, ſolitarii, erecti, bipollicares, veſtiti foliis ſubimbricatis, caulinis conformibus, verum paullo latioribus, erecto-patentibus. *Spicæ* geminæ, cylindricæ, erectæ, imbricatæ. *Pollen* (*farina*) farina-

rinaceum, ſublutefcens, tenue, inter digitos molliuſculum.

PROPR. herbæ: Odor vix ullus; *ſapor* debilis. *Farinæ: odor* nullus; *ſapor* nullus. Cum aqua difficillime ſubigitur pollen hoc, non coit in paſtam, ſed extenditur ſupra aquæ frigidæ ſuperficiem in pelliculam ſiccam, molliſſimam, & ſub agitatione globulos format ſphæricos, currentes, qui tamen ex preſſione digiti franguntur, exeunte aqua. Diutina agitatione cum aqua miſcetur quidem, ſed quiete ſecedit partim ad fundum, partim in pellem ſuperindutam. Idem fere accidit cum aqua calida. In candelæ flammam immiſſum accenditur cum fulguratione & fremitu, perinde ac pulvis pyrius; ſed in vaſe quodam in acervum cumulatum, ex admota ignis flamma primum nigreſcit, ubi a flamma tangitur, deinde tranquille accenditur, flagrat: flamma vivida, baſi cærulea, nidoroſa, non fumante, nec fuliginoſa. Carbonibus ignitis adſperſum non accenditur, nec fulgurat, ſed fumat. Vaſi immiſſum ſupra ignem non accenditur, ſed valde fumat: fumo ſpiſſo; & validum ſpargit nidorem, fere ut oleum ceræ; brevi nigreſcit & abit in pulverem atrum, fuliginoſum, inquinantem, qui, ignis flammæ, antequam deſinit fumare, inſperſus, accenditur cum fremitu, minori tamen fulguratione. Sic pollen Lycopodii valde inflammabile eſt. Quamvis ab ignis flamma ſemper accendatur, non tamen fulgurat & fremit, niſi in aëre libero, quo undique circumdatum erit. Inflammabile autem hoc, quo ſcatet pollen Lycopodii, eſt vera Cera cruda. In veritatem hujus rei inquirens, farinæ Lycopodii uncias 2 per retortam caute deſtillavi. Ex

ſup-

ſuppoſito igne ſenſim nigreſcebat pollen, inque recipiente tandem deprehendebantur drachmæ 3 *phlegmatis* lutei, odore & ſapore empyreumatico, ſalſo-acidulato; & drachmæ 3 *Olei liquidi*, nigricantis, odore & ſapore olei ceræ. In collo retortæ manſit oleum *butyraceum*, tale omnino, quale haberi ſolet dum cera citrina deſtillatur, conſiſtentia ungventi mollis, colore fuſco-luteo, odore & ſapore prioris olei, pondere drachmæ unius. In fundo retortæ remanebat *Carbo* ater, ſplendens, ſolidus, fragilis, debiliter inquinans, levis. Dum oleum liquidum rectificatur, verum oleum ceræ accipitur. Paria conſectaria obtinui ex polline antherarum aliarum plantarum deſtillato. Sic præexſiſtit cera in omnibus floribus, & quidem in omni polline antherarum deprehenditur; ſed melliferæ apes, exſtruentes favos, ipſam ceram extrahunt, concoquunt, a ſordibus liberant, & in ceram perfectam vertunt, inſtinctu naturæ, ab arte inimitabili.

VIRTUS:

USUS: farinæ: Excoriatio.

OBS. In ignibus artificioſis hoc pollen adhibetur, etiam a Perſis, qui illud a Moſcovitis emunt. Colligitur in Ruſſia fine menſis Auguſti & per totum Septembrem, reſectis & in furno ſiccatis ſpicis, quæ deinde farinam largiuntur; OLEARIUS (*). Colligitur etiam in Finlandia noſtra.

535. LYCOPODIUM Selago. LINN. *Sp. pl. 1565. Mat. m. 487.* OED. *Icon. t. 104.*

Selago vulgaris abietis rubræ facie. DILL. *Muſc. 435. t. 56. f. 1.*

(*) *Orientaliſche Reiſe-beſchreibung, p. 331.*

Pharm. MUSCI ERECTI Herba.

Locus. Europa borealis, Virginia, in juniperetis. *Perenne.*

FORMA. Caulis erectus, vel inferne procumbens, tereriuſculus, vix ſpithamæus, dichotomus, octofariam undique imbricatus *foliis* lineari-lanceolatis, acutis, glabris, vix ſemiungvicularibus, erecto-patentibus. *Flores* ſparſi, ſolitarii, in axillis foliorum, ſeſſiles.

PROPR. Odor vix ullus; *ſapor* debilis.

VIRTUS: purgans, draſtica.

USUS.

536. POLYTRICHUM commune. Linn. *Sp. pl. 1573. Mat. m. 489.*

Polytrichum quadrangulare vulgare, yuccæ foliis ſerratis. Dill. *Muſc. 420. t. 54. f. 1.*

Polytrichum aureum. Blackw. *Herb. t. 375.*

Muſcus capillaris. Dod. *Pempt. 472.*

Pharm. ADIANTHI AUREI Herba.

Locus. Europa, in humidis & uliginoſis. *Perenne.*

FORMA. Caulis pollicaris, ſæpe longus, pro ratione ſoli, erectus, ſimpliciſſimus, inferne nudus, ſuperne undique veſtitus foliis linearibus, acutis, anguſtis, ſupra carinatis, undique patentibus. *Pedunculus* terminalis, ſetaceus, caule longior, erectus. *Anthera* cernua, ovata, baſi innixa apophyſi, apice ore orbiculato, ciliato. *Calyptra* villoſa.

PROPR. Odor vix ullus, neque *ſapor.*

VIRTUS:

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum rubeſcens, ſapore fatuo; cum vitriolo martis obſcuraſcit.

OR-

ORDO
A L G Æ.

537. LICHEN islandicus. LINN. *Sp. pl. 1611. Mat. m. 493.* OED. *Icon. t. 155.* SCOPOL. *Ann. 2. p. 107.* *

Lichen terreſtris, foliis Eryngii. BUXB. *Centur. 2. p. 11. t. 6. f. 1. 2.*

Lichenoides rigidum, Eryngii folia referens. DILLEN. *Muſc. 209. t. 28. f. 111.*

Lichen pulmonarius minor anguſtifolius, ſpinis tenuiſſimis ad margines ornatus. MICH. *Gen. 85. t. 44. f. 4.*

Muſcus catharticus. BORRICH. in BARTHOLIN. *Act. Hafn. vol. 1. p. 126.*

Pharm. MUSCI ISLANDICI Herba.!

Locus. Europa, in alpinis & ſaxetis aridis. *Perennis.*

FORMA. Lichen foliaceus, ſubcoriaceus, erectus, pallidus, ſubolivaceus, glaber, lacunuloſus, circiter palmaris, levis, laciniatus: laciniis ſublinearibus, obtuſis, marginibus omnibus ciliatis; apice fuſco-olivaceus. *Scutella* orbiculata, integerrima, ſupra folium poſita, plana, ſolitaria.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* leniter amaricans; *maſticatus* emollitur, comminuitur, vix acris.

VIRTUS: rec. eccoprotica; *ſicc.* nutriens, pectoralis.

USUS. Phthiſis, Tuſſis, Hæmoptyſis.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. limpidiuſculum, ſapore amaro; vitriolo martis rubrum evadit. Si Lichen hic, infuſione in aqua calida temperatus, coquitur in aqua pura, fit *Decoctum* ſpiſſum, gelatinoſum; quod refrigeratione ulterius ſpiſſeſcit in *Gelatinam* ſpiſſam,

rubicundam, amaricantem, in ore ſolubilem. Hæc gelatina, chartæ illinita, imperfecte glutinat. Solvitur lente in calore, præſertim ſi agitetur; & cum vitr. martis fuſceſcit. Si Gelatina hæc lacte, ſaccharo, amygdalis, pauxilloque aromatis conditur, ſatis grata ſapidaque fit. Ex Lichene island. infuſione in aqua temperato, & deinde in lacte cocto, fit *pulmentum* leniter amaricans, non ingratum.

OBS. 2. In Islandia Lichen hic diuturne alimentum pariter ac medicina incolis exſtitit, de qua re O. BORRICHIUS (*): „Eo (Muſco cathartico) inſulæ coloni primo vere utuntur ad expurgandos humores corporis „noxios, reliquo æſtatis ſiccatum in farinam comminuunt, & pulmentariis admiſcent, exſpirante demum vi „purgatrice, & ſuccedente alimentaria.“ In hoc quidem puncto, quod Lichen hic purgandi facultate polleat, BORRICHIO minime adſtipulatur cl. EGG. OLAFSEN (**), qui potius experientiam Iſlandorum quotidianam teſtatur, eum nonniſi moderate ac leniſſime alvum ſolvere, nec quemquam eorum de vi ejusdem purgante unquam fuiſſe queſtum. Quinimmo exemplo fœminæ cujusdam monſtrat, profuiſſe eum ad pertinacem diarrhœam per tempus aliquod cohibendam. Alioqui vim ejus bene & ſolide nutriendi prædicat, quam tantam eſſe inquit, ut operarii, tenuem alias victum aſpernantes, hoc ſatis ſint contenti. Juxta vero adeo facilis eſſe digeſtionis, aſſerit, ut etiam adprime conveniat debili ſtomacho langventibus, phthiſique arreptis, atque eapropter frugum loco in communem, per inſulam, & quotidianum abiiſſe victum. Eſtur autem Lichen hic communiter in pultem coctus, ad quod requiritur, ut primum frigida per diem maceretur, amaritudinis extrahendæ cauſſa, & deinde in ſero lactis elixe-

(*) In T. BARTHOLINI *Act. med. Hafn.* 1671. p. 126.
(**) *Reiſe igiennem Island*, tom. 1. p. 159. ſeq.

elixetur in gelatinam, quam denique una cum admixto lacte manducare moris eſt. Alii eundem ita apparatum malunt, ut poſtquam modo jam dicto temperatus fuit, igne vel ardore ſolis torrefaciant, tum pulverent, & in lacte puro elixent. Panis inde nonniſi perraro coquitur, rem tamen ſatis bene procedere poſſe, adjuncta nimirum farina frumenti, ipſe ille OLAFSEN periclitatus novit. Cl. N. HORREBOW (*) aſſeverat, ſe hunc Lichenem, modo ordinario apparatum, libenter eſitaſſe, tanquam alimentum non ſolum ſalubre, ſed etiam ſapidum, additque, Islandorum complures farina frumenti non uti, ubi locuplete hujus penu gaudent. Neque id mirum, quandoquidem, teſtante laudato OLAFSEN, una tonna hujus Lichenis, recte emundata & denſata, ab illis æquiparatur duabus frumenti tonnis, & perinde alibilis cenſetur. Solent Islandi ante fœniſicium catervatim ſaxeta aſpera petere, ad hunc Lichenem colligendum, qui, quo vegetior fuerit, eo magis ipſis arridet; iſtæ autem excurſiones potiſſimum inſtituuntur ſtatu cæli pluvio, ne folia arida manus lædant; neque vero crebrius loca eadem reviſitantur, quam triennii ſpatio interjecto, quoniam planta hæc tres annos requirit in ſui incrementum. Peracta demum collectione, ſuam quisque penum ſuper ignem arefacit, tum in farinam conterit, & in doliola immittit; atque ſic denique dictus Lichen merx bene vendibilis evadit; ſed tamen ſat parvo pretio, uno nempe imperiali, plerumque ibi loci venditur; OLAFSEN (**). Quod ad uſum ejus medicum attinet, non ita pridem is latius invaluit. Cl. Jo. A. SCOPOLI (***) caſibus quibusdam clinicis commonſtrat illius uſum inſignem in phthiſi macieque inde orta, ſive in lacte ſeu aqua coquatur.

(*) *Tilforladelige Efterretninger om Island, p. 88.*
(**) *L. c.* Cfr. *tom.* 2. *p.* 816.
(***) *Annus* 2. *hiſtorico - naturalis, p.* 114. *ſeq.*

Cl. J. H. Schoenheyder (*) ex propriis obſervationibus hujus Lichenis in phthiſi utilitatem adſtruit. Præſcribit Lich. iſl. unc. 1, cum aquæ font. unc. 16, ad remanentiam unc. 12 coquendam, addito ſyrup. ſquillit. unc. ß; cujus decocti unc. 1 omni bihorio ſumant infirmi. Dicit, hoc decoctum ſubinde diarrhœam excitare, quæ tamen ex propinato Rheo & emulſione Arabica brevi ceſſat. Ego Lichenem hunc ſæpiſſime infirmis præſcripſi, & vidi plures, phthiſi pulmonali obnoxios, immo & ſymptomatibus phthiſeos vexatos, ex uſu pulmenti, e lacte & Lichene hoc temperato parati, de quo libras 2 quotidie hauſerunt, in integrum reſtitutos, atque etiam pingves factos. Ita facilis digeſtionis pulmentum hoc deprehendi, ut etiam vomitu frequenti chronico afflicti, quique alia eſculenta rejecerunt, illud retinere potuerint. Nutrit plenarie, brevi impingvat, & ſatis grate ſapit. Per præviam in aqua macerationem extrahitur, quæ in Lichene ineſt, amaritudo, ſicque vis purgans evaneſcit. Refert Scopoli (**), ſe in Carniolia offendiſſe mulieres, ingentes Lichenis hujus ſarcinas geſtantes, quas ſuibus ſuis deſtinabant, ſatis gnaræ, hac una planta ſues intra breve tempus ita ſaginari, ut nullo alio cibo pingviores reddi poſſent. Addit etiam, ſolere ruſticos Carnioliæ equos ſuos ac boves macros ad illa mittere loca, ubi ſolus hic Lichen copioſe provenit, idque tanto cum emolumento, ut intra 3 aut 4 hebdomadas pingveſcant, amiſſasque vires denuo recuperent.

538. LICHEN pulmonarius. Linn. *Sp. pl. 1612. Mat. m. 490.*

Li-

(*) *Collectan. Societ. med. Havnienſ. vol. 1. p. 128. ſeq.*
(**) *L. c. p. 112.*

Lichenoides pulmonareum reticulatum vulgare, marginibus peltiferis. Dill. *Muſc. 212. t. 29. f. 113.*

Muſcus pulmonarius. Blackw. *Herb. t. 335.*

Pulmonaria. Camer. *Epit. 783.* Fuchs. *Hiſt. 631.*

Pharm. PULMONARIÆ ARBOREÆ Herba.

Locus. Europa, in truncis arborum. *Perennis.*

FORMA. Lichen foliaceus, coriaceus, ſupra lacunoſus: lacunis retiformibus; viridis, glaber, ſæpe exaſperatus verrucis parvis, in eminentiis inter lacunas ſitis; ſubtus bullatus, leniter tomentoſus, virideſcens, ſed bullis pallidioribus, albidis, glabriuſculis; laciniatus: laciniis lanceolatis, obtuſis, ſublaciniatis. *Scutella* orbiculata, plana, marginalia.

PROPR. Odor debilis; *ſapor* debilis, mucidus, ſubnauſeoſus, acriuſculus; *maſticatus* emolleſcit in ore, difficilius comminuitur, acriuſculus ſentitur, remanente acri ſenſu & mordente in faucibus, diu inhærente.

VIRTUS:

USUS.

OBS. 1. In monaſterio ad fluvium Uſſolka in Sibiria cereviſiam parant, conditam Lichene pulmonario, loco Lupuli. Hic Lichen ibi creſcit ſupra truncos abietis, & amariſſimus eſt. Cereviſia hæc vulgari ſimilis erat, magis tamen inebrians. J. G. Gmelin (*).

OBS. 2. De uſu Lichenis hujus medico varia tradunt auctores, valdeque laudant in phthiſi morbisque pulmonum; ſed periculum ipſe nunquam inſtitui.

539. LICHEN Roccella. Linn. *Sp. pl. 1622.*

Coralloides corniculatum faſciculare tinctorium, Fuci teretis facie. Dill. *Muſc. 120. t. 17. f. 39. A — D.*

Mu-

(*) *Reiſe durch Sibirien, tom. 3. p. 426.*

Muſcus ceranoides albus fungoſus apicibus nigris. PLUK. *Alm.* 255. *t.* 205. *f.* 6.

Muſcus ceranoides palmenſis, comis digitatis orchilli dictus. PETIV. *Gazophyl.* 7. *f.* 12.

Fucus verrucoſus tinctorius. BAUH. *Hiſt.* 3. *p.* 797.

Orſeille *vulgo.*

Pharm. ROCCELLÆ Herba.

Locus. Inſulæ Archipelagi, Heſperides, Azores, Canariæ, in rupibus altis.

FORMA. Lichen fruticuloſus, cinereus, ſæpe ſubpurpuraſcens, ex ima radice ramoſus, erectus, palmaris vel ſupra, glaber, dichotomus; ramis erectis, ſolidis, poſt ſectionem transverſalem albis. *Tubercula* lateralia, alterna, obtuſo-planiuſcula, elevata.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* ſubſalſus; *maſticatus* ſubacris.

VIRTUS.

USUS: tinctorius.

OBS. Pars colorans hujus Lichenis in reſinoſo conſiſtit, cum nullo modo extrahatur ex aqua pura. Pulveratus vel groſſius comminutus macerari debet per menſem in urina, addito alcali fixo vel calce. Sic color emergit columbinus, quo ſericum inficit hujus decoctum; atqui color hic perſiſtens non eſt, ſed non modo ab acidis, verum etiam e radiis ſolaribus deletur.

ORDO
FUNGI.

540. BOLETUS abies Laricis dictæ. LINN. *Mat. m.* 497.

Aga-

Agaricum ſive Fungus Laricis. MICH. *Gener. p. 119. t. 61. f. 1.*

Polyporus ſeſſilis, convexo-planus, annulis diſcoloribus fulvis, poris ochroleucis. HALL. *Helvet. 3. p. 141.* *

Pharm. AGARICUS OPTIMUS.

Locus. Europa auſtralis, in alpibus, ſupra Larices.

FORMA. Boletus ſeſſilis, ſubrotundus, convexo-planus, magnitudine pugni, ſæpe capitis infantilis, ex annulis albidis, luteſcentibus & fuſcis variegatus, lævis, ſubtus poris innumeris pertuſus. In officinis occurrit purgatus & undique circumſectus, unde albus, læviuſculus. *Parencyma ſicc.* album, ſiccum, æquale, ſpongioſum, ſubfarinaceum, friabile, inquinans.

PROPR. Odor vix ullus; *ſapor* dulceſcenti-amaricans, nauſeoſus, inhærens.

VIRTUS: laxans.

USUS.

OBS. I. Extrahitur potiſſimum menſtruo ſpirituoſo. *Tinctura* ſpirituoſa rubicunda; in frigore cogitur ad conſiſtentiam olei; aquæ frigidæ inſtillata lacteſcit; emetica. *Extractum* aquoſum amarum, purgans. *Infuſum* aquoſum in balneo, lacteſcens, opacum, odore & ſapore, dum fervet, intenſius nauſeoſo; vitriolo martis coagulatur ſubito in caſeum, ſed color non alteratur; cum alcohole vini turbatur, præcipitatur. Ipſe agaricus, digeſtus, mollis fit, inſtar caſei recentis. Ex obſervatione J. G. GMELINI (*), Agaricus Laricinus plurimum *Reſinæ* continet. Is, cum Agarici unc. 12 cum ſpiritu vini extraheret & deſtillationi ſubjiceret, ſub deſtillatione accepit unc. 4 reſinæ, Jalappæ reſinæ ſi-

(*) *Commerc. litt. Norimb. ann. 1733. p. 59.*

ſimilis; reſiduum, cum aqua decoctum, dedit Extr. aquoſi drachm. 9.

OBS. 2. Ob particularum levitatem raro in pulvere propinatur Agaricus hic, ſed cum G. Tragacanthæ in trochiſcos redigitur. Purgat lente, doſi drachm. ß-1, & ſæpe nauſeam torminaque movet difficilia.

OBS. 3. Boletus laricinus anni ſpatio increſcit, colligendus quando ſiccatus rimas agere incipit, tuncque e cortice trunci avellendus. Poſtea exterior pellicula ſubtiliter ſeparanda; quo facto ſolis calori exponi debet per nonnullas hebdomades, ut albeſcat, porro ligneis malleis tuditari, usquedum nullæ in eo appareant inciſuræ (*). Dum increſcit, ſucculentus eſt, halitu ſuo pernicioſus. Si juſto diutius in trunco arboris relinquitur, carioſus fit, ſqualidus, & in pulverem fatiſcit. Sub ipſa hieme colligi debet, ſi bonæ notæ erit (**).

541. BOLETUS igniarius. LINN. *Sp. pl. 1645.*

Agaricus pedis equini facie. TOURNEF. *Inſtit.* 562.

Pharm. AGARICUS PRÆPARATUS.

Locus. Europa, ſupra truncos Betularum, Quercuum & Fagorum.

FORMA. ſicc. & præparat. Fomes coriaceus, molliſſimus, leniſſimus, grideſcens, conſiſtentia coriaceo-tomentoſa. Boletus, qui in Fagorum truncis creſcit, molliſſimus fit dum præparatur.

PROPR. Odor nullus, neque *ſapor.* Igni admotus accenditur absque flamma, idque etiam ex meris ſcintillis, ignem fovet ſerpentem, & ſic deflagrat odore fere lintei accenſi, remanente fa-

(*) Cfr. VALENTINI *Hiſt. ſimplicium reform. p.* 232.

(**) BELLON. *Conifer. p.* 26.

favilla. Humido applicitum, illud abſorbet, longe tamen imperfectius quam Spongia marina.

VIRTUS.

USUS. Hæmorrhagia a vaſis reſectis.

OBS. Euporiſton Fennorum noſtrorum ad ſangvinem ſiſtendum, ope Boleti igniarii præparati, a chirurgo Gallico cl. BROSSARD ulterius elaboratum eſt, & præmio a Rege Galliæ remuneratum. Scilicet colligendus eſt Boletus hic ſiccatus, & abſcindenda ipſa pars corticalis, utpote durior; parencyma coriaceum malleo tamdiu pulſandum eſt, quoad molliſſimum & leniſſimum evadat. Hic agaricus vulneri ſangvinem fundenti applicandus erit, ſive ſit ſangvis venoſus, ſeu arterioſus, qui ſtillat. Sub applicatione Agarici ſedulo curandum, ut bene attingat vas læſum, & lumini vaſis propemodo intrudatur, ut illud bene obturetur. Sed ut ſecurius res procedat, expedit aliud quoddam fruſtulum agarici priori ſuperponere, tum denique omnia faſcia circumligata bene firmare. Hæc methodus poſtmodum a plurimis Chirurgis, tam Gallicis, quam Anglicis, experimentis confirmata eſt; & ſatis laudatur a cl. viris FAGET, MORAND, ROCHARD, SHARP, WARNER, PARSONS, FORD &c. Monent tamen cl. PARKER & SHARP, illam interdum fefelliſſe. Sed cl. G. NEALE (*), propriis & aliorum periculis ductus, inſufficientiam hujus agarici in operationibus chirurgicis monſtrat, ſive gallicus ſeu anglicus ſumatur; atque etiam in levioribus caſibus eum fefelliſſe contendit, quare enixe hortatur chirurgos, ut potius fidant acui & ligaturæ. Hoc conſilium communiter jam ſequuntur Chirurgi prudentes, ita parum Agaricum præparatum curantes, ut etſi eum ad manus habent, tamen illum Spongiæ longe poſtponant

(*) *Some obſervations on the uſe of the Agaric, and its inſufficiency in ſtopping Hæmorrhages after capital Operations.* Lond. 1757.

nant ceratæ, quæ etiam agarico præſtabilior eſt ad ſangvinem ſiſtendum. Fuere qui agaricum hoc ſcopo interne propinare tentarunt, ſed mittamus ineptias.

OBS. 2. Recens hic Boletus transverſaliter trunco arboris affixus hæret, ſubrotundus, polymorphos, undique ſubfuſcus, ſcabriuſculus; parencymate carnoſo-ſolidiuſculo, viridi-luteſcente, ſubſucculento, variegato-marmoreo; odore debili, fungoſo, ſapore vix ullo; maſticatus gelatinoſo-cartilagineus ſentitur, non ſolvitur, ſed comminuitur. Taleolæ reſectæ ad tactum pingviuſculæ ſunt, flexiles, fragiliuſculæ. Hujus Boleti recent. infuſum aquoſum rubeſcens eſt, nauſeoſum, vitriolo martis nil demutatum. Sic nulla qualitas adſtringens in hoc fungo ineſt.

542. AGARICUS campeſtris. LINN. *Sp. pl.* 1641.
Fungus campeſtris albus ſuperne, inferne rubens. MICHEL. *Gen.* 174. *n.* 8.
Pradellorum tertia ſpecies. STERB. *Fung.* 29. *t.* 1. *f. C. D.*
Culinis CHAMPIGNON.
Locus. Europa, in terra pingvi, fimetis. Creſcit vere, vel primo autumno.

FORMA. rec. Fungus glaber, lævis, longitudinaliter minutim ſtriatus, *ſtipite* cylindrico, albo, *volva* alba, *pileo* convexo, albo, ſubtus lamellatus: lamellis parallelis, approximatis, kermeſinis. *Parencyma* carnoſo-ſucculentum, album.

PROPR. rec. Odor fungoſus; *ſapor* conſimilis, ſubdulceſcens; *maſticatum* ſuccoſum, in ore non ſolubile.

VIRTUS:

USUS: culinaris.

OBS. Hic fungus vulgatiſſimus eſt in culinis; recens incoquitur variis embammatibus, tam pro piſcibus, quam car-

carnibus variis. Paratur etiam ferculum ex hoc fungo, absque carne, ſapidiſſimum, pari modo ac ex Agar. delicioſo. Conditur aceto vini, & per hiemem ſervatur in eosdem uſus, ſalvo ſapore grato. Etſi Agaricus hic ſponte apud nos provenit, colitur tamen apud hortulanos, qui quidem primo conficiunt ſtratum ex ſtramine tritici, fimo equino permiſto, e ſtabulis depromto, eique poſt ſuperponunt terram, in quam poſtmodum imbres crebro irrigant; atque ſæpius conſtitit, Agaricos campeſtres in ſolo ſic apparato læte progerminaſſe.

543. AGARICUS delicioſus. LINN. *Sp. pl.* 1641.
Agaricus pileo hemiſphærico in centro depreſſo & in margine fornicato, petiolo brevi & craſſo. GLED. *Fung.* 101.
Riſka *vulgo.*
Culinis: AGARICUS DELICIOSUS.
Locus. Europa, in monticulis ſterilibus ſylvoſis. Creſcit primo autumno.

FORMA. recent. Fungus magnitudine pugni. *Stipes* cylindricus, vix bipollicaris, craſſus, albicans, glabriuſculus, ſolidus, centro ſæpe perforatus. *Pileus* convexus, centro depreſſo-concavus, ſcabriuſculus, colore teſtaceo, h. e. ex dilute cinereo & viridi variegatus, margine undique reclinato, ſubtus plano-concaviuſculus, luteſcens, lamellatus: lamellis ſimplicibus, parallelis, ſubæqualibus. *Parencyma* carnoſum, luteum, fragile, ſicciuſculum.

PROPR. rec. Odor fungoſus; *ſapor* conſimilis, ſatis gratus; *maſticatus* emollitur in ore, fere ſolvitur, ſaliva vix tincta, remanente in faucibus levi ſenſu acrimoniæ.

VIRTUS: nutriens.
USUS: culinaris.

OBS. Hi fungi recentes conſcinduntur, & in aquam frigidam mox conjiciuntur. Poſtea calide infunduntur in aqua. Tum liquefiat fruſtum butyri in olla, cui adjiciatur Cepa alba conciſa, & Agaricus ex aqua exemtus, qui poſtea coqui debet in butyro hoc, addito ſale, Petroſelino, Pipere. Initio decoctionis ſuccum emittit Agaricus; ſed coctio tamdiu continuanda, dum embamma ad juſtum perductum fuerit ſpiſſitudinis gradum; tum infertur. Certe ſapidum ferculum. In embammatibus carnium, pari modo ac præcedens, utiliter adhibetur. Duplici modo per hiemem tuentur hunc Fungum coqui noſtri. Eundem, bene depurgatum, & in fruſtula conciſum, vaſculo immittunt vitreo cum ſale culinari, per ſtrata alterna adjecto. Hoc modo bene ſervatur uſui, & quamvis fuſceſcat, ſapidus tamen fit. Condiunt illum etiam aceto; ſc. Agaricus depurgatus & conciſus elixatur in aqua, per horulæ ſpatium, dum molleſcat; poſtea eximitur ex aqua, & breviter ebullit in aceto, addito Pipere jamaicenſi & maci. Hæc collectim immittuntur in vas vitreum bene obturatum, dum refriguerint, poſteaque ſervantur in lagunculis vitreis veſica obturatis. Brodium hoc ſenſim ſpiſſeſcit & revera gelatineſcit, quod apud alios fungos conditos non obſervavi. Hinc concludere licet ad vim nutrientem hujus fungi.

544. AGARICUS Cantharellus. LINN. *Sp. pl. 1639.*
Fungus flaveſcens infundibuliformis. VAILL. *Pariſ. t. 11. f. 9. 10.*
Fungus luteus ſ. pallidus, Chanterelle dictus, ſe contorquens eſculentus. BAUH. *Hiſt. 3. p. 832.*
Cultis: CHANTERELLE.

Lo-

Locus. Europa, in pratis ſylvaticis. Creſcit primo autumno.

FORMA. rec. Fungus magnitudine pollicis vel Pyri minoris, dilute luteſcens; ſæpe plures aggregati. *Stipes* cylindricus, pollicaris, ſolidus, ſurſum paullulum incraſſatus, glaber. *Pileus* turbinatus, glaber, ſupra planiuſculus, margine undique reclinato, repando, ſæpe ſublobato; ſubtus in ſtipitem ſenſim anguſtatus, lamellatus: lamellis parallelis, inferne ſimplicibus, ſuperne ramoſis. *Parencyma* pilei & ſtipitis carnoſum, ſicciuſculum, dilute luteſcens, fragile.

PROPR. rec. Odor fungoſus; *ſapor* conſimilis, ſubſalſus; *maſticatus* fungus mollis in ore ſentitur, comminuitur, emollitur, ſolvitur, ſaliva vix tincta, remanente levi ſenſu acrimoniæ, in ore & faucibus mordente.

VIRTUS:

USUS: culinaris.

545. AGARICUS pileolo integerrimo, vertice elato aut depreſſo, lamellis anguſtiſſimis. Gled. *Fung.* 110.

Fungi verni, Mouceron dicti, odori & eſculenti. Bauh. *Hiſt.* 3. *p.* 823. 824.

Culinis: MOUCERON.

Locus. Europa, in ſylvis. Creſcit vere & primo autumno.

FORMA. rec. Fungus *Stipite* ſolido, cylindrico, elongato, glabriuſculo, cinereo, *Pileo* conico-hemiſphærico, incarnato-olivaceo, magnitudine fructus Ceraſi, ſupra glabro, ſubtus plano, lamellis parallelis, inæqualibus; *parencymate* carnoſo, albo, ſicciuſculo.

PROPR. rec. Odor fungoſus; *ſapor* conſimilis, ſubſalſus, ſubaromaticus, gratus; *maſticatus* tener.

VIRTUS.

USUS: culinaris.

OBS. In culinis ſiccatur hic fungus, & ſic per hiemem ſervatur uſui. Recens vel ſiccatus embammatibus incoquitur, ob gratum, quem illis conciliat, ſaporem.

546. CLAVARIA Coralloides. LINN. *Sp. pl. 1652.*
Corallo-fungus flavus. VAILL. *Pariſ. 41. t. 8. f. 4.*
Barba caprina. STERB. *Fung. 96. t. 11. f. A-D.*
Culinis BARBA CAPRINA.
Locus. Europa, in ſylvis opacis. Creſcit autumno.

FORMA. rec. Fungus magnitudine varia, pro ratione ætatis, a magnitudine ovi ad pugnum vel ſupra. *Stipes* breviuſculus, ſolidus, teretiuſculus, albus, glaber. Pileus nullus, verum ſtipes continuatus in *truncum* teretiuſculum, ſubluteſcentem, ramoſiſſimum. *Rami & ramuli* ſolidi, fragiles, ſubdichotomi, erecti, varie diviſi, ſubfaſtigiati, albidi vel luteſcentes; ramulis ultimis brevibus, obtuſis. *Parencyma* carnoſum, ſicciuſculum, album. *Obſ.* In Clavaria juniore color magis croceus eſt; in adultioribus magis palleſcit, albeſcit.

PROPR. rec. Odor fungoſus; *ſapor* debiliter fungoſus, in ſaporem Rapæ recentis incidens; *maſticatus* hic fungus molliuſculus, ſolvitur fere, cum ſenſu acrimoniæ in faucibus, & amaricantis poſtea in ore.

VIRTUS:

USUS: culinaris.

OBS.

OBS. Barba caprina in culinis paratur fere ut Agaricus delicioſus. Infunditur primum in aqua, quæ abjicitur. Deinde coquitur in olla cum butyro, ſale, petroſelino & baſilico, per ſemihoram circiter, poſtea perficitur cum cremore lactis & ovis recentibus, & infertur. Editur frequenter, ſapidus cibus, & forſan ſalutaris.

547. PHALLUS eſculentus. LINN. *Sp. pl. 1648.* OED. *Icon. t. 53.*
Boletus eſculentus rugoſus. MICH. *Gen. 230. t. 85. f. 1. 2.*
Fungi eſculenti ſpecies 3. CLUS. *Hiſt. 2. p. 164.*
Culinis: PHALLUS ESCULENTUS.
Locus. Europa, Virginia, in ſylvis antiquis, tempore vernali.
FORMA. rec. Fungus *Stipite* craſſiuſculo, tereti, perforato, undique minutim rugoſo, albido, cineraſcente, nudo. *Pileus* conicus, obtuſus, ſtipite vix longior, erectus, ſordide rubicundus, marginibus & apice fuſceſcens, extus undique fimbriato-reticulatus: fimbriis celluloſis, longitudinalibus; intus cavus. *Siccatione* fuſceſcit, fragilis fit.
PROPR. rec. & ſicc. Odor debilior, non ingratus; *ſapor* odori congruens; *ſicc. maſticatus* comminuitur, emollitur, ſublubricus ſentitur.
VIRTUS:
USUS: culinaris.

OBS. 1. Adhibetur hic fungus in culinis ad perficienda embammata. Siccatur & per totum annum ſervari poteſt, ſtipitibus rejectis. Non comminuitur, ſed paratur integer, embammati incoctus. Infunditur primum in aqua, quæ abjicienda, deinde coquitur in butyro, tum additur ſaccharum & vinum.

OBS. 2. *Infuſum* aquoſum rubrum, odore & ſapore ipſius fungi; vitriolo martis vix fuſceſcit, verum turbidum fit, cinereum, opacum.

548. PHALLUS (Mitra) pileo ſubconico difformi gyris flexuoſis, ſtipite ſolido.

Fungus poroſus pyramidalis & in metam faſtigiatus quadruplex. MENTZ. *Pugill.* 124. *t.* 6.

Phallo-boletus eſculentus. MICHEL. *Gen.* 202. *t.* 84. *f.* 1.

Stenmurkla *vulgo.*

Culinis PHALLUS MITRA.

Locus. Europa, in ſylvis, tempore vernali.

FORMA. rec. Fungus *Stipite* albo, ſubcylindrico, glabro, profunde interrupte ſulcato, nudo, ſolido. *Pileus* magnitudine ovi anſerini, ſæpe etiam pugni, ſubconicus, difformis, in ſtipitem deflexus, ſupra glaber, rubro-kermeſinus, undique exaratus gyris profundis, flexuoſis; ſubtus, h. e. latere interiori, niveus, glaber, lævis. *Siccatione* fuſceſcit, fragilis fit.

PROPR. rec. Odor fungoſus; *ſapor* Phalli eſculenti; *maſticatus* tener, mollis, facillime comminuitur.

VIRTUS.

USUS: culinaris.

OBS. In culinis recens infunditur in aqua calida, quæ abjicitur, tum maceratur cum butyro, & deinde coquitur in aqua parca per ſemihoram, addito Petroſelini & Baſilici pauxillo, tandem perficitur cum cremore lactis, unde ſapidus fit hic fungus. Siccatur etiam, & adhibetur ut Phallus eſculentus.

549. PEZIZA Auricula. LINN. *Syſt. nat.* 12. *p.* 725.

Agaricum auriculæ forma. MICH. *Gen.* 124. *t.* 66. *f.* 1.

Fun-

Fungorum pernicioſorum genus 1. Clus. *Hiſt.* 2. *p.* 276.

Auricula Judæ. Blackw. *Herb. t.* 334.

Pharm. AURICULA JUDÆ.

Locus. Europa, ſupra arbores putridas.

FORMA. rec. Fungus ſeſſilis, umbilicatus, concavus, campanulatus, ſæpe explanatus, magnitudine circiter ovi gallinacei, baſi plicatus, ſuperne margine integro terminatus, extus minutiſſime tomentoſus, intus lævis, conſiſtentia gelatinoſo-cartilaginea, undique kermeſinus ſ. purpuraſcens.

PROPR. rec. Odor vix ullus; *ſapor* nullus; *maſticatus* comminuitur, ſubcartilagineus ſentitur, vix ſolvitur. *Siccatus* fit ſatis tenuis, cineraſcens, fragilis, rugoſus, qui maſticatus gelatineſcit. In aquam tepidam immiſſus brevi emollitur, expanditur, & eandem, quam recens habuerat, reſumit formam, conſiſtentiam & colorem.

VIRTUS: refrigerans.

USUS. Ophthalmia.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum rubicundum, ſpiſſum, gelatineſcens, odore nullo, neque ſapore; vitriolo martis non demutatum.

OBS. 2. In ophthalmia, aliisque inflammationibus levioribus, imponitur hic fungus, in aqua primum emollitus. Certe ſæpiſſime levamen affert, quamvis non agat vi quadam adſtrictiva.

550. LYCOPERDON Tuber. Linn. *Sp. pl.* 1053. *Mat. m.* 500.

Tubera brumalia, pulpa obſcura, odora. Mich. *Gen.* 221. *t.* 102.

Tubera. Matth. *in Dioſcor.* 544.

Culinis: TUBER ſiccatum, conditum.

Locus. Europa, Barbaria, Virginia, ſub terra. Effoditur hiemali tempore. In Pedemontio copioſiſſime.

FORMA. rec. Fungus in terra nidulans, absque radice, angulatus, magnitudine nucis Avellanæ, ſæpe Pomi, ſæpe etiam pugni, undique nigricans, rugoſo-muricatus: tuberculis convexo-planiuſculis, ſubdepreſſis, inæqualibus, angulatis, ſæpe tetragonis, ſæpe rotundis, ſupra ſtriato-angulatis, approximatis, totum fungum undique tegentibus. *Parencyma* carnoſum, tenerum, ſubſucculentum, nigricans, ſolidiuſculum, poſt ſectionem transverſalem æquale, pictum venulis reticulatis pallidioribus.

PROPR. rec. Odor fragrans, gratus; *ſapor* gratus; *maſticatus* comminuitur, ſolvitur, ſaliva fuſca.

VIRTUS: nutriens.

USUS: culinaris.

OBS. Hic fungus paſſim in Europa auſtrali, per totam hiemem, effoditur e terra, ubi dimidium pedem alte delitefcit. Hinc aut caſu reperitur, aut ſtudioſe a ruſticis exquiritur, qui ea occaſione vel ſues ſecum habent, odora ſua vi indicium loci facientes, roſtro cæſpitem ſuffodiendo, vel etiam canes, ad veſtigandum condocefactos. Vulgo ea præſtantiſſima ducuntur Tubera, quæ Barbaria fert, ſed vix iis cedunt, ſi non ſuperant, quæ in Gallo-Provincia, alibique per Europam auſtralem, obveniunt. Quæ hieme effodiuntur, nigricant; quæ vero tempore æſtivo occurrunt, pulpam minus obſcuram habent, minusque ſapida ſunt, fragrantia tamen. Imprimis recentia iſtorum locorum tubera, ſub cineribus vel prunis fricta, jucunde fragrantia ſunt ſapidaque, quare etiam ab omnibus eſitantur, præterquam puellis adultis, quibus id indecorum habetur, quod vulgus

gus ea vim aphrodiſiacam habere credit. Late per Europam divenduntur, ſive ſiccata, ſeu l. a. condita oleoque immiſſa. Siccata tenacia ſunt, vixque ſapida; nec fragrantia, tamen in magnatum epulis uſitata. Condita tenera, ſiccatis præſtantiora, parum tamen ſapida, quare raro per ſe eduntur, verum cibis, tanquam condimentum, adduntur. In regionibus borealibus ſubinde quidem hæc tubera proveniunt, ſed ea parva ſunt, vixque perinde ſapida, quam auſtralia.

551. LYCOPERDON Boviſta. LINN. *Sp. pl. 1653. Mat. m. 499.*

Fungus maximus rotundus pulverulentus, dictus germanis Bofiſt. BAUH. *Hiſt. 3. p. 848.*

Pharm. *CREPITUS LUPI* (*Boviſta*).

Locus. Europa, in campis ſterilibus.

FORMA. rec. Fungus ſubrotundus, ſtipitatus, læviuſculus, magnitudine varia; *parencymate* ſpongioſo-ſucculento, niveo. *Sicc.* levis, ſiccus, lividus; *parencymate* ſpongioſo, pulverulento: pulvere brunneo, inquinante, ſicciſſimo, in auras obvolitante, dum fungus comprimitur. Si fungus hic ſiccatus pedibus calcatur, crepitum edit, & fumum emittit pulverulentum. In ſolo præpingvi, aëre pluvioſo, in enormem perbrevi tempore excreſcere poteſt magnitudinem, ut obſervavit cl. BENED. BERGIUS (*), qui hujusmodi fungum habuit, cujus ambitus 2 ulnis & 3 digitis reſpondit, cujusque gravitas 18 librarum ſvec. modum exceſſit.

PROPR. ſicc. Odor nullus, neque *ſapor.*

VIRTUS: exſiccans, ſangvinem ſiſtens.

USUS. Amputatio.

Iii5 *OBS.* 1.

(*) *K. Vetenſk. Acad. handl. vol. 23. p. 324.*

OBS. 1. *Infuſum* fungi ſicc. aqueum, odore eſt nullo, neque ſapore; a vitriolo martis non demutatur.

OBS. 2. Fungus hic ſiccatus apud antiquiores adhibitus fuit, ut remedium domeſticum ad hæmorrhagias ſiſtendas; atque nuperis experimentis, in brutis & hominibus inſtitutis, vis ejus inſignis ad ſiſtendum ſangvinem inclaruit. Adhibetur eodem modo, ac Agaricus præparatus; ſcilicet reſcinditur fruſtulum ex hoc fungo, detrahitur cuticula, & ſedulo applicatur vaſi ſangvineo læſo; ſed fruſtulum unum alterumve adhuc ſuperponere oportet, & deinde totam maſſam faſcia arcte præſtringere. Agit obturando vas læſum.

OBS. 3. Si fungus recens aëri libero & ſoli exponitur, intra paucos dies ſiccatur & pulverulentus fit; ſi vero grandior in loco clauſo ſervatur, non ſiccatur, nec pulverulentus fit, ſed collabeſit, flaveſcit, rubeſcit, tandem fuſceſcit, humore diffluit, atque putreſcit. B. Bergius (*).

AP-

(*) *L. cit.*

APPENDIX.

PALMÆ.

552 SEGO. Zück. *Mat. alim.* 79.

Sagus, ſeu Palma farinaria. Rumph. *Amb.* 1. *p.* 72. *t.* 17. 18.

Arbor Zagoe amboinenſis. Seb. *Theſaur.* 1. *p.* 39. *t.* 25. *f.* 1.

Culinis SAGU granula.

Locus. Malacca, inſulæ Moluccæ, frequentisſimæ in inſula Ceram, locis humidis & aquoſis. *Arbor*, *Palma.*

FORMA. *Granula* artificialia, amylacea, ſubrotunda, albido-cinerea, læviuſcula, magnitudine ſeminis Braſſicæ, dura.

PROPR. *Odor* nullus, nec *ſapor*; *maſticata* duriuſcula, comminuuntur, ſed inter dentes tenaciuſcula; ſub maſticatione in ore non ſolvuntur. Aquæ frigidæ immiſſa non ſolvuntur, nec magnopere molleſcunt, quamvis diutius infuſa, ſed tantum facilius comminuuntur. Si vero in aqua coquuntur, bihorii ſpatio emolleſcunt, tument, gelatineſcunt, figuram tamen ſervant, aquamque, ut refriguit decoctum, in *gelatinam* vertunt inſipidam, mollem, rufam, glutinantem. Hæc gelatina, frigefacta, in calore rurſus non liqueſcit, ſed ulterius ſpiſſeſcit. Non ſolvuntur hæc grana in oleis, nec in ſpiritu vini. Si loco arido ea ſerves, diuturne ea tueberis; certe quidem ultra 4 luſtra incorrupta illa retinuit Seba (*); ſed

(*) *Rerum natural. Theſaur.* 1. *p.* 40.

ſed ſi in cellis humidiuſculis colloces, vix ultra paucos annos ſapida retinebis, quippe quod fatiſcunt in pulverem, nec ad cibum poſtea grata ſunt.

VIRTUS: nutriens, obtundens.

USUS: culinaris.

OBS. 1. *Decoctum* aquoſum limpidiuſculum, ruſeſcens, gelatinoſum, ſubinſipidum; cum vitriolo martis non variat.

OBS. 2. Vera granula Sagu, quæ ad nos apportantur, non dat Cycas circinalis, prout vulgo creditur, ſed *Sagus* RUMPHII, quod demonſtrarunt autoptæ, ut RUMPHIUS (*), C. H. BRAAD (**), VOLQUARD IVERSEN (***) Auctorque deſcriptionis juratæ arboris ſaguferæ (†). Vidi ego truncum arboris ſaguferæ veræ, e ſolo natali allatum, qui ad Cycadem vix pertinebat. Poſtquam arbor eum maturitatis gradum attigit, ut medulla, e trunco, terebra forato, exemta, amylum det, arbor iſta prope radicem exciditur, ablatoque alburno, in fruſta longitudinalia finditur, quæ poſtea tuditibus in ſcobem tenuiſſimam contunduntur. Tum amylum, cum affuſa aqua frigida, pari modo ac de Solano tuberoſo ſupra dictum eſt, ex hac ſcobe ſeparatur, quod fundum petit. Ex hoc amylo ſ. farina Sagu panem pinſunt incolæ, nihil aliud addentes; farinam tantummodo indunt certis quibusdam formis figulinis excalefactis, unde in denſitatem coit. Hic panis, apud Ceramenſes uſitatus, durus eſt, angulis quaſi vitreis, ſapidus dum recens; in Amboina vero albidus & friabilis. Coquunt etiam farinam Sagu in aqua, unde pulmentum parant, gelatinæ amyli Tritici ſimile, quod copio-

(*) *l. c.* (**) K. *Vetenſk. Acad. handl. vol.* 36. p. 142. *ſeq.*

(***) *Orientaliſche Reiſe-beſchreib.* p. 186.

(†) Vid. VALENTINI *Ind. litterat.* p. 435.

copioſe edunt, præcipue infantes & mulieres, ſed vappidum dat nutrimentum, ad cachexiam & hydropem diſponens. Quando *grana* Sagu parant Indiani, amylum diligenter lavant frigida, & ſimulac ſemiſiccatum eſt, inter manus illud volutant, tum cribrum permeare cogunt, unde figuram ſubrotundam obtinent grana, quæ deinde ſiccanda, primum in ſole; poſtea ſupra lenem ignem, usque dum indureſcant, ut vendi poſſint. Ex quavis arbore amyli circiter libr. 300 vel 400 accipiunt. Si truncus vigens ſauciatur, ſtillat ſuccum viſcoſum ſ. gelatinoſum, tanta quidem copia, ut arbor inde pereat.

553. PHOENIX dactylifera. LINN. *Sp. pl. 1658. Mat. m. 501.* KNIPH. *Bot. orig. cent.* 2.
Palma. KÆMPF. *Amœn. p. 677. — 716. t. 1. 2. 3.* BAUH. *Hiſt. 1. p. 351.*
Pharm. DACTYLI Fructus.
Locus. India. *Arbor, Palma.*

FORMA. ſicc. Spadix fœmineus ligneus, longiſſimus, plurium ulnarum, dependens, glaber, colore ſtramineo, angulatus, ramoſus, virgatus: ramis ternis vel quaternis, ſparſis, angulatis, ſubtetragonis, lævibus, ſimplicibus, flexuoſis, onuſtis fructibus, ſeſſilibus, ſparſis, longitudinaliter diſpoſitis. *Perianthium* fructus hemiſphæricum, concavum, luteſcens, magnitudine ſem. Piſi majoris, glabrum, imbricatum: ſquamis ſex lato-ovatis, obtuſo-rotundatis, rigidis, pergamenis, adpreſſis; quarum 3 exteriores paullo minores, carinatæ, æquales, 3 interiores paullo majores, undique fructui arcte adpreſſæ. *Drupa* cylindrica, ſæpe conica, pollicaris, pollicis craſſitie, apice obtuſo-rotundata, tuberculo terminata, rubicunda, ſubdiaphana, glabra, baſi truncata,

cata, ſæpe ſubalbida, (ſc. ubi calyce tecta fuit), unilocularis. *Nucleus* cylindricus, oſſeus, extus cinereo-brunneus, intus plumbeo-ſubviolaceus, ſolidus, utrinque obtuſus, undique minutim rugoſus, læviuſculus tamen, ſubtuberculatus, dorſo convexo-teres, hilo progerminante orbiculato depreſſiuſculo in medio dorſi, antice ſulco longitudinali profunde exaratus. *Parencyma* drupæ pulpoſum, melligenum, craſſitie lineæ vel ultra, pariete interiori, nucleum ſpectante, veſtitum *tunica* tenera, nivea, ſubſplendente, membranacea, ſub qua latet ſubſtantia alba, minutiſſime ſpongioſa, ſubpulpoſa.

PROPR. ſicc. Drupæ: *Odor* nullus; *ſapor* melligenus, dulciſſimus; *maſticata* drupa ſolvitur in ore, excepta tunica interiore, quæ emollitur quidem, ſed tenax fit & ægre comminuitur.

VIRTUS: nutriens, edulcorans, pectoralis.

USUS. Tuſſis.

OBS. 1. Dactyli immaturi acerbi ſunt, maturi vero dulciſſimi. Non tota ſimul ſubſtantia matureſcunt & molleſcunt, uti noſtri fructus, ſed ſucceſſive, incipiendo ab apice drupæ, maturatione verſus baſin ſenſim ſerpente; & illud quod maturatum eſt dignoſcitur ex pelluciditate, quam induit, cum rubedine conjuncta. Sed palmicolæ ante legunt hos fructus, quam maturitatem plenariam attigerunt, ne, ad baſin producta mollitie, dactyli ſponte perianthiis excidant, & e cacumine arboris præaltæ delabendo lædantur. Hinc dactyli plerumque occurrunt baſi pallidi, opaci, parencymate niveo, duriuſculo, minutim ſpongioſo. Collectio dactylorum a palmicola communiter fit adſcendendo comam arboris, ubi manu maturos & matureſcentes decerpit, crudioribus relictis, poſtmodo legendis. Collecti mox per nonullos dies in acervos cumulantur,

tur, & ſolis ardori exponuntur, ex quo fit, ut amplius quaſi excoquantur atque etiam ſiccentur, inter quæ druparum quoque baſes ſubmatureſcunt, dulcesque evadunt, quamvis opacæ. *Recentes* Dactyli ſiccatis longe ſapidiores ſunt, ut narrat KÆMPFERUS, carnoſo-pulpoſi, pingviuſculi, ſapore vinoſo, dulciſſimo. Indigenæ ſyrupum ex dactylis inſolatis parant, expresſione pulpæ ope torcularis, qui apud illos uſitatiſſimus eſt in omni fere cibo, butyri loco. Sunt qui dactylos expreſſos in aqua coquunt, in pulpæ tenuis ſ. ſyrupi conſiſtentiam, ſyrupo expreſſo longe deteriorem. Vinum etiam parari poteſt ex dactylis maturis, aqua perfuſis, fermentatione. Spiritus etiam valens a dactylis deſtillari poteſt. Variant dactyli in ipſa patria, colore, forma & ſapore. Præſtantiſſimi ſunt *regii* dicti, qui omnium quidem dulciſſimi, & quaſi ſuccinum pellucidi. Quos ſupra deſcripſi, Dactylos, e Tripoli Barbariæ habui; e Mauritania accepi Dactylos longe majores, ovato-oblongiuſculos, ſubrugoſos, cinereos, apice rubros; nucleo breviore, magis rugoſo, pulpa grate acido-dulci.

OBS. 2. *Infuſum* aquoſum rubicundum, ſpiſſiuſculum, dulciſſimum, melligenum; vitriolo martis nequicquam demutatum. Reſiduum, in aqua coctum, dedit decoctum tenue, fere ut ſerum lactis, ſubrubicundum, minus dulce. Si vero dactyli ipſi absque prævia infuſione coquuntur, *decoctum* emergit rubicundo-opacum, ſpiſſum, perquam dulce. Loco tepido ſponte fermenteſcit; ſed leni evaporatione ſuper ignem inſpisſatur in *Syrupum* rubrum, ſubdiaphanum, dulcem, non glutinantem.

OBS. 3. Si nuclei oſſei in aqua per nonnullas horas coquuntur, adeo emolliuntur, ut cultro facile ſecari poſſint. Decoctum dant ſaturate rubrum, odoris & ſaporis expers, vitriolo martis leviter fuſceſcens.

554.

554. ARECA Cathecu. Linn. *Sp. pl.* 1659. *Mat. m.* 503.

Pinanga. Rumph. *Amb.* 1. *p.* 26. *t.* 4.

Caunga. Rheed. *Malab.* 1. *p.* 9. *t.* 5 — 8.

Palma arecifera nucleo verſicolore moſchatæ ſimili. Pluk. *Phyt. t.* 309. *f.* 4.

Pharm. TERRA CATECHU (Japonica).

Locus. India. *Arbor, Palma.*

FORMA. Gummi-reſina in fruſtulis majoribus, fuſco-nigra, nitidiuſcula, dura, fragiliuſcula, homogenea, ſæpe ligni ramentulis conſpurcata, fragilis: fracturis irregularibus; in pulverem facile reſolubilis: pulvere brunneo-rubro.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* ſubſtypticus, dein amaricans, poſtea ſubdulceſcens; *maſticata* inter dentes dura, fragilis, comminuitur, ſolvitur: ſaliva rubra. Solvitur in aqua: ſolutione rubra; qua magnam partem in ſpiritu vini: tinctura ſangvineo-fuſca. Solvitur etiam in aliis liquidis, ut in vino, cereviſia, acidis, at non in oleis. Solutio in aceto vini colore cineraſcente eſt. Sub ſolutione in liquidis, in ſuperficie cineraſcit. In candelæ flamma non accenditur, ſed in carbonem ignitum redigitur, fumat, odore non grato. In vaſe ferreo ſuper ignem emollitur, admota flamma accenditur, flagrat, flamma parca, luteſcente, remanente carbone nigro, ſicco, fragili, ſplendente, parum inquinante.

VIRTUS: adſtringens, ſtomachica.

USUS. Scelotyrbe, Diarrhœa.

OBS. 1. *Solutio* aquoſa cum vitr. martis derepente nigreſcit. Hujus ſolutionis ſaturatiſſimæ guttæ 4, aquæ unciæ ß inſtillatæ, addito vitr. martis, colorem fuſco-ferrugineum ſtiterunt. *Tinctura* ſpirituoſa ſaturatiſſi-

tiſſimá, fuſco-ſangvinea eſt, ſapore intenſius ſtypticos; cum aqua pura diluta, ſangvineo-rubra evadit, ſed non lacteſcit. Tincturæ ſaturatiſſ. guttæ 2, cum aquæ unc. ℥ & vitriolo martis, colorem fuſco-nigrum effecerunt. Sic tinctura Terræ Catechu ſpirituoſa magis ſtyptica eſt, quam ſolutio aquoſa.

OBS. 2. De Terra Catechu ſcripſit E. HAGENDORNIUS (*).

555. PALMA oleoſa. HUGHES *Barbad. p.* 111. BLACKW. *Herb. t.* 363.

Palma foliorum pediculis ſpinoſis, fructu pruniformi luteo oleoſo. SLOAN. *Hiſt.* 113. *t.* 214.

Palma dactylifera aculeata, fructu corallino, major. BARRER. *Æquin.* 87.

Pindova. PIS. *Braſil.* 62.

Pharm. *PALMÆ* Oleum ſebaceum.

Locus. Jamaica, Cayenna, Barbados. *Arbor*; *Palma.*

FORMA. *Oleum coctum* ex fructu hujus Palmæ, decoctionis ope elicitum, bytyraceum, colore Ceræ flavæ, ungventaceum.

PROPR. *Odor* gratus, fere Iridis florentinæ; *ſapor* pingvis, validus, odori congruens; *maſticatum* mox in ore liqueſcit. Inter digitos tractatum cito liqueſcit, & chartæ illinitum illam pellucidam reddit, perinde ut reliqua olea. In leni calore liqueſcit, fluit; in frigore rigeſcit. In vaſe ferreo ſuper ignem ebullit; admota flamma non ſuccenditur; ſed ellychnium oleo immiſſum facile accenditur, flagrat inſtar candelæ: flamma vivida, non fuliginoſa, odorem Iridis florentinæ ſpargente. Ætate ranceſcit, amittit colorem luteum, & albeſcit, proinde rejiciendum.

Kkk *VIR-*

(*) *Tract. de Catechu, ſeu Terra Japonica,* Jenæ 1679.

VIRTUS: emolliens.

USUS. Durities ventris.

OBS. In duritie abdominis præſtantiſſimum remedium eſt hoc oleum, ſive ſit venter durus infantum, ſeu adultorum, atque in morbis tam acutis, quam chronicis. Sæpius felici ſucceſſu oleum Palmæ adhibui. Quandoquidem conſiſtentia eſt ungventi, facileque liqueſcit, venter totus hoc oleo commode illiniri poteſt, poſtea integendus panno, qui, oleo hocce denſius ſuperunctus eſt. Uſui non obſiſtit odor, qui gratus eſt, nec rancidus, uti ex plerisque aliis ungventis. In ora Guineæ, Senegal &c. alia ſpecies palmæ provenit, cujus fructus oleum Palmæ dat, nempe Palma altiſſima non ſpinoſa, fructu pruniformi minore, racemo ſparſo; SLOAN. *Jam. vol. 2. t. 215.* De hac plura tradunt cl. ADANSON (*), GVILL. SMITH (**) & plures. Nigritæ hoc oleo utuntur non ſolum ad cibum, verum etiam ad medicinam, totumque corpus illo circumlinunt.

FRUCTUS.

556. MYRISTICA. LINN. *Mat. med. 509.*

Le muſcadier. SONNERAT *Nouv. Guin. p. 194. t. 116.*

Nux moſcata fructu rotundo. PLUK. *Alm. 265. t. 209. f. 1.* BLACKW. *Herb. t. 353.*

Nux myriſtica. RUMPH. *Amb. 2. p. 14. t. 4. 5.* CLUS. *Exot. 13. 14.*

Nuez moſcada. ACOST. *Drog. p. 36. t. 35.*

Pharm. & Culinis: NUX MOSCHATA (Myrſtica), MACIS.

Lo-

(*) *Hiſtoire nat. du Senegal, p. 107.*
(**) *Nouveau Voyage de Guinée, part. 2. p. 70.*

Locus. Inſulæ Moluccæ, præſertim Banda.
Arbor.

FORMA. Drupa magnitudine fere ovi gallinacei, pedunculata, axillaris, ſubſolitaria, ſubrotunda vel turbinata, glabra, gilva, utrinque longitudinaliter ſulcata, tandem bivalvis, ſulcis dehiſcentibus; *parencymate* carnoſo, albicante, repleto ſucco tenui, ſeroſo, ſapore auſtero, ſtyptico, minime eduli. *Nux* ſubrotunda, decidua, intra valvulas drupæ dehiſcentes, magnitudine ovi columbini, vel ultra, fuſca, ſcabriuſcula, inſcripta ſulcis longitudinalibus, ſubreticulatis; *teſta* dura, craſſitie lineæ dimidiæ, fragilis: fracturis fuſcis, nitidiuſculis; ſuperne obvelata *tunica* (*Macis* dicta) membranaceo-pulpoſa, pingviuſcula, teſtæ adpreſſe adhærente, undique glabra; recente ſangvinea, ſiccata luteſcenti-coccinea, fragili; multifida: laciniis linearibus, ſingulis apice multifidis, acutis, inflexis. *Nucleus* (*Nux moſchata*) liber intra teſtam, brunneo-cineraſcens, ſubrotundus, magnitudine Pruni minoris, utrinque obtuſus, læviuſculus, reticulatus ſulcis, quorum longitudinales validiores; *parencymate recentis* carnoſo, pingvi, oleum plorante ex acu intruſo; *ſiccati* vero ſolido, duriuſculo, ſubfragili, poſt ſectionem transverſalem cinereo, undique picto venis fuſcis, longitudinalibus, inæqualibus.

PROPR. Nucis Myriſt. Odor fragrans, gratus; *ſapor* pingviuſculus, aromaticus, odori congruens, calidus; *maſticata* inter dentes friabilis, facile comminuitur, ſolvitur fere in ore, calet in faucibus. *Macis: odor* nucis Myriſticæ, verum fortior; *ſapor* nuce fortior, magis aromaticus, magis calidus, vix ſubamaricans; *maſticata* ſubito

to emollitur, comminuitur, inter dentes ſub-pulpoſa ſentitur, ſed non ſolvitur; calet in faucibus.

VIRTUS: anodyna, ſtomachica, reſtringens, calefaciens.

USUS: culinaris; Diarrhoea.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum *nucis* Moſchatæ, in balneo paratum, citrino-limpidum, cum innatantibus guttulis oleoſis, odore aromatico, ſapore conſimili, cum vitr. martis vix fuſceſcit. *Decoctum* aquoſum ſaturatum turbidum, emulſivum, pellicula oleoſa innatante, odore aromatico, ſapore pingviuſculo, aromatico; vitriolo martis dilute fuſceſcit. *Infuſum* aquoſum *Macis* aqueum, opaleſcens, aromaticum; a vitriolo martis non alteratur.

OBS. 2. *Oleum expreſſum* paratur e nucibus Moſchatis, in mortario ferreo contuſis, ſacculo incluſis, & vapore aquæ bullientis penetratis, poſtea in prelo calefacto expreſſis; ſic obtinetur oleum butyraceum, citrinum, odore atque ſapore nucis Moſchatæ, ſcil. olei unc. 6 ex nucum libr. 1. Hoc oleum ætate palleſcit, ſolideſcit in conſiſtentiam ſebi; ſupra ignem ſubito funditur, admota flamma accenditur, flagrat: flamma vivida, diſperſa, non fuliginoſa, vix fumante. Sæpe adulteratur axungia admixta. Oleum nucis Moſch. *ſtillatit.* dilute luteſcens eſt, liquidum, odore & ſapore ipſius nucis. Oleum ſtill. *Macis* dilute citrinum, liquidum, odore & ſapore Macis, ſubdulceſcens, natans. J. Brown macis largiorem quantitatem deſtillavit, & deſtillationem bis vel ter repetiit, atque ſic duplex obtinuit oleum Macis, alterum natans, alterum fundum petens (*). Oleum Macis, eadem encheireſi ac de Nuce moſchata dictum eſt, a cl. Spiel-

MANN

(*) *Philoſ. tranſact. vol. 33. p. 365.*

MANN expreſſum, odoratiſſimum fuit, colore brunneo, butyraceum; Macis libra ℔ olei dedit ſesquiunciam.

OBS. 3. Poſtquam fructus Myriſticæ maturuere drupis dehiſcentibus, incolæ arbores conſcendunt, & fructus decerpunt, quos cultro privant drupa adhærente, abjicienda. Nuces ſic purgatæ domum reportantur, & Macis ſangvinea mox ſeparatur, cultello abradenda, quæ per dies aliquot primum in ſolis calore ſiccatur, unde obſcure rubra fit; poſtea ſaccis compingitur, &, ne comminuatur, aqua marina conſpergitur; transportatur poſtmodo in Europam, colore aurantio tunc conſpicua. Nuces pariter in ſole ſiccantur per dies nonnullos, deinde menſis circiter ſpatio exponuntur fumo ex ligno accenſo, poſt fuſtibus pulſantur, ut teſtæ confringantur, nucleique eximi poſſint. Hi nuclei poſtmodum immittuntur in calcem extinctam, cum aqua dilutam, ita ut calce undique obducantur, quod ideo fit, ut immunes reddantur a putredine, atque in disſitas regiones mitti poſſint.

OBS. 4. Generis Myriſticæ plures ſunt ſpecies, ex ſitu florum ſ. fructuum diſtingvendæ. Non omnes aromaticæ ſunt. *Panem-Palka* RHEED. *Malab.* 4. *p.* 9. *t.* 5, quæ in ſylvis Malabaricis occurrit, fructus gerit magnitudine ovi anſerini; ſed neque macis illius, neque nucleus, odore vel ſapore præditi ſunt conſpicuo; quare nullius fere uſus eſt, niſi quod Judæi hac maci vulgarem adulterant, & ex nucleis oleum exprimunt, quod demum genuino oleo nucis moſchatæ, lucri cauſſa, immiſcent. *La fauſſe Muſcade*, SONNERAT *Nouv. Guin. p.* 196. *t.* 118. *f.* 3. huic accedit; gerit fructus magnitudine ovi gallinacei, & nuclei ſapore ſunt Nucis avellanæ, ſed absque aromate. *Palala tertia* RUMPH. *Amboin.* 2. *p.* 27. *t.* 7. nucleos gerit vix Piſi ſeminibus majores, qui non aromatici ſunt, neque maci fragrante præditi. Vera arbor Myriſtica

 obve-

obvenit in Nova Guinea, & colitur in inſulis Moluccis; præſertim in Banda. Propagatur nucibus nondum rite maturis, ante decerpendis quam macis occipit ſangvinea evadere. Si enim probe maturatæ fuerint nuces; non bene progerminant. Arbor turget ſucco viſcido, rubicundo, lintea indelebili colore tingente, quem ſauciata fundit, plerumque cum ſuo interitu Collectionem fructuum ter de anno inſtituunt incolæ, propterea quod inæqualiter matureſcunt, per novem menſes increſcentes in maturitatem. Amat hæc arbor umbroſa; nec ſolem facile fert. Nux Myriſtica fructu ſubrotundo; mas appellatur; altera vero varietas, fructu turbinato, fœmina nuncupatur; prior Europæis magis arridet, poſterior vero Indianis.

OBS. 5. De nuce Moſchata integra narratio in extenſo legi poteſt apud VALENTINI (*). Relatio illa, quam jurato dederunt ABR. BOUDENIUS & GOER. HAUPTIUS (**) deſuper arboribus Nucum Moſchatarum, earumque viridariis in Banda, anno 1682 exhibita, oppido curioſa eſt & legi meretur. Scripſit etiam de hac nuce C. F. PAULLINI (***) librum craſſum, compilatum, ubi caſus & formulas a variis Auctoribus mutuatus eſt, ſed vix ullas proprias attulit obſervationes.

557. ANACARDIUM. DAL. *Pharmac.* 310. * PARKINS. *Theatr.* 1563.

Pharm. *ANACARDII ORIENTALIS* Nux.

Locus. Suratte.

FORMA. *Nux* fuſco-nigricans, glabra, ſuperficie adſperſa punctulis excavatis, ovata, obtuſa, utrinque compreſſa, baſi craſſior, pollicaris; *teſta*

(*) *Ind. literat.* p. 452. *ſeq.*
(**) VALENTINI *l. c. p.* 461.
(***) *Moſchokaryographia, ſeu Nucis Moſchatæ deſcriptio,* Francof. & Lipſ. 1704.

ſta craſſiuſcula, conſtante e *diploë* celluloſa, fœcunda ſucco nigro, *nucleo* amygdalino.

PROPR. Succus diploës ater, oleoſus, acerrimus, atro colore inficiens. Si diutius ſervatæ fuerint nuces, hic ſuccus ſiccatur in bitumen fragile, inſtar picis nitens, quod, ignis flammæ admotum, accenditur.

VIRTUS ſucci: cauſtica.

USUS: mechanicus.

OBS. 1. Succus diploës potiſſimum uſurpatur ad lintea litterarum notis inſignienda, quod nigrities ejus ita pertinaciter illis inhæret, ut deleri nequeat, etiamſi ſalibus lixivioſis & ſapone diligenter perlaventur. Et utut valde cauſticus eſt hic ſuccus, lintea tamen non corrodit. Siccatus nullo menſtruo, quantum mihi conſtat, ſolvitur, ſaltem neque in aqua, nec in ſpiritu vini, oleo expreſſo, vel ſpiritu vitrioli, neque vero decoctione protracta, emollitur. Decoctum ipſius teſtæ cum vitriolo martis nigreſcit. Teſta, ignis flammæ admota, accenditur, flagrat, flamma vivida, fumo odore olei expreſſi accenſi; ſub deflagratione funditur bitumen in cellulis igni proximis; cum id accenditur, ebullit ſub deflagratione; ab igne remotum mox iterum indureſcit.

OBS. 2. Statuunt quidam, nuces has ad Avicenniam tomentoſam LINN. pertinere; ſed cl. N. J. JACQUIN, qui Avicenniam in ſolo natali examinavit, claris verbis id negat. Quoniam itaque autoptæ potiſſimum fidendum arbitror, relinquitur mihi, ut nuces haſce *obſcuris* etiamnum adnumerem.

GUMMATA.

558 PERUIFERA. LINN. *Mat. med.* 514.
Terebinthus procera balſamifera rubra. BARRER. *Æquin.* 108. *

Cabureiba. Pis. *Braſil.* 57.
Hoitziloxitl. Hernand. *Mexic.* 51.
Pharm. PERUVIANUM BALSAMUM.
Locus. Cayenna, Mexico, Braſilia; copioſe ad Carthagenam; Jacquin.

FORMA. Reſina liquida, lente fluida, obſcure rubra, conſiſtentia ſyrupi ſpiſſi vel Terebinthinæ, in calore ignis fluidior, diaphana ſi vitro illinita, alias opaca.

PROPR. Odor fragrans, exacte ſiliquæ Vanillæ; *ſapor* balſamicus, pingviuſculus, amaricans, acriuſculus, odori congruens. Frigidum balſamum ab ignis flamma non ſuccenditur, ſed calefactum accenditur & flagrat, flamma vivida, luteſcente, fumante, fuliginoſa. Hoc balſamum, in aquam frigidam immiſſum, ſubito ſubſidit ad fundum, & non ſolvitur, ſed cum aqua, etiam fervida, conquaſſatum, odorem aquæ communicat. Cum aqua deſtillatum, dat circiter $\frac{1}{16}$ *olei eſſentialis* rubicundi, fragrantis, ſapore pungente, in larga quantitate ſpiritus vini ſolubilis. Super ignem evaporatum, relinquit craſſamentum nigrum, inſtar colophonii; ſed ſi ex arena deſtilletur, abſque additione aquæ, dat oleum flaveſcenti-rubrum, leviter empyreumaticum, natans, ſubſequente oleo craſſiore, in aqua ſubſidente. Cl. Lewis ſtatuit, Balſamum Peruvianum in deſtillatione etiam dare pauxillum florum ſalinorum, pari modo ac Gummi Benzoë. Solvitur hoc balſamum in ſpiritu vini rectificato. In oleo expreſſo non ſolvitur, ſed decomponitur, ita ut oleum ejus eſſentiale abſorbeatur ab oleo expreſſo, quare ſpiſſeſcit, tenax evadit, & vertitur in faciem Reſinæ Jalappæ nuper præparatæ; ſicque perdit pingvedinem ſuam, quo mediante fluidum

dum erat; & agitatione inter digitos, facile in pilulas efformari poteſt; ſub digeſtione oleum expreſſum non tingit, ſed odorem ei communicat. Neque magis ſolvitur in oleo ſtillatitio, verum tingit oleum colore dilute luteo; ſpiſſeſcit aliquantulum, in faciem duntaxat ungventi.

VIRTUS: vulneraria.

USUS. Vulnera, Ulcera.

OBS. Ex trunco arboris Peruiferæ inciſo hoc balſamum ſtillat, adeo fragrans, ut e longinquo ſentiatur.

559. RACKASIRA Balſamum. VAN DER BECK *Act. phyſ. med. A. N. C. vol. 1. app. p. 123.* VOGEL *Mat. m. 307.* RIGER *Introd. tom. 2. part. 1. p. 85.*

FORMA & PROPR. Balſamum diaphanum, grave, rubro-brunneum, tenax, in fila ductile, *odore* balſamico; *ſapore* balſamico, amaricante; dum guſtatur, labia conglutinat.

VIRTUS: vulneraria.

USUS. Gonorrhœa.

560. AMMONIACUM. LINN. *Mat. m. 516.*

Pharm. AMMONIACUM Gummi.

Locus. Ægyptus.

FORMA. Gummi-reſina ſolida, in fruſtis majoribus, lucidiuſcula, molliuſcula in calore & plaſtica, in frigore fragilis;ivideſcens, variegata: maculis ſ. glandulis inæqualibus, albidis, homogeneis, læviſſimis, nitidiuſculis.

PROPR. Odor fragrans, gravis, in Galbanum incidens; *ſapor* amaricans, graviuſculus, acriuſculus, inhærens; *maſticata* emollitur, dentibus ſubadhæret, præcipue glanduloſa pars, alba evadit, ſolvitur: ſaliva lacteſcente. Digitis tractata iis adhæret. Ignis flammæ admota ſubito

accenditur, emollitur, ſubdeſtillat, fremit, diſſilientibus particulis, flagrat: flamma vividiſſima, alba, fumante, parum fuliginoſa, odore gravi. In vaſe ferreo ſuper ignem funditur, ebullit, admota flamma ſubito accenditur, tumet, deflagrat, remanente carbone concavo, atro, lucido, ſicco, vix inquinante. Trituratione ſolvitur in aqua pura, cerevifia, vino & aceto vini: ſolutione lacteſcente. Solvitur digeſtione in ſpiritu vini rectificato, qua dimidiam partem: tinctura clara, filtrata limpidiſſima, debiliter odorata ex ammoniaco; quæ vero, aquæ inſtillata, ſubito lacteſcit, & exaltatur odor ammoniaci, quiete notabiliter ſe non præcipitat. G. Ammoniacum, cum aqua deſtillatum, aquam ſtill. parum fragrantem dat, & , ut Lewis obſervat, nihil olei eſſentialis. Si vero in aqua pura absque agitatione digeritur, cum aqua non miſcetur, ſed manet in fundo vaſis, & albiſſimum fit, molle, inſtar caſeoſæ partis poſſeti. In oleo expreſſo digeſtum non ſolvitur, nec tingit oleum; neque magis cum oleo ſtillat. ſolvitur, ſed emollitur, & tingit oleum colore ſaturate luteo.

VIRTUS: aperiens, expectorans, emmenagoga, ſubeccoprotica. *Externe* emolliens, reſolvens.

USUS. Aſthma, Hyſteria, Tumores duriuſculi.

OBS. 1. *Oleum* per deſcenſum obſcure rubrum, graveolens, ſapore gravi, forti, empyreumaticum.

OBS. 2. G. Ammoniacum *amygdaloides* eſt glanduloſa pars, a ſubſtantia virideſcente ſcrupuloſius ſegregata.

561. CARANNA. Linn. *Mat. m. 517.*

Tlahueliloca Quahvitl. Hernand. *Mex. 56.*

Gomme Caranna. Des March. *Voy. t. 3. p. 259.*

Pharm. CARANNÆ Gummi.

Lo-

Locus. Mexico. *Palmæ ſpecies.*

FORMA. Gummi-reſina ſolida, in fruſtis majoribus, griſea, lucidiuſcula, facile fragilis: fracturis granulatis; friabilis: pulvere ferrugineo.

PROPR. Odor fragrans, reſinoſus, graviuſculus, in Ammoniacum incidens; *ſapor* debilis, reſinoſus; *maſticata* inter dentes valde friabilis, faciliime comminuitur in pulverem arenuloſum, non emollitur, nec ullo modo inter maſticandum coit, verum miſcetur cum ſaliva, ut pulvis duriuſculus. Ignis flammæ admota accenditur, flagrat: flamma vividiſſima, fumante, fuliginoſa; odore balſamico; emollitur, ſed non deſtillat. In vaſe ferreo ſuper ignem lente funditur, admota flamma accenditur & deflagrat, remanente carbone atro, lucido, vix fuliginoſo. Solvitur in aqua ſecundum quartam partem; ſed tres quaternæ partes in Spiritu vini ſunt ſolubiles. Deſtillata cum aqua, oleum eſſentiale dat fragrans, ut obſervat Geoffroy. Solvitur in oleo expreſſo qua partem: ſolutione rubeſcente, clara; in oleo ſtill. pariter ſolvitur qua partem: ſolutione rubra.

VIRTUS: reſolvens, roborans.

USUS: externus; Hyſteria.

OBS. 1. Gummi Garannæ eſt ſuccus gummoſo-reſinoſus, qui ex trunco Palmæ cujusdam ſauciato ſtillat; Des Marchais.

OBS. 2. In pharmacopoliis obvenit *Caranna nigra*, quæ eſt Reſina atra, ſolida, in fruſtis majoribus, lævis, lucidiuſcula, inſtar picis atræ coctæ, fragilis: fracturis planis, lævibus, nitidiuſculis; ſubfriabilis, odore fragrante, in Carannam vulgarem incidente, at fortiore; ſapore præcedentis; maſticatur ut præcedens, ſed ſaliva fuſca. Hæc reſina, ignis flammæ admota, emolleſcit, accenditur, non deſtillat, flagrat: flamma puſilla,

la, vividiſſima, vix fumante, vix fuliginoſa. In vaſe ferreo ſuper ignem difficillime funditur, tenax fit, adglutinatur vaſi, ſplendet, flagrat, odore gravi, acuto, remanente carbone atro, ſicco, ſplendente.

562. MYRRHA. LINN. *Mat. m. 519.*
Pharm. MYRRHÆ RUBRÆ Gummi.
Locus. Arabia felix, Abyſſinia.
FORMA. Gummi-reſina ſolida, in fruſtulis minoribus, rubicunda, ſubdiaphana, extus lævi-uſcula, vel verrucis elevatis ſcabrida, fragilis: fracturis ſubrugoſis, lucidiuſculis; ſubfriabilis.

PROPR. Odor fragrans, vix ingratus; *ſapor* amarus, odori congruens; *maſticata* primum inter dentes friabilis, dein dentibus adhæret, ſolvitur: ſaliva lacteſcente, halituoris fragrante. Ignis flammæ admota, ſubito accenditur, emollitur parum, non deſtillat, flagrat candelæ inſtar: flamma vividiſſima, alta, fumante, fuliginoſa, odore fragrante G. myrrhæ. In vaſe ferreo ſuper ignem non funditur, verum ſolida & non demutata permanet, ſudat paululum, tandem nigreſcit, & in carbonem vertitur nigrum, absque flamma; ſed ſi flamma, dum ſudat, admoveatur, ſubito accenditur, deflagrat, remanente carbone nigricante, ſubſplendente, ſicco, vix fuliginoſo. Solvitur maximam partem ſub digeſtione in aqua calida, ſed refrigeratione ſubſidunt partes reſinoſæ; ſecundum partem ſolvitur in ſpiritu vini: tinctura rubicunda, amara, debiliter odorata; ſed ſi aqua frigida affunditur, ſubito lacteſcit, & fragrantia Myrrhæ exaltatur. In oleo expreſſo non ſolvitur; tingitur oleum parum colore luteſcente; cum oleo ſtill. dige-ſtum inſoluta manet, dura, & oleum tinctum co-

colore luteſcenti-rubro. Cum aqua deſtillata, dat *aquam ſtill.* fragrantem, &, ut HOFFMANNUS docet, etiam *oleum ſtill.* fragrans, ponderoſum, ſubſidens; hujus olei drachm. 2 obtinentur e G. Myrrhæ unc. 16. Inter pulverandum irritat in naſo.

VIRTUS: tonica, emmenagoga, antiputredinoſa, vulneraria, anthelminthica.

USUS. Hyſteria, Obſtructio menſium, Ulcera, Gangræna.

OBS. 1. Pulchra experimenta cum Myrrha inſtituit cl. ROBINSON (*).

OBS. 2. Arbor Myrrham proferens ſponte provenit in orientali regione Arabiæ felicis, ut & in Abyſſinia, in regione illa, quam Græci Troglodyrria appellant, prout docet cl. J. BRUCE (**). Atqui præſtabilior Myrrha Abyſſinica, quæ raro occurrit. Optima ea Myrrha, quæ ex inciſuris profundis ramorum grandium exſtillat, & ſupra arborem brevi indureſcit; & quidem ſingulis annis per ejusmodi vulnus ſemel inflictum ſtillare Myrrha ſolet, tamen quæ primo anno colligitur, omnium præſtantiſſima eſt; non item quæ poſterioribus provenit, quippe quæ plerumque conſpurcatur partim heterogeneis terreſtribus eo delatis, partim ex putreſcentia vulnerum arboris. Deterrima eſt, quæ prope radicem arboris, vel e truncis antiquis, deſtillat. Arbor, quæ Myrrham gerit, adhuc obſcura eſt. Sed ex cortice foliisque, quæ in ſacculis myrrha plenis, quos apportarunt incolæ, reperit cl. BRUCE, qúæque Acaciæ veræ ſimillima deprehendit, ſuſpicandi cauſſam habuit, arborem ad Mimoſæ genus pertinere. Quod ſi ita ſit, ruit hypotheſis illa nova, quod nimirum Myrrha officinalis nonniſi ex meris inſectis eorumque nidis conſtet,

(*) *Le Pharmacien moderne, p. 47. ſeq.*
(**) *Philoſ. tranſact. vol. 65. p. 408. ſeq.*

ſtet, pari modo atque Gummi Lacca, quam quidem hypotheſin ſibi formavit ill. VON LINNÉ (*), ex occaſione cujusdam ſpeciminis Myrrhæ, plurimis pertuſi poris transverſalibus, inſectis plenis, quod F. HASSELQUIST noſtras in Ægypto adeptus fuerat.

563. BDELLIUM. LINN. *Mat. med.* 520.
Pharm. BDELLII Gummi.
Locus. Arabia, India.

FORMA. Gummi-reſina in fruſtulis minoribus, magnitudine vix fructus Ceraſi, angulatis, extus rugoſis; obſcure rubicunda, ſubdiaphana, fragilis: fracturis planis, homogeneis, lævibus, nitidiuſculis.

PROPR. Odor gravis, debilior; *ſapor* graviuſculus, amaricans, in Terebinthinam venetam incidens; *maſticata* tardiſſime emollitur, dentibus adhæret. Ignis flammæ admota non funditur, nec emollitur, ſed accenditur & flagrat: flamma vivida, vix fumante, niſi exſtincta, fuliginoſa, perſiſtente, odore balſamico; ſed fumi odor fere farinæ toſtæ eſt; ſub deflagratione pars quædam reſinoſæ ſubſtantiæ liqueſcit, repellitur a flamma, illaque exſtincta non ſolideſcit, verum tenax manet in fruſtulo, digitisque adglutinatur. In vaſe ferreo ſuper ignem non funditur, ſed ſudat ſuccum reſinoſum, tenacem, odoremque ſpargit balſamicum, ſubgratum, & admota flamma accenditur, deflagrat, remanente carbone atro, ſubſplendente, friabili, parum inquinante. In aqua frigida emollitur, & in calida ſub digeſtione ſolvitur qua dimidiam partem: ſolutione glauca ſ. opaleſcente; reſinoſa vero pars

(*) Vid. *Litteras* ejus, inſertas cl. S. BÆLTERS *Vårs Herras och Frålſares J. C. hiſtoria*, *lib. 6. p. m.* 633.

pars ſolvitur in ſpiritu vini: tinctura rubicunda, odore ſpiritus vini; quæ vero, in aquam frigidam inſtillata, ſubito lacteſcit, odore exaltato. Cum aqua deſtillata, odorem aquæ communicat. In oleo expreſſo digeſta, non ſolvitur perfecte, verum emollitur, molleſcit, & tingit oleum colore luteo. In oleo ſtill. non ſolvitur perfecte, ſed molleſcit, & tingit oleum colore dilute luteo.

VIRTUS: maturans, emmenagoga, vulneraria.

USUS: Hyſteria.

564. SAGAPENUM. Linn. *Mat. med. 521.*
Pharm. SAGAPENI Gummi.
Locus. Alexandria, Perſia.

FORMA. Duplex in noſtris officinis reperitur Sagapenum. *Purius:* Gummi-reſina ſolida, in fruſtulis minoribus, magnitudine circiter fructus Ceraſi vel ultra, rubra, ſubdiaphana, homogenea, læviuſcula, facie cornea, lucidiuſcula, conſiſtentia ceræ, in moderato calore molliuſcula, in frigore duriuſcula, fragiliuſcula; cultro ſecta reſolvitur in ſcobem albidam, quaſi ex cornu. *Vulgare* Sagapenum occurrit in fruſtis majoribus, magis opacum, rubicundum, non homogeneum, verum glandulis albidis impaſtatis, & ligni recrementis, aliisque heterogeneis ſæpe onuſtum.

PROPR. Odor fortior, graveolens, fere G. ammoniaci; ſed vulgare magis fœtidum. *Sapor* gravis, inhærens, in Aſſam fœtidam incidens. *Maſticatum* Sagapenum dentibus ſubadglutinatur, mox album evadit, ſolvitur ſenſim: ſolutione lacteſcente. Ignis flammæ admotum accenditur, non

non deſtillat, flagrat quaſi candela quædam: flamma copioſa, alta, fumante, fuliginoſa, odorata. In vaſe ferreo ſupra ignem non liqueſcit; excalefactum ſpargit odorem Allii, deinde Aſſæ fœtidæ æmulum, tandem igne validiori absque flamma nigreſcit, & admota flamma accenditur, deflagrat, remanente carbone nigro, inquinante. Solvitur trituratione in aqua frigida: ſolutione ſordide luteſcente. Dimidia circiter pars ſolvitur in ſpiritu vini: tinctura rubicunda, odore debili Sagapeni, fere ſpiritus vini; ſed ſi aquæ frigidæ inſtillatur, ſubito lacteſcit, exaltata fragrantia Sagapeni. Deſtillatione dat aquam ſtill. fragrantem, & oleum ſtill. parcum, fragrans.

VIRTUS: emmenagoga, reſolvens, maturans, ſubeccoprotica.

USUS. Hyſteria, Obſtructio menſium, Tumores duri.

565. COPALIFERA.

Copalli Quahuitl, copallifera prima. HERNAND. *Mexic.* 45.

Pharm. *COPAL* Gummi.

Locus. Mexico. *Arbor.*

FORMA. *Reſina* ſolida, in fruſtulis majoribus, irregularibus, ab ovi columbini ad pugni magnitudinem, hyalina ſ. luteſcens, ſplendens, pellucida inſtar vitri colorati, fragilis: fracturis planis ſ. convexiuſculis, lucidis; ſubfriabilis: pulvere albido. Optima colore aqueo eſt, pellucida & vitrum referens ſubobſcurum, puriſſima. Deterrima quæ opaca eſt & albeſcit. Sæpe ſolet reſina Anime pro vera reſina Copal a mercatoribus vendi, ut obſervavit BARRERE.

PRO-

PROPR. *Odor* balſamicus, debilior, in balſamum Copaivæ incidens. *Sapor* vix ullus; *maſticata* hæc reſina inter dentes friabilis, arenacea ſentitur, non ſolvitur, nec emolleſcit, neque coit, verum comminuitur. Hæc reſina, fricata, electrica evadit, ſicut plures aliæ reſinæ. Ignis flammæ admota, emollitur, accenditur, vix ſubdeſtillat, flagrat: flamma vivida, fumante, fuliginea: fumo balſamico. In vaſe ferreo ſuper ignem funditur, admota flamma accenditur, deflagrat, remanente carbone parco, ſplendente, nigro, parum inquinante. Si G. Copal per ſe deſtillatur, absque omni additione, in igne moderato, tranſcendit, ut docet cl. Bloch (*), oleum tenue, luteſcens, in alcohole vini ſolubile, una cum phlegmate luteſcente, parca quantitate. Aucto igne, adſcendit oleum ſpiſſum, magna quantitate, in alcohole vini non ſolubile. Nihil ſalini obſervavit idem Bloch. G. Copal non ſolvitur in aqua ſimplici. Si in aqua coquitur, non emollitur, nec figuram perdit. In ſpiritu vini rectificatiſſimo, digeſtione calida & frequenti agitatione, ſi prius bene pulveratum fuerit, pars vertitur in maſſam albidam, opacam, tenacem, in fila ductilem; alia autem pars in alcohole ſupernatante penitus ſoluta deprehenditur: tinctura calida limpida, dilute flaveſcente; quæ refrigerata opaleſcit, & ſponte præcipitat reſinoſum ſolutum. Spiritus vini tartariſatus agit in Copal, ſimili fere modo, ut alcohol vini. Spiritus vini camphoratus bonam illius partem ſolvit. Pulchrior & perfectior fit ſolutio, ſi camphora una cum Copal in alcohol vini immittatur. Ab oleis expreſ-

(*) *Beſchäftigungen der Berliniſchen Geſellſchaft Naturforſchender Freunde, vol. 2. p. 91. ſeq.*

ſis G. Copal, quamvis digeſtum, nihil mutatur, ſed ſi prius in igne fuſum fuerit, & oleum ejus ſtillatitium ſic propulſum, perfecte ſolvitur in omnibus oleis expreſſis ſeu ſtillatitiis. Ab oleo ſtill. Terebinthinæ digeſtione emollitur in faciem gummi Ceraſorum recentis, tenax fit, oleum vero non tingit. Sed oleum Terebinthinæ vetuſtum & rancidum validius in G. Copal agit, quam recentius oleum. Si olei Terebinth. libr. 4 cum herb. Roſmarini libr. 6 deſtillantur, atque cum eadem quantitate herbæ Roſmarini rurſus deſtillantur, obtinetur menſtruum potens ad G. Copal ſolvendum: ſolutione limpida. Adhuc perfectior fit ſolutio, ſi oleum ipſum ſtill. Roſmarini ſumitur; in hoc enim oleo frigide ſolvitur G. Copal, absque omni digeſtione: ſolutione limpidisſima, ſi nimirum Copal ſelectiſſimum fuerit, alias lenem oportet adhibere digeſtionem. Idem etiam accidit ab aliis oleis ſtillatitiis eſſentialibus, ut Lavandulæ, Benzoës. Ex hoc principio ſolutionem G. Copal ſublevat Camphora. Oleum ſtillatitium ipſius G. Copal illud pariter ſolvit. Sed oleum Succini & Petroleum nihil agunt in Gummi Copal. In oleo ſtill. Copaivæ G. Copal digeſtum, inſolutum permanet; verum ſupernatans oleum tingitur colore luteo, & ipſum Copal in fundo vaſis opacum manet, pelluciditate omni amiſſa. Sed cum ipſo balſamo Copaivæ, ignis ope, Copal conjunctionem init, miſcetur: mixtura pellucida, tenaci, in alcohole vini ſolubili, mediante digeſtione: tinctura clara, bonam vernicem efformante. Idem accidit cum Terebinthina veneta, pariter ac cum Terebinthina cocta, uti docet Bloch. In acidis non parili modo ſeſe habet G. Copal. Ab acido ſalis, quantum-

tumvis fumante, prorſus nil demutatum perrmanet. In Spiritu nitri digeſtione non ſolvitur; ſed ſi in hoc acido coquatur, ſolvitur: ſolutione limpida, dum calet, ſed turbida, dum refrigeratur. At in Spiritu Nitri fumante frigide ſolvitur cum effervefcentia. Ex aqua regia idem fere accidit. In oleo vitrioli ſolvitur cum ſpumeſcentia. In aceto vini parum vel nihil ſolvitur, ſed in ſucco Citri ſolvitur ſub jugi agitatione. Si cum ſucco Citri congelato digeritur, ſolvitur, ſolutione fuſceſcente, quæ, in aquam immiſſa, non præcipitatur, ſed commiſcetur. Acida mineralia dulcificata, cum G. Copal fervide digeſta, illud vertunt in maſſam albam, opacam, mollem, in oleis ſtillatitiis ſolubilem. In Naphtham vitrioli immiſſum G. Copal, ſolvitur, tinctura luteſcente, ſedimentum ad fundum vaſis deponente gelatinoſum, ſubdiaphanum; quæ tinctura, ſi in aquam frigidam guttatim mittitur, concreſcit in pelliculam, aquæ ſupernatantem, vulſella elevandam. Hæc tinctura præcipitatur ex affuſo Spiritu vini, largiori doſi, ſed ſi aëri libero in calore æſtivo exponitur, ſponte ſiccatur & redintegratur G. Copal, ſalva pelluciditate; atque ſic commoda eſſe poteſt ad res pretioſas cruſta Copalina ſuperinduendum, ut bene docuit cl. Bloch. Pictorum arcanum eſt G. Copal ſolvere in liquore minerali. Si cum oleo vini digeritur G. Copal, pars inſoluta in fundo jacet, alia pars in gelatinæ faciem mutatur, tinctura ſupernatante limpida inſtar aquæ, quæ, in aquam frigidam immiſſa, lacteſcit. Alcalina fixa & volatilia Copal non ſolvunt; ſed alcalina cauſtica illud perfecte ſolvunt: tinctura ab acidis præcipitata. G. Copal, in liquore Terræ fol. tar-

tari digeſtum, non ſolvitur; ſed ſi ſubtiliſſime pulveretur, & in mortario marmoreo calido diutius teratur cum duplo hujus liquoris, abit in maſſam mollem, in aqua calida ſolubilem: ſolutione lacteſcente.

VIRTUS.

USUS: mechanicus.

OBS. 1. G. Copal in medicina non uſurpatur; ſed artifices inde parant vernicem præſtantiſſimam.

OBS. 2. De hac reſina egit cl. LEHMAN (*), ſed longe perfectius cl. BLOCH (**), experimentis accuratiſſimis, quæ inſtituit, nixus.

566. CAOUTCHOUC. MACQU. *Memoir. de l'Acad. des ſcienc. Ann. 1768. p. 209.*

L'arbre Seringue. FRESNEAU *Memoir. de l'Acad. des ſcienc. Ann. 1751. p. 329. t. 20. f. 10. - 14.*

Pharm. RESINA ELASTICA.

Locus. Cayenna. *Arbor.*

FORMA. Reſina coriacea, facie Corii præparati, fuſca, nitidiuſcula, flexibilis, plicatilis, molliuſcula, extenſiva, elaſtica, in varia utenſilia communiter efformata.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* debilis; *maſticata* inter dentes ut corium ſentitur, & nullo modo ſolvitur; ſed ſi diutius maſticatur, ſaporem debilem aromaticum præbet. Reſina hæc valde elaſtica eſt, & extenſionem admittit ſummam, ſalva figura priſtina, quam reſumit, dum dimittitur. Frigori vel ſiccitati protractæ expoſita, minus plicatilis & extenſiva eſt, & ruditer tractata ſubfragilis; ſi vero in aquam calidam immittitur, mox flexilis & valde extenſiva evadit.

Sub

(*) *Memoires de l'Acad. d. ſc. de Berlin, Ann. 1758. p. 35. ſeq.*

(**) *L. cit.*

Sub digeſtione in aqua calida non ſolvitur, nec aquam imbibit, ad tactum tamen reſinoſa ſentitur, & digitis adpreſſa leviter adhæret. Id etiam accidit, ſi aqua calida ejus ſuperficiei inſtillatur, & aliquantum ibi manet. Poſtquam ſemel in aqua calida emollita fuit, tardiſſime iterum rigeſcit, flexibilitatem ſervans per integram ſeptimanam vel ultra, pro temperie aëris. Flammæ ignis admota accenditur, flagrat: flamma vividiſſima, non fumante, nec fuliginea, odore non ingrato. Sub deflagratione liqueſcit, defluit, & ſi flamma extingvitur, inſtar balſamiliquidi perſiſtit, & amplius non ſolideſcit. Deflagrat lente, adeo ut ſegmentum craſſitie duorum pollicum & longitudine duorum pedum per integrum nycthemeron flagret. In vaſe ferreo ſuper ignis flammam collocata, diu nil demutata perſiſtit, & fortem ſatis calorem patitur; ſed ſi carbonibus candentibus imponitur, unde calor fortior, incipit pingve quoddam ſudare, fuſceſcit, emollitur, & tandem ſubito funditur, oleum quoddam referens, penitusque liquida fit; ſub qua facie perſiſtit etiam ab igne remota, ſimilis balſamo pingvi, nec poſtea ſolideſcit, quamvis in frigore collocetur; hinc ignis flamma validius in hanc reſinam agit, quam ignis clauſus; ex utroque tamen vinculum ejus penitus diſſolvitur, ut in balſamum abeat, poſtea in reſinam elaſticam nunquam renaſcitura. Non ſolvitur in aqua, neque in ſpiritu vini; ſed ſi balnei calore diutius digeritur in oleo expreſſo, ex. gr. ol. nucum jugland. ſ. lini, vel in oleo ſtillat., ex. gr. ol. Terebinthinæ, perfecte diſſolvitur; ſi vero ſolutio inſpiſſatur, mollis & viſcoſa permanet, & elaſticitatem non recuperat. In Spiritu vini camphorato

to ſolvitur ſecundum partem. Ab alcalinis & acidis aut non ſolvitur, aut ſolummodo alteratur. In olla Papini digeſta, ſive cum aqua, ſive cum ſpiritu vini rectificato, nullo modo ſolvitur, verum perſiſtit, & quaſi ſubcornea fit. Sed in æthere vitrioli, bene præparato, perfectiſſime ſolvitur: ſolutione limpida & pellucida; & vero, quod notabile eſt, regeneratur in integrum, ſalva omni proprietate, etiam elaſticitate; ſic ſi ſolutio hæc aquæ frigidæ inſtillatur, generatur pellicula elaſtica in ſuperficie aquæ; & ſi ſupra corpus quoddam ſolidum mittitur, ſuperinduitur id mox tegmine elaſtico, ut egregie docet cel. MACQUER.

VIRTUS.

USUS: mechanicus; inſtrumenta ad clyſmata, injectiones.

OBS. Truncus arboris, per corticem usque ad lignum inciſus, ſuccum fundit lacteum, qui, recenter collectus, & formis ex terra argillacea illinitus, ſpiſſeſcit, dum fumo ſpiſſo ex vegetabilibus & igni moderato exponitur, unde concreſcit in formam corii, & augetur craſſitudo pro numero ſtratorum ſucci, quæ ex integro repetuntur, utprimum adſiccelcere occipiunt priora ſtrata. Hæc denique cuncta coaleſcunt in unum corpus, quod debitam conſiſtentiam acquirit, dum poſtremo ſupra ignem paullo validiorem ſiccatur. Sub deſiccatione varii characteres picturæque facile inſcribi poſſunt. Corium, ex Reſina elaſtica recenter paratum, luteſcens eſt, ſed ætate fuſceſcit, quod citius fit, ſi ſuperficies cinere vel pulvere terræ adſpergatur.

LIGNA.

567. AGALLOCHUM. LINN. *Mat. med.* 523.
RUMPH. *Amb.* 2. *p.* 29. *
Sinkoo. KÆMPF. *Amœn.* 903. *

Kis-

Kiſſina. Kæmpf. *l. c. t. 902. f. 2.*
Agallochum ſ. lignum Aloës. Dal. *Pharmac.* 347.*
Du Bois d' Aquila ou d'Aloës. De la Loubere *du Royaume de Siam, t. 1. p. 36.**
Du Bois d'Aloës ou Agallochum. Geoffr. *Mat. med. t. 2. p. 368.**
Pharm. ALOES (*Agallochi veri*) Lignum.
Locus. Siam, Tonquin, Cochinchina.

FORMA. Lignum non durum, in fruſtulis vix ſpithamæis, utrinque planiuſculis, obtuſis, profunde ſulcato-excavatis, ſæpe tenuiuſculis, ſubponderoſis, ex fuſco & cinereo variegatis, nitidiuſculis, ſecamentis fragilibus, reſinoſis.

PROPR. Odor, dum fricatur, gratus, debilior tamen; *ſapor* gratus, balſamicus, leviter amaricans. *Maſticatum* ſecamentum ligni inter dentes friabile, facile comminuitur, & ubi deglutitur, levis in faucibus remanet acrimonia; cum ſiccitatis ſenſatione. Ignis flammæ admotum ſubito accenditur, flagrat: flamma vivida, luminoſa, fumante, fuliginea. Sub deflagratione liqueſcit reſina fuſca, ebullit, conſumitur, & ſpargit odorem gratum, balſamicum; remanente carbone atro, inquinante. Lignum, vitri parieti affricatum, veſtigia reſinoſa relinquit.

VIRTUS:

USUS. Suffimenta.

OBS. 1. Lignum Aloës nunquam occurrit in fruſtis integris trunci ſ. ramorum, uti alia ligna, ſed ſemper in fruſtulis exciſis & excavatis; etenim, prout recte obſervarunt Auctores, ſunt tantummodo fruſtula reſinoſa, quæ e truncis arborum ſubemarcidis ſ. ſemimortuis exciduntur, ſparſim reperiunda, neque id ſine difficultate. Maximi æſtimatur, etiam in ipſo ſolo natali,

 ubi

ubi in domubus opulentiorum & magnatum uſurpatur, præcipuè ad ſuffimenta. Sæpe etiam in medicina adhibetur. Statuunt, illud eximium eſſe excitans, atque inſimul alvum laxam reſtringere. Ego equidem ad ſuſpicandum ducor, lignum hoc minime eſſe venenatum. Certe RUMPHIUS negat, arborem, ex qua deſumitur, lacteſcere, & probabile vix eſt, gentes, per longiſſimum temporis decurſum, illud lignum ut ſuffimentum adhibuiſſe in ædibus propriis, in conviviis, in conventibus publicis, ſicubi pro venenato habuisſent. Medici priſtini vim hujus ligni excitantem univerſi laudarunt; dubito tamen fuiſſe quemquam, qui plus ligno Aloës confiſus ſit, quam WEDELIUS (*), dum dixit. *Nullum lignum eſt ſub Sole, quantum quidem hucusque noſcere eſt datum, quod hoc aſſequatur, nedum ſuperet, viribus confortativis, ut, ſi arbor vitæ quædam ſtatuenda eſt ſupereſſe, hæc, ſi non vera & genuina, tamen ſuccedanea ipſique quam proxima, omni merito ſuo dici debeat.*

OBS. 2. In noſtris officinis Lignum Aloës rarius obvenit. Specimen, quod deſcripſi, a cel. EDV. SANDIFORT accepi, qui illud in Hollandia comparavit. Inter primarias notas, quibus Lignum Aloës verum dignoſcitur, referendum puto, quod vitro affricatum veſtigia reſinoſa poſt ſe relinquit. Scilicet fortius fricandum, quoad frictio tarde procedat, ob veſtigium ſcabrum. Hoc veſtigium non abluitur aqua, ſaliva, oleo expreſſo, vel lixivio alcalino forti, ſed duntaxat cum ſpiritu vini. Cum alcali fixo rubeſcit.

OBS. 3. De hoc ligno egit J. E. REINBOTH (**), & quidem compilando.

568.

(*) *Exercit. medico-philolog. decur. 8. p. 7.*
(**) *Diſſert. de Agallocho*, quæ recuſa exſtat in VALENTINI *Hiſt. Simplic. p. 591.*

568. ASPALATHUM. Linn. *Mat. m. 524.* Dal. *Pharm. 347.* *

De l'Aſpalathe. Geoffr. *Mat. m. t. 2. p. 378.* *

Pharm. ASPALATHI Lignum.

Locus. India Orientalis.

FORMA. Lignum præcedenti ſimile, ſed in fruſtis majoribus, dodrantalibus, utrinque planis, utrinque profunde ſulcato-excavatis, ponderoſis; obſcure fuſcum, ſubnebuloſum, minus durum, venis ſparſis, longitudinalibus, obſcurioribus; ſecamentis nitidiuſculis, ſubreſinoſis.

PROPR. Odor vix ullus, etiamſi fricetur; *ſapor* debilis, ſubaromaticus. *Maſticata* ſecamenta difficilius comminuuntur. Ignis flammæ admotum lignum accenditur, difficilius flagrat, a flamma remotum extingvitur, fumat, odore ligni ſemiputridi accenſi. Sub deflagratione liqueſcit reſina fuſca, ſed in longe minore quantitate, quam in præcedente.

VIRTUS.

USUS.

OBS. Etiamſi hoc lignum in Europa non eſt officinale, tamen, quoniam nonniſi obſcure adhuc cognitum eſt, & haberi vix poteſt genuinum, ſupervacaneum non duxi illud breviter deſcribere, poſtquam mihi contigit ſpecimen quoddam hujus ligni Aſpalathi veri e Manilla nanciſci, & quidem ope cl. C. H. Wånman, qui illud a Pharmacopœo ejus loci acceperat. Tantam ſimilitudinem habet cum ligno Aloës vero, ut facile ſeduceret, & probabile eſt, illud pari modo e truncis ſemiputridis excidi. Sed tamen ab eo differt odore non fragrante, fumo minime grato, & fruſtulis majoribus, in quibus occurrit; præterea magis ponderoſum eſt, color ille obſcure fuſcus magis æqualis, & ſi vitri parieti fortiter affricatur, veſtigia reſinoſa non relinquit.

 Sic

Sic inter bina hæc ligna exſtans eſt diſcrepantia, & deſideratur in ligno Aſpalatho omne id quod nobile eſt in ligno Aloës.

569. SANTALUM rubrum. DAL. *Pharmac.* 345.* RUMPH. *Amb.* 2. *p.* 47.* GEOFFR. *Mat. m. t.* 2. *p.* 417.*

Chum-maraum. BROWN. *Phil. transact. vol.* 23. *p.* 1057.

Santalum rubrum quibusdam, arbor orientalis Ponnæ facie. PETIV. *Muſ. n.* 679. *p.* 60.

Pharm. SANTALI RUBRI Lignum.

Locus. Java, Coromandel, circa Paliacatto, Caliaturium, in montibus. *Arbor.*

FORMA. Lignum ſolidum, pulchre rubrum, in fruſtis majoribus, extus fuſcis, ponderoſum, ſubſonorum; longitudinaliter fiſſum: fiſſura undulata; poſt ſectionem transverſalem nitidiuſculum, nebuloſum, faſciis longitudinalibus.

PROPR. Odor debilis; *ſapor* debilis, ſubadſtringens; inter *maſticandum* ſaliva rubra evadit.

VIRTUS: reſtringens.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum pulchre rubrum; vitriolo martis obſcuraſcit.

OBS. 2. Lignum Santalum rubrum eſt medullaris pars arboris, ut obſervat HERB. DE JAGER (*); qui inſimul demonſtrat, Lignum Caleaturicum nequicquam differre a Santalo rubro vero.

RADICES.

570. CALUMBA. REDI *Experim. natur. p.* 142.

Pharm. CALUMBÆ (Columbæ) Radix.

Lo-

(*) *Epiſt. ad* RUMPHIUM, in VALENTINI *Simplic. p.* 406.

Locus. Habitat in continente Aſiæ exadverſus Ceylonam.

FORMA. ſicc. Radix ſecta in taleolas, orbiculatas vel in medio fiſſas, pollicares, tectas cortice perquam rugoſo, craſſiuſculo, brunneo; *parencymate* ſolidiuſculo; poſt ſectionem transverſalem notato diſco centrali amplo, ſubfuſceſcente, picto ſtriis parallelis fuſcis, & punctis luteis, recavis, ſubcontiguis, per ſeries longitudinales & parallelas diſpoſitis, in junioribus radicibus grandioribus, in adultis vero & magis compactis longe minoribus, parvis; annulo corticali pallido, ſubluteſcente, æquali.

PROPR. Odor aromaticus, debilior, non ingratus; *ſapor* amaricans, acriuſculus; *maſticata* radix emollitur, ſolvitur fere, ſaliva ſubluteſcente, leniter mordet in lingva & faucibus, cum amaritie quadam ſubinhærente.

VIRTUS:

USUS:

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum rubro-luteſcens, odore debili, ſapore amaro; ex addito vitriolo martis non fuſceſcit, rubeſcit tamen ſaturatius.

OBS. 2. Calumba inter recentiora numeranda eſt officinalia, quorum virtus & uſus ulteriori experientia eruendi ſunt. Cl. TH. PERCIVAL (*) experimenta inſtituit cum hac radice, ex quibus didicit, illam minus reſiſtere putredini, quam Chinchinæ corticem, ſed tamen bilis putridam corruptionem cito corrigere. Obſervavit etiam, pulſum non accelerari ab uſu hujus radicis. Hinc bonam judicat in diarrhœa, dyſenteria, cholera, & phthiſi pulmonali, quod etiam expertus loquitur. Generatim laudat hanc radicem, ut egregium roborans, antiſepticum, ſedativum & antemeticum. In cho-

(*) *Eſſays medical and experimental, &c. vol. 2. p. 3. ſeq.*

cholera utiliſſime illam a drachma ß ad 2, omni tri- vel quadrihorio, exhibet, & de prægreſſo evacuante ſcrupuloſus non eſt; ſed in colica bilioſa Ipecacuanham præmittit. In febribus bilioſis, hujus radicis gr. 15, cum anatica portione Tartari vitriolati, omni trihorio dedit, unde putrida ventriculi ſaburra correcta fuit, & ſalutaris diarrhœa ſæpe excitata.

571. CHYNLEN. Ekeberg in *Litteris Mſcr.*

Pharm. *CHYNLEN* Radix.

Locus. China.

FORMA. ſicc. Radix cylindrica, ſubtoruloſo-flexuoſa, craſſitie culmi ſecalini, ſæpe pennæ anſerinæ, in fruſtulis pollicaribus vel ultra, extus rugoſa, ſubſquamata, luteo-rubra, ſæpe ſetis ſubulatis frequentibus exaſperata, fragilis; *parencymate* colore aureo-luteo, poſt ſectionem transverſalem ſubſtellato.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* amariſſimus, inhærens; *maſticata* comminuitur, ſaliva luteo-crocea.

VIRTUS: ſtomachica, ſubemetica.

USUS. Colica frigida.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum luteum, amariſſimum; cum vitriolo martis rubeſcit, alioqui non demutatur.

OBS. 2. E Cantona Chinæ hanc radicem adduxit cl. Car. Gust. Ekeberg, quod eam ibi vidiſſet magni eſſe, tanquam eximium ſtomachicum, & quamplurimo venire. Chinenſes infundere iſtam ſolent in vino, & cochlearia pauca haurire in colica, indigeſtione & aliis ejusmodi affectibus. Ego aliquoties infuſum hoc adhibui, & quidem cum emolumento, ſed deprehendi, id nonnunquam emeſin movere, ſubſequente tamen euphoria.

IN-

INDEX I.

Generum.

Acanthus. pag. 550.
Acer. 827.
Achillea. 691, 693.
Aconitum. 481, 484.
Acorus. 273.
Actæa. 450.
Adianthum. 849, 850.
Æthuſa. 197.
Agallochum. 902.
Agaricus. 864-867.
Agrimonia. 386.
Ajuga. 499.
Alcea. 587.
Alchemilla. 74.
Allium. 253-262.
Aloë. 271.
Althæa. 585.
Ammoniacum. 889.
Amomum. 1-4.
Amygdalus. 409, 413.
Amyris. 294, 296.
Anacardium. 347.
Anacardium. 886.
Anchuſa. 79, 80.
Andropogon. 823, 824.
Anemone. 488-491.
Anethum. 224, 226.
Angelica. 204.
Anthemis 694-697.
Antirrhinum. 545.
Apium. 233, 235.
Aquilegia. 484.
Arbutus. 362.
Arctium. 652.
Areca. 880.
Ariſtolochia. 715-719.
Arnica. 682.
Artemiſia. 665-674.
Arum. 721.
Aſarum. 380.
Aſclepias. 172.
Aſpalathum. 905.
Aſparagus. 266.
Aſperula. 61.
Aſplenium. 842-844.
Aſtragalus. 620.
Athamantha. 196.
Atriplex. 825.
Atropa. 126, 127.
Avena. 58.

Bdellium. 894.
Bellis. 686.
Berberis. 276.
Beta. 178, 179.
Betonica. 524.
Betula. 728.
Bixa. 465.
Boletus. 860, 862.
Borago. 86.
Braſſica. 566-579.
Bryonia. 785.
Bubon. 208, 209.
Buxus. 732.

Cæſalpinia. 343.
Calamus. 274.
Calendula. 704.

Cal-

Calla. 724.
Calumba. 906.
Cambogia. 461.
Camphoroſma. 74.
Cannabis. 797.
Caoutchouc. 900.
Capparis. 449.
Capſicum. 142.
Caranna. 890.
Cardamine. 560.
Carduus. 654.
Carlina. 659.
Carthamus. 660.
Carum. 228.
Caryophyllus. 472.
Caſſia. 337, 339.
Caſſine. 238.
Centaurea, 699, 701.
Ceratonia. 836.
Chærophyllum. 219.
Cheiranthus. 564.
Chelidonium. 451.
Chenopodium. 174 - 177.
Chryſanthemum. 686.
Chynlen. 908.
Cicer. 614.
Cichorium. 649, 650.
Cicuta. 212.
Cinchona. 104.
Ciſſampelos. 813.
Ciſtus. 476.
Citrus. 630 - 636.
Clavaria. 868.
Clematis. 492.
Cochlearia. 556, 558.
Coffea. 111.
Colchicum. 289, 292.
Conium. 192.
Convallaria. 268, 270.
Convolvulus. 95 - 99.
Copaifera. 357.
Copalifera. 896.
Cordia. 148.
Coriandrum. 214.
Coris. 115.
Corylus. 747.
Coſtus. 7.
Crocus. 35.
Croton. 760 - 769.
Cucumis. 782, 784.
Cucurbita. 777 - 779.
Cuminum. 210.
Cupreſſus. 759.
Curcuma. 5.
Cuſcuta. 76.
Cyclamen. 90.
Cynara. 655, 657.
Cynogloſſum. 82.
Cynomorium. 726.
Cyperus. 42.
Cytinus. 720.

Daphne. 303, 306.
Datura. 120, 122.
Daucus. 190.
Delphinium. 479, 480.
Dianthus. 372.
Dictamnus. 348.
Dolichos. 605, 606.
Doronicum. 685.

Dor-

Dorſtenia. 73.
Dracocephalum. 539.
Droſera. 251.

Epidendrum. 714.
Equiſetum. 841.
Ervum. 613.
Eryngium. 188.
Eryſimum. 561 - 564.
Euphorbia. 388, 390.
Euphraſia. 543.

Fagara. 71.
Fagus. 745, 746.
Ferula. 198.
Feſtuca. 47.
Ficus. 837.
Fragaria. 436.
Fraxinus. 831, 832.
Fumaria. 593.

Galium. 62.
Geniſta. 596, 598.
Gentiana. 185 - 187.
Geum. 445, 447.
Glecoma. 521.
Glycyrrhiza. 615.
Gnaphalium. 676.
Goſſypium. 590.
Gratiola. 24.
Guajacum. 345.
Guilandina. 344.

Hæmatoxylon. 351.
Hedera. 159.
Helianthus. 698.
Helleborus. 496, 497.
Herniaria. 173.
Hibiſcus. 591.
Hordeum. 55.
Humulus. 799.
Hymenæa. 342.
Hyoſcyamus. 123.
Hypericum. 640.
Hyſſopus. 509.

Jasminum. 10.
Jatropha. 774.
Ilex. 77.
Illicium. 487.
Imperatoria. 220.
Indigofera. 617.
Inula. 681.
Iris. 38 - 41.
Iſatis. 583.
Juglans. 743.
Juniperus. 809 - 813.

Lactuca. 646.
Lamium. 523.
Laſerpitium. 201.
Lathyrus. 611.
Lavandula. 512.
Laurus. 314 - 327.
Ledum. 360.
Leontodon. 647.
Leonurus. 527.
Lepidium. 552.
Lichen. 855 - 859.
Liguſticum. 202.
Lilium. 263.
Linnæa. 548.

Li-

Linum. 248, 249.
Liquidambar. 749.
Lonicera. 101, 104.
Lycoperdon. 871, 873.
Lycopodium. 851, 853.
Lyſimachia. 92.
Lythrum. 384.

Malva. 588.
Maranta. 7.
Marrubium. 526.
Matricaria. 687, 689.
Melaleuca. 639.
Meliſſa. 537.
Meniſpermum. 807.
Mentha. 513 - 520.
Menyanthes. 90.
Mercurialis. 806.
Meſpilus. 417.
Mimoſa. 828, 831.
Mirabilis. 99.
Momordica. 775.
Morus. 734.
Myrica. 790.
Myriſtica. 882.
Myrrha. 892.
Myrtus. 394 - 396.

Nepeta. 510.
Nicotiana. 117.
Nigella. 486.
Nymphæa. 463.

Ocymum. 540.
Olea. 11.
Ononis. 598.
Orchis. 711, 713.
Origanum. 529 - 532.
Oryza. 278.
Oxalis. 376.

Pæonia. 477.
Palma. 881.
Papaver. 452, 460.
Parietaria. 824.
Paris. 311.
Parnaſſia. 246.
Paſtinaca. 222, 223.
Penæa. 68.
Peruifera. 887.
Peucedanum. 197.
Peziza. 870.
Phallus. 869, 870.
Phaſeolus. 601 - 604.
Phellandrium. 211.
Philadelphus. 393.
Phœnix. 877.
Phyſalis. 130.
Pimpinella. 229, 231.
Pinus. 750 - 758.
Piper. 26, 28.
Piſtacia. 791 - 793.
Piſum. 608.
Plantago. 69, 71.
Poinciana. 341.
Polygala. 595.
Polygonum. 307 - 311.
Polypodium. 844, 845.
Polytrichum. 854.
Populus 804.
Portulaca. 382.
Potentilla. 440, 442.

Po-

Poterium. 736.
Primula. 88.
Prunella. 541.
Prunus. 399 - 407.
Pulmonaria. 83.
Punica. 397.
Pyrola. 363.
Pyrus. 417 - 421.

Quaſſia. 353 - 355.
Quercus. 738 - 741.

Rackaſira. 889.
Ranunculus. 494.
Raphanus. 582.
Reſeda. 387.
Rhamnus. 148 - 151.
Rheum. 328, 330.
Rhodiola. 805.
Rhus. 237.
Ribes. 152 - 157.
Ricinus. 771.
Roſa. 426 - 431.
Rosmarinus. 20.
Rubia. 64.
Rubus. 432 - 435.
Rumex. 280 - 288.
Ruſcus. 816, 817.
Ruta. 349.

Saccharum. 43.
Sagapenum. 895.
Salicornia. 8.
Salix. 787.
Salſola. 181.
Salvia. 22. 24.
Sambucus. 240, 242.
Sanicula. 188.
Santalum. 298.
Santalum. 906.
Santolina. 661.
Saponaria. 369.
Satureja. 507, 508.
Saxifraga. 367.
Scabioſa. 59; 60.
Scandix. 215, 217.
Scilla. 264.
Scorzonera. 644.
Scrophularia. 546.
Secale. 48.
Sedum. 373 - 375.
Sego. 875.
Sempervivum. 392.
Sinapis. 579.
Siſon. 208.
Siſymbrium. 561.
Sium. 206.
Smilax. 801 - 803.
Solanum. 130 - 140.
Solidago. 680.
Sorbus. 415, 416.
Spigelia. 93.
Spinacia. 796.
Spiræa. 422, 424.
Statice. 247.
Strychnos. 144 - 147.
Styrax. 364.
Symphytum. 84.

Tamarindus. 34.
Tamarix. 245.
Tanacetum. 662, 664.

Teucrium. 500-506.
Thea. 469, 471.
Theobroma. 626.
Thlaſpi. 554, 555.
Thymus. 534, 536.
Tilia. 467.
Toluifera. 350.
Tordylium. 189.
Tormentilla. 443.
Tragopogon. 643.
Trapa. 72.
Trifolium. 622, 623.
Trigonella. 624.
Triticum. 49, 54.
Tropæolum. 293.
Tuſſilago. 677, 679.
Ulmus. 182, 184.
Urtica. 733.
Vaccinium. 299-302.
Valeriana. 30-33.
Veratrum. 818-822.
Verbaſcum. 115.
Veronica. 17-19.
Vicia. 611.
Vinca. 170.
Viola. 705-710.
Viſcum. 788.
Vitex. 550.
Vitis. 160, 170.

Winterania. 381.

IN-

INDEX II.

Officinalium & Culinarium.

Abelmoſchus. 591.
Abies. 758.
Abrotanum. 665.
Abſinthium ponticum. 668.
- - - vulgare. 669.
Acacia noſtras. 408.
Acer. 827.
Acetoſa. 286.
- - - rotundifolia. 288.
Acetoſella. 376.
Acetum. 160.
Aconitum. 481.
Acorus paluſtris. 39.
Actæa. 450.
Adianthum. 850.
- - - aureum. 854.
Agallochum verum. 903.
Agaricus delicioſus. 865.
- - - optimus. 861.
- - - præparatus. 862.
Agnus caſtus. 550.
Agrimonia. 386.
Alcanna. 80.
Alchemilla. 75.
Alkekengi. 130.
Alliaria. 564.
Allium. 254.
Aloës lignum. 903.
- - - ſuccus. 271.
Althæa. 585.
Ammi verum. 208.
Ammoniacum. 889.
Amygdala dulcis. 409.
- - - amara. 410.
Amylum. 49.
Anacampſeros. 374.
Anacardium occident. 347.
- - - orientale. 886.
Anethum. 224.
Angelica ſativa. 204.
- - - ſylveſtris. 206.
Anime. 342.
Aniſum. 232.
- - - ſtellatum. 487.
Anſerina. 440.
Anthophyllus. 472.
Anthora. 484.
Anthos. 20.
Apium. 235.
Aquilegia. 485.
Arabicum gummi. 828.
Ariſtolochia fabacea. 593.
- - - longa. 718.
- - - rotunda. 718.
- - - trilobata. 715.
- - - vulgaris. 719.
Armeniaca. 407.
Armoracia. 558.
Arnica. 682.
Artemiſia rubra. 671.
Arum. 721.
Aſarum. 380.
Aſpalathum. 905.

Aſparagus. 266.
Aſſa fœtida. 198.
Atriplex ſativa. 825.
- - - ſylveſtris. 175.
Avellana. 748.
Avena. 58.
Aurantium. 636.
Auricula Judæ. 871.

Balauſtiorum flores. 397.
Balſamita. 664.
Barba hirci. 643.
- - - caprina. 868.
Barbarea. 563.
Bardana. 652.
Baſilicum. 540.
Bdellium. 894.
Beccabunga. 19.
Bedeguar. 429.
Behen oleum. 344.
- - - rubrum. 248.
Belladonna. 127.
Bellis minor. 686.
- - - pratenſis. 687.
Benzoë. 760.
Berberis. 277.
Bergamot. 639.
Beta alba. 179.
- - - rubra. 178.
Betonica. 524.
Betula. 728.
Biſtorta. 308.
Bonus Henricus. 174.
Borago. 86.
Botrys. 176.

Boviſta. 873.
Branca urſi. 551.
Braſilianum lignum. 343.
Braſſica alba. 568.
- - - Botrytis. 572.
- - - Brocoli. 574.
- - - gongylodes. 578.
- - - rubra. 571.
- - - ſabauda. 570.
- - - ſabellica. 575.
- - - ſectilis. 576.
Britannica radix. 283.
Bryonia. 785.
Bugloſſa. 79.
Burſa paſtoris. 555.
Buxus. 732.

Cacao. 626.
Caffé. 111.
Cajeput. 639.
Calamus vulgaris. 274.
Calendula. 704.
Calla paluſtris. 724.
Calumba. 906.
Cambogia. 461.
Campeſcanum lign. 351.
Camphora. 318.
Camphorata. 74.
Canadenſe balſam. 750.
Canella alba. 381.
Cannabis. 797.
Capillus veneris. 850.
Capparis. 449.
Caprifolium. 104.
Caranna. 890.
- - - nigra. 891.

Car-

Cardamomum minus. 3.
Cardiaca. 528.
Cardopatia. 659.
Carduncului. 657.
Carduus benedictus. 701.
- - - Mariæ. 654.
Caricæ pingves. 837.
Carlina. 659.
Carthamus. 660.
Caryophyllata. 445.
Caryophyllus aromat. 472.
Carvi. 228.
Caſcarilla. 765.
Caſſia caryophyllata. 395.
- - - Fiſtula. 339.
- - - lignea. 318.
Caſtanea. 745.
Cataputia minor. 390.
Catechu. 880.
Centaurium minus. 186.
Centumnodia. 310.
Cepa. 256.
- - - aſcalonica. 258.
- - - oleracea. 259.
- - - ſectilis. 262.
Ceraſus autumnalis. 403.
- - - nigra. 402.
- - - rubra. 402.
Cerefolium. 217.
- - - hiſpanicum. 215.
Ceterach. 842.
Chamædrys. 506.
Chamæmorus. 435.
Chamæpitys. 500.
Chamomilla noſtras. 689.
- - - romana. 694.
Champignon. 864.
Chanterelle. 866.
Cheiri. 565.
Chelidonium majus. 451.
- - - minus. 494.
Chenopodium anthelminthicum. 177.
China. 803.
Chinchina. 105.
Chynlen. 908.
Cicer. 614.
Cichorium. 650.
Cicuta aquatica. 212.
Cicutaria. 219.
Cina. 666.
Cinnamomum indic. 316.
- - - verum. 314.
Citrullus. 779.
Citrus. 630.
Cocculi indici. 808.
Coccumgnidium. 306.
Cochlearia. 556.
Colchicum. 289.
Colocynthis. 780.
Colubrinum lignum. 147.
Columbo. 906.
Conium. 193.
Conſolida major. 85.
- - - media. 499.
- - - regalis. 479.
Contrajerva. 73.
Copaiva. 357.
Copal. 896.
Coriandrum. 214.

Coris. 115.
Corylus. 748.
Coſtus arabicus. 8.
Cotula fœtida. 696.
Crepitus lupi. 873.
Crocus. 36.
Cubeba. 28.
Cucumis. 784.
Cucurbita. 778.
Culilavan. 326.
Cupreſſus. 760.
Curcuma. 6.
Cuſcuta. 76.
Cyanus. 700.
Cyclamen. 90.
Cydonia. 421.
Cyminum. 211.
Cynara. 656.
Cynogloſſum. 82.
Cynosbatos. 429.
Cyperus longus. 42.
- - - rotundus. 43.

Dactylus. 877.
Datura. 123.
Daucus creticus. 196.
- - - ſativus. 190.
Dictamnus albus. 348.
- - - creticus. 529.
Dolichos urens. 605.
Doronicum. 685.
Draconis ſangvis. 274.
Dracunculus. 674.
Dulcamara. 130.

Ebulus. 240.
Elaterium. 775.
Elemi. 294.
Endivia. 651.
Enula. 681.
Epithymum. 77.
Equiſetum. 841.
Eruca. 579.
Eryngium. 188.
Eryſimum. 562.
Eſula. 390.
Euphorbii gummi. 388.
Euphraſia. 543.

Faba. 611.
- - - S. Ignatii. 146.
Fagopyrum. 311.
Fagus. 746.
Farfara. 677.
Filipendula. 422.
Filix. 845.
Flammula Jovis. 492.
Fœniculum. 226.
Fœnum græcum. 624.
Fragaria. 437.
Frangula. 150.
Fraxinus. 831.
Fumaria. 594.
Fungus melitenſis. 726.

Galanga. 7.
Galbanum. 209.
Galla turcica. 739.
Gallium. 62.
Geniſta. 598.

Gen-

Gentiana alba. 201.
- - - rubra. 185.
Gentianella. 187.
Geum rivale. 447.
Glans terræ. 611.
Gnaphalium. 676.
Goſſypium. 590.
Gramen. 54.
Grana avenionenſia. 151.
Granatus. 397.
Gratiola. 24.
Groſſularia. 157.
Gvajacum. 345.
Gutta gummi. 461.

Hedera arborea. 159.
- - - terreſtris. 521.
Helianthus tuberoſus. 699.
Helleborus albus. 818.
- - - fœtidus. 497.
- - - niger. 496.
Hepatica alba. 246.
- - - nobilis. 488.
Herba britannica. 283.
Hermodactylus. 292.
Herniaria. 174.
Hirundinaria. 172.
Hordeum. 55.
Horminum. 24.
Hyoſcyamus. 123.
Hypericum. 640.
Hypociſtis. 720.
Hyſſopus. 509.

Jalapa. 100.
Japonica terra. 880.
Jaſminum. 10.
Ignatii faba. 146.
Imperatoria. 220.
Indigo. 617.
Ipecacuanha. 102.
- - - alba. 710.
Iris florentina. 39.
- - - noſtras. 38.
- - - violacea. 41.
Iſatis. 583.
Juglans. 743.
Jujuba. 151.
Juniperus. 809.

Lacca. 769.
Lacmus. 767.
Lactuca. 646.
Ladanum. 476.
Lamium album. 523.
Lapathum acutum. 285.
Lavandula. 512.
Lauroceraſus. 399.
Laurus. 323.
Lens. 613.
Lentiſcus. 794.
Leviſticum. 202.
Libidibi. 341.
Lilium album. 263.
- - - convallium. 269.
Limonium. 635.
Linaria. 545.
Linnæa. 548.
Linum catharticum. 249.
- - - ſativum. 248.
Liquiritia. 615.

Locuſta. 33.
Lupulus. 800.
Luteola. 388.
Macis. 882.
Majorana. 532.
Malabathrum. 316.
Malicorium. 397.
Malva arborea. 587.
- - - vulgaris. 588.
Malta. 55, 56.
Mandragora. 126.
Mangold. 179.
Manna. 833.
Mannæ grana. 47.
Marrubium album. 526.
Marum verum. 502.
Maſtix. 794.
Matricaria. 688.
Matriſylva. 61.
Mecca balſamum. 296.
Mechoacanna. 99.
Melilotus. 622.
Meliſſa citrina. 537.
- - - turcica. 539.
Melitenſis fungus. 726.
Melo. 783.
Melongena. 138.
Mentha balſamina. 520.
- - - criſpa. 513.
- - - longifolia. 515.
- - - piperitis. 516.
Mercurialis. 806.
Meſpilus. 417.
Meum. 197.
Mezereum. 303.
Millefolium. 693.
Morſus diaboli. 59.
Morus. 735.
Moſchata nux. 882.
Moſcovitic. oleum. 731.
Mouceron. 867.
Moxa. 672.
Muſcus clavatus. 851.
- - - erectus. 854.
- - - islandicus. 855.
Myriſtica. 882.
Myrrha rubra. 892.
Myrtillus. 299.
Myrtus. 394.
- - - brabantica. 790.
Napha. 636.
Napobraſſica. 577.
Napus. 566.
Nardi ſpica. 824.
Naſturtium aquaticum. 560.
- - - criſpum. 553.
- - - hortenſe. 452.
- - - indicum. 293.
Nepeta. 510.
Nephriticum lignum. 344.
Nicotiana. 117.
Nigella. 486.
Nummularia. 92.
Nux aquatica. 72.
- - - moſchata. 882.
- - - vomica. 144.
Nymphæa. 463.
Olibanum. 812.
Oliva. 11.
Ononis. 599.

Opi-

Opium. 453.
Opoponax. 223.
Origanum creticum. 530.
- - - vulgare. 531.
Orleana. 466.
Oryza. 279.
Oxycoccos. 302.

Padus. 401.
Pæonia. 477.
Palmæ oleum liquidum. 771.
- - - ſebaceum. 881.
Panis. 48, 49.
Papaver. 453.
- - - Rhœas. 460.
Paradiſi grana. 4.
Pareira brava. 815.
Parietaria. 824.
Paris. 311.
Paſſulæ corinthiacæ. 170.
- - - majores. 160.
Paſtinaca. 222.
Patientia. 280.
Pavanæ lignum. 769.
Pentaphyllum. 442.
Pepo. 777.
Peragua. 238.
Perſica. 413.
Perſicaria. 308.
Peruvianum balſam. 888.
Peruvianus cortex. 105.
Petaſites. 679.
Petroſelinum. 233.
- - - macedonicum. 209.
Peucedanum. 198.
Phallus eſculentus. 869.
- - - Mitra. 870.
Phaſeolus. 601.
- - - floralis. 602.
- - - nanus. 604.
- - - ſaccharatus. 603.
Phellandrium. 211.
Philadelphus. 393.
Phu. 31.
Pichurim. 327.
Pimpinella alba. 229.
- - - italica. 737.
- - - nigra. 231.
Pinus. 753.
Piper album, nigrum. 27.
- - - jamaicenſe. 396.
- - - indicum. 142.
- - - longum. 28.
Piſum. 608.
Piſtacia. 791.
Plantago. 69.
Polium creticum. 502.
Polypodium. 844.
Pomum borsdorfian. 418.
- - - renetium. 418.
Populus. 804.
Porrum. 253.
Portulaca. 382.
Potatoë. 132.
Primula veris. 88.
Pruna brignolenſia. 405.
- - - Catharinæ. 405.
- - - damaſcena. 405.
- - - gallica. 405.
Prunella. 541.
Pruneola. 405.

Pſyllium. 71.
Ptarmica. 691.
Pulegium. 518.
Pulmonaria. 83.
- - - arborea. 859.
Pulſatilla nigricans. 489.
Pyrethrum verum. 697.
Pyrola. 364.
Pyrus. 419.

Quaſſia. 353.
Quercus. 741.

Rackaſira balſamum. 889.
Radix omnia ſanans. 808.
Ranunculus albus. 491.
Rapa. 567.
Raphanus. 582.
- - - niger. 582.
- - - ruſticanus. 558.
Reſina elaſtica. 900.
Rhabarbarum verum. 330.
- - - monachor. 282.
Rhaponticum. 328.
Rheum. 330.
Rhodia. 805.
Rhodium. 597.
Rhoeas. 460.
Ribes nigrum. 154.
- - - rubrum. 152.
Ricinus vulgaris. 771.
- - - major. 774.
Roccella. 860.
Roſa alba. 431.
- - - damaſcena. 426.
- - - rubra. 428.
- - - ſylveſtris. 429.
Rosmarinus. 20.
- - - ſylveſtris. 360.
Ros ſolis. 251.
Rubia tinctorum. 64.
Rubus arcticus. 434.
- - - idæus. 432.
Ruſcus. 817.
Ruta hortenſis. 349.
- - - muraria. 844.

Sabadilla. 822.
Sabina. 814.
Saccharum. 43.
Sagapenum. 895.
Sagu. 875.
Salep. 711.
Salicaria. 384.
Salicornia. 8.
Salix. 787.
Salvia. 22.
Sambucus. 242.
Sancti Ignatii faba. 146.
Sanctum lignum. 299.
Sandaraca. 811.
Sangvis draconis. 274.
Sanicula. 189.
Santalum. 299.
- - - rubrum. 906.
Santolina. 661.
Santonicum. 666.
Sapo. 11.
Saponaria. 369.
Sarcocolla. 68.
Sarſaparilla. 801.
Saſſafras. 325.

Satureja. 507.
Satyrium. 713.
Saxifraga alba. 367.
- - - rubra. 422.
Scabioſa. 60.
Scammonium. 96.
Scilla. 265.
Schœnanthus. 823.
Schœnopraſum. 261.
Scolopendrium. 842.
Scordium. 504.
Scorodopraſum. 257.
Scorzonera. 644.
Scrophularia fœtida. 547.
Sebeſten. 148.
Secale. 48.
Sedum minus. 375.
Sempervivum. 392.
Senega. 595.
Senegal gummi. 831.
Senna. 337.
Serpentaria virginiana. 716.
Serpyllum. 534.
Seſeli creticum. 189.
Sigillum Salomonis. 270.
Siler montanum. 202.
Siliqua dulcis. 836.
Simarouba. 355.
Sinapi. 579.
Siſarum. 206.
Soja. 606.
Solanum. 140.
- - - tuberoſum. 132.
Soldanella. 98.
Sophia. 561.
Sorbus aucuparia. 415.
- - - domeſtica. 416.
Souda. 181.
Spica celtica. 32.
- - - nardi. 824.
Spigelia. 94.
Spina cervina. 148.
Spinacia. 796.
Spiritus vini. 160.
Staphiſagria. 480.
Stœchas citrina. 676.
Storax vulgaris. 365.
- - - liquida. 750.
Stramonium. 120.
Suber. 738.
Sumach. 237.

Tabacum. 117.
Tacamahacæ gummi. 71.
- - - in teſta. 72.
Tamarindus. 34.
Tamariſcus. 245.
Tanacetum. 662.
Taraxacum. 647.
Tartarus. 160.
Telephium. 373.
Terebinthina argentoraten-
ſis. 752.
- - - communis. 754.
- - - cypria. 792.
- - - veneta. 752.
Terra Catechu. 880.
- - - japonica. 880.
Thea bohea. 469.
- - - viridis. 471.

Thlaſpi.

Thlaſpi. 554.
Thymus creticus. 508.
- - - vulgaris. 536.
Tilia. 467.
Tilli grana. 768.
Tolu. 350.
Tormentilla. 444.
Tragacantha. 620.
Trichomanes. 843.
Trifolium album. 623.
- - - aquaticum. 90.
- - - fibrinum. 90.
Triticum. 49.
Tuber. 871.
Tunica. 372.
Turpethum. 97.
Tuſſilago. 677.

Valeriana major. 31.
- - - ſylveſtris. 30.
Vanilla. 714.
Verbaſcum. 116.
Veronica. 17.
Victorialis. 254.
Vinca pervinca. 170.
Vinum. 160.
Viola. 705.
- - - tricolor. 708.
Virga aurea. 680.
Viſcum. 788.
- - - aucuparium. 77.
Vitis. 160.
- - - idæa. 301.
Ulmaria. 424.
Ulmus. 184.
Ungventarius cortex. 183.
Vomica nux. 144.
Urtica major. 733.
Uva urſi. 362.
Uvularia. 816.

Winteranus cortex. 381.

Zedoaria. 4.
Zingiber. 1.

ADDENDA & EMENDANDA.

Pag. 5. poſt lin. 9. adde: *VIRTUS:* calefaciens, ſtomachica.

p. 55. lin. 8. mellago *lege* melligo.

p. 74. poſt lin. 23. adde: USUS.

p. 102. l. 21. poſt uteri, adde: Tuſſis convulſiva.

p. 103. l. 6. deleatur ita.

p. 128. l. 23. Lombergen *leg.* Lambergen.

p. 148. l. 1. ſeq. deleatur Cordia Sebeſtena *cum ſynonymis, & reponatur:*

91. CORDIA Myxa. LINN. *Sp. pl. 273. Mat. m. 171.* HASSELQU. *It. palæſt. 458.* *

Sebeſtena domeſtica ſ. Myxa. COMMEL. *Hort. Amſt. 1. p. 139. t. 72.*

Pharm. SEBESTEN Fructus.

Locus. Barbaria, Ægyptus.

ibid. l. 22. leg. OBS. 1.

ibid. poſt l. 24. adde: OBS. 2. Viſis ſpeciminibus arboris, quæ fructum Sebeſten gerit, ad Tripolim Barbariæ a cl. G. ROTHMAN lectis, non amplius dubito, quod Cordiam Myxam L. ponere oporteat loco Cordiæ Sebeſtenæ. Deſcriptio cl. HASSELQUIST Cordiam Myxam reſpicit.

p. 153. l. 12. leg. rubicundæ, ſpiſſæ.

ibid. l. 27. leg. melliginem.

p. 166. l. 24. calcareum *leg.* tartareum.

p. 177. l. 15. poſt conſimiles adde: *Semina* fragrantia.

ibid. l. 17. fragrantia *leg.* anthelminthica.

p. 192. l. 14. leg. operatum eſt.

p. 401. l. 1. dulcium *leg.* amararum.

p. 564. poſt lin. 6. adde: *Pharm. ALLIARIÆ* Herba.

p. 573. l. 26. Botryits *leg.* Botrytis.

p. 624. l. 20. leg. melligenus.

p. 797. poſt lin. 33. adde: *Pharm. CANNABIS* Semina.

p. 815. l. 29. Nmeo *leg.* Nemo.

p. 857. l. 15. duabus frumenti tonnis *leg.* dimidiæ frumenti tonnæ.